ANTIQVITATIS ECCLESIAE

OPVS CHRONOLOGICVM.

ANTIQVITAS ECCLESIAE DISSERTATIONIBVS MONIMENTIS AC NOTIS

ILLVSTRATA

OPERA ET STVDIO

EMANVELIS A SCHELSTRATE

S. T. D.

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ PRÆFECTI.

Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe Canonici, &c.

TOMVS I.

CONTINENS OPVS CHRONOLOGICVM

A CAESARIS IMPERIO

VSQVE AD IVSTINIANI OBITVM.

Quo Christi Saluatoris Nostri, Petri & Successorum eius Romanorum Pontificum tempora ex S. Scriptura, Patribus, antiquis nummis, inscriptionibus, Fastis Consularibus, Imperatorum & Pontificum Catalogis, Græcorum & Latinorum Chronicorum fragmentis inuestigantur; Hebræorum, Gentilium, & Christianorum scripta conciliantur, multaque Antiquitatis monimenta ad hæc spectantia nunc primùm ex MSS. Codicibus exhibentur, notis & varijs lectionibus illustrantur.

ROMÆ, Typis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.
Anno M. DC. XCII.

Superiorum Permissu.



BEATISSIMO PATRI

INNOCENTIO XII.

PONTIFICI MAXIMO.

EMANVEL DE BELGIO

BIBLIOTHECAE VATICANAE PRAEFECTVS.

FELICITATEM PERPETVAM.

SI benè ac Sapienter Maiores nostri instituerunt, vt pro rebus feliciter actis, ita pro beneficijs diuinitùs acceptis gratias referre, hoc grati animi officium quando magis exercendum, quam in felici Beatitudinis tuæ ad Pontificatum assum-

ptione,qua maximum beneficium Dei immortalis ope consecuti sumus. Quùm enim in magno rerum omnium discrimine versaremur, & Ecclesia non minus Christianorum Principum discordijs, quā Barbarorum irruptionibus pressa, veluti Petri Nauicula fluctibus opperiretur, Sanctitas tua diuinitùs clauo eius adhibita videtur, vt dum vicaria Christi auctoritate imperaret ventis & mari, fieret tranquillitas magna. Hac spe purpuratorum Patrum suffragia in sinum tuum conuolarunt, tibique vni in summorum Virorum copia patrocinium Orbis terrarum detulerunt, rati, neminem ad summum Principatus fastigium digniorem euehi posse, quam cui clara progenies, sed excelsior est indoles; cui cura pauperum, & instantia quotidiana sollicitudo est Ecclesiarum; cui diuturno rerum vsu perspectæ regnandi artes, & comparata per omnes dignitatum gradus rerum agendarum scientia, adeò vt dici de Beatitudine tua possit, quod magnus Christi Martyr Cyprianus olim de Cornelio scripsit: „Te ideo cun-„ ctis laudabili prædicatione commendabilem „ esse, quod non ad Episcopatum subitò per-„ ueneris, sed per omnia Ecclesiastica officia

pro-

„ promotus, & in diuinis administrationibus sę-
„ pè Dominum promeritus ad Sacerdotij subli-
„ me fastigiũ cunctis Religionis gradibus ascen-
„ deris.„ Id quam verum sit, enumerata offi-
ciorum & dignitatum tuarum serie, cunctis fa-
cilè patebit. Quod enim munium genus repe-
ritur, quod non summa cum laude gessisti? sub
Vrbano VIII. Legati Vrbinatis vices magna
nominis tui expectatione adimplesti: sub In-
nocentio X. cum Inquisitionis falcultate ad Me-
litensium Insulam missus, indeque Viterbien-
sem Præturam adeptus, exercitio munerum illo-
rum semper clarior, semper maior euasisti. Vn-
de Nuntij Apostolici dignitatem in Hetruriæ
Metropoli consecutus, virtute tua tibi iter feci-
sti ad maximas Christiani Orbis procurationes
obeundas: ab Alexandro proinde eius nominis
VII. Cracouiam, à Clemente IX. Viennam
missus es, vt qui maximis negotijs idoneus vide-
baris, apud Poloniæ Regem, apud Romano-
rum Imperatorem electum, Romanæ Eccle-
siæ, Sedis Apostolicæ, & Orbis Catholici cau-
sas promoueres: quibus quidem officijs tam
constanter, tam fideliter, tam strenuè perfun-
ctus es, vt Vistulam Danubiumque admira-

tionis

tionis tuæ fama coniungeres, & Poloniæ, Au-
ſtriæ, ac Germaniæ regiones non pedibus ma-
gis, quam laudibus peragrares. Poſtquam au-
tem per viginti annos in Aulis Principum ver-
ſatus variarum Gentium, & Populorum mo-
res perſpectos habuiſti, à Clemente X. ad Pa-
trios fontes reuocatus, & Epiſcopatu Lycienſi
per biennium functus, in Vrbe Epiſcoporum
& Regularium cauſis præponeris: deinde in Pa-
latium ad magiſterium cubiculi Pontificij ad-
miſſus, introducendis Regum, & Magnatum
Oratoribus, omniumque generum hominibus
ad Thronum Apoſtolicum ſiſtendis præfuiſti;
quod quidem munus ſub Clementis X. Succeſ-
ſore Innocentio magna cum gloria exercere
perrexiſti. Vnde eiuſdem Pontificis bene-
ficentia in Sacrum Cardinalium Collegium aſ-
citus, indeq; ad Epiſcopatum Fauentinum pro-
motus, Legationis Bononienſis dignitatem a-
deptus, Archiepiſcopatum demum Neapoli-
tanum conſecutus es: quæ quidem Eccleſiaſti-
ca munia tanta rectitudine adminiſtraſti, vt in
animis, in iudicijs noſtris ſummum Sacerdo-
tium virtuti tuæ debitum appareret, antequam
conferretur, iamque Epiſcoporum Epiſcopus

nobis videreris, antequam esses.

Vbi autem tot dignitatibus tanquam gradibus tibi iter ad Principatum fecisti, qui in aliorum oculis visus es Imperio dignus, ferendo Principatus oneri vires tuas impares futuras credebas: nunquam enim dignitatis fastigium suspexeras, sed curæ Orbis terrarum humeros supponendos esse agnoueras: quare Summi Sacerdotij munus non arte, studioque quæsitum, sed spontè oblatum ita accepisti, vt nihil propriæ cupiditati, totum alienæ vtilitati deberi existimaris. Neque ab hoc onere priuatas opes tuas immunes esse voluisti; non enim eas seruasti sumens ex communi ærario, vnde mensam Pontificiam instrueres, sed in ærarium contulisti, vt ex illis viueres. Viuis de tuo, vt de Pontificiæ dignitatis redditibus viuant subditi tui. Quare à primo suscepti Principatus die cum Ciuibus tuis, quasi cum liberis Parens conuersari cœpisti, nulla hominum conditione à conspectu tuo exclusa: non enim diuites tantùm, & in dignitate constitutos, sed statis diebus miseros quoque ac pauperes ad pedes tuos admittis, vt indigentium necessitatibus occurras, eorumque miserias subleues: au-

res tuas omnibus credis, vt omnibus benefacias: nec Vrbi tantum ſed Orbi quoque Catholico curam ſollicitudinemque tuam impendis. Vbi enim videbas, iuratos fidei hoſtes Chriſtianorum Principum diſcordijs fortiores factos arma reſumere, & neglecta, quam ante deprecabantur, pace, iterùm intumeſcere, iam iamq; fidelium Populorum ceruicibus imminere, ſtatuiſti illicò, effuſis in Catholicorum ſubſidium Eccleſiaſticis theſauris, Barbarorum conatibus obſiſtere: quod beneficio Orbis Chriſtiani à te prǽſtitum fuiſſe, lætis vocibus exclamant boni vbique omnes, qui Maiorum ſuorum deſideria ſub Pontificatu tuo expleri agnoſcunt. Quod enim Patres noſtri videre voluerunt, & non viderunt, hoc temporibus tuis vident adimpletum, interruptos ſcilicet Turcarum conatus, fractas vires, ſuperatas acies, captas arces, ſubmiſſa Chriſtianorum altaribus vexilla, quæ turbatis Sacris, & deiectis delubris ſuper illorum rudera, in Religionis noſtræ ludibrium erigi ſolebant.

Magna planè temporum felicitas, quæ ſub Innocentio XI. cœpit, cuius vt nomen aſſumpſiſti, ita & virtutes æmularis, promeritus eam-

dem Diuini Numinis benignitatem, quæ publicæ felicitatis gloriam nouis de Christiani nominis hostibus victorijs adauget: quare nomen illud, quod iam pridem clarum fuit, indies clarius euadit, & apud Posteros clarissimum semper erit. Quin & ego tanti nominis eò libentiùs memoriam hìc renouo, quòd cum prior huius Operis editio illi inscripta fuerit, noua Operis editio secundis curis aucta tempus nacta sit, quo nomen illud rursùs præferre possit. Dabis igitur Beatissime Pater amori meo in illud, vt Innocentio post Innocentium opus hoc consacrem, & postquam illud in iuuenilis animi pignus Innocentio XI. obtulerim, sacris pedibus tuis aduolutus maturioris ætatis labori præsidium, & decus aliquod apud Beatitudinem tuam implorem, Deumque Optimum Maximum rogem, vt qui Innocentium XI. idem nomine, par imperij potestate, similis animo subsequeris, maiori felicitatis gloria superes, nomenque Christianum sub felicissimo regimine tuo indies clarius celebriusque se toto terrarum Orbe diffundat.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

ANTIQVITATEM maiestate sua venerandam adeò necessariò in rebus Ecclesiasticis sequimur Ducem, vt nos immemores ordinis vagari cum periculo necesse sit, aut per Maiorum vestigia gradientes signa subsequi vetustatis; Porrò huc spectant, Apostolicæ Sanctiones, quæ à Nouitatis importuno studio nos reuocant, dum admonent, ne insidiosa nouatorum sectemur vestigia. Vnde Diuinus Præco, & Gentium Doctor Paulus Timotheum adhortatur, *vt deuitet prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ.* Sic nempè prudens Ordinum Ductor stationem seruare præcipit, vt ne verbo quidem licentius deflectendi ius esse diceret. Excepit Pauli verba veluti Militarem Tesseram Vincentius Monachus Lerinensis, quam continenter Apostolo reddidit, & posteris consignauit, dum innuit, in eo semper Catholicos ab Hæreticis discrepasse. *Quod hi prophanis Nouitatibus gaudeant, Antiquitatis scita fastidiant, & per oppositionem falsi nominis scientiæ à fide naufragent*, Catholici è contrà Antiquitatis deposita custodiant, & Maiorum Traditioni adhærentes in fide perseuerent. Inquirenti proindè, quid faciet Christianus, *Si nouella aliqua contagio Ecclesiam inficere conetur*, respondet idem Scriptor in aureo suo Commonitorio: *prouidebit, vt Antiquitati inhæreat, quæ prorsus iam non potest ab vlla Nouitatis fraude seduci*; docet hanc esse præstantissimam regulam à Diuino Numine Mortalibus datam, dicente Scriptura, & monente: *Interroga Patres tuos, & dicent*

1. ad Timot. 6.

Vincent. Lerinens. in Commonitorio.

Deuter. cap. 32

cent tibi, Seniores tuos; & annunciabunt tibi; eamque Stephani Romani Pontificis, & Gloriosissimi Martyris decreto firmari, dum contra nouos de rebaptizatione hæreticorum errores sanxit. *Nihil nouandum, nisi quod traditum est. Intelligebat enim Vir Sanctus, & prudens:* (inquit de Stephano Vincentius:) *nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi vt omnia, quæ fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filijs consignarentur, nosque Religionem, non quà vellemus ducere, sed potius, quà illa duceret, sequi oportere, idque esse proprium Christianæ modestiæ, & grauitatis, non sua Posteris tradere, sed à Maioribus accepta seruare.* Hæc Stephanus primus, hæc Vincentius Lerinensis, hæc cæteri Patres, quorum vna omnium vox est, nihil omninò ad confutationem nouitatis hæreticæ Sacra Antiquitate præstantius, nihil ad suppressionem nouelli erroris veterum Traditione vtilius excogitari posse, vel adferri.

Stephan. 1. Epistola ad Episcopos Africæ.

Vincent. Lerinens.

Cum itaque ex Sacræ Antiquitatis notitia tantùm enasci bonum, tantum caueri malum possit, vt Nouitatis fraude detecta, Veritas à Maioribus tradita retineatur, complures magni nominis Viri operam suam in eo potissimùm collocarunt, vt omnia Antiquorum monimenta peruoluerent, & si quæ in Bibliothecis nondum edita latebant, ex quibus Antiquitatis studium iuuari posset, ea notis, ac dissertationibus illustrata publici iuris facerent. Cœpit hoc studij genus Romæ præterito Sæculo, quo Viri toto Orbe celeberrimi Onuphrius Panuinus, & Cæsar Baronius Veteris Ecclesiæ historiam, Traditionemque Posterorum memoriæ consecrarunt; Onuphrius namque Historiam Ecclesiasticam quinque integris Tomis tractandam suscipiens, omnia Antiquitatis monimenta perscrutatus est, & si quæ non edita in Manuscriptis Codicibus reperisset, ea historiæ suæ inserebat, vt fidem facere potest ipsius apographum in Bibliotheca Vaticana asseruatum. Baronius verò Annales Ecclesiæ contra Magdeburgenses composuit, & innumeris Antiquorum monimentis Historiam Ecclesiasticam illustrauit, ac duodecim ingentibus tomis totidem æræ Christianæ Sæcula complexus est, quibus hæreticorum conatus euertit, fraudesque

dete-

detexit. Panuino, & Baronio vita functis, studium ab ipsis institutum ex Vrbe Orbis capite, longè latèque sese diffudit, & præstantissima quæque ingenia ad Veterum Opuscula è manuscriptis Codicibus eruenda excitauit. Vndè factum est, quod plurima Ecclesiarum monimenta, & Antiquorum Patrùm lucubrationes, quæ iniuria temporum intercidisse credebantur, vel hominum incuria & negligentia latuerant, typis edita magnam rebus Ecclesiasticis lucem attulerint, plurimosque Eruditos ad Annales Ecclesiæ ab erroribus purgandos excitarint.

Functi sunt hoc officio omnium Europæ Nationum Scriptores non Catholici tantum, sed hæretici quoque, animo tamen & stylo, vt Religione diuersi. Hi namque, cum Veteris Ecclesiæ Annales à Baronio in nouitatum suarum exitium editos experiantur, plurimùm sectæ suæ prodesse putant, si errores aliquot in illos irrepsisse demonstrent, aut quæ ratione refellere non possunt, acerbiori stylo impugnent, Autorisque famam numquam sine laude tacendam iniuriosis verbis dilacerare nitantur. Illi verò, qui ex Baronij Annalibus magnum rebus Catholicis decorem comparatum fuisse agnoscunt, nullumque Religionis, sed Historiæ vt plurimùm defectus in illis reperiri animaduertunt, se se de Ecclesia Catholica benemereri putarunt, si, seruata debita Authori reuerentia, errores historicos corrigerent, dogmata verò, ritus, & disciplinam, quibus Religio Catholica constat, contra Nouatores tuerentur.

Vltimis his in Ecclesiasticæ Eruditionis Palestra se se exercentibus operam qualemcumque meam adiunxi, dum pluribus abhinc annis tria priora æræ Christianæ sæcula illustranda suscepi, & specimen aliquod ea de re Antuerpiæ anno 1678. edidi, in quo præmissis nonnullis Pontificum Catalogis, Consulum Fastis, Imperatorum Chronologijs, de actis Pontificum, decretis Conciliorum, & Scriptis Patrum ac institutione Ecclesiarum ea ratione tractaui, vt correctis nonnullis circa Historiam Ecclesiasticam erroribus, Catholicæ Ecclesiæ Disciplinam, Ritus, Dogmata contra nostri sæculi Nouatores propugnarim. Quæ autem breui tunc

Com-

Commentario præſtare conatus ſum, poſt aſſiduam multorum annorum meditationem, eadem quidem methodo, copioſius tamen præſtari poſſe cognoui: cum enim Antiquitas Eccleſiæ, cui illuſtrandæ operam nauare ſtudui, comprehendat illorum ſæculorum Traditionem, quam hæretici ipſi vix impugnare ſunt auſi, illaque Conciliorum, & Pontificum decretis, Ritualium, & Martyrologiorum libris, Sanctorum actis, & Veterum ſcriptis comprobetur, & tanquam fundamentis nitatur ac fulciatur, primùm fundamenta ipſa perſcrutanda eſſe, tumque de ædificio, quod illis innititur, id eſt Primitiuæ Eccleſiæ Traditione cum hæreticis agendum eſſe iudicaui: Quare Antiquitatem Eccleſiaſticam, quam Eminentiſſimus Cardinalis Baronius Annalibus, Eruditus verò Panuinus Pontificum Vitis comprehendit, nos in illas materias diuidemus, quæ fundamentorum inſtar Antiquitatis Eccleſiaſticæ molem in ſe ſuſcipiunt. Ac primùm quidem Conciliorum & Pontificum decreta, eorumque collectiones in Opere Synodico elucidabimus: deinde Sacramentaria, Canonum Pœnitentialium & Ordinationum libros examinabimus in Opere Rituali. Tertiò Martyrologia, & Sanctorum acta, ac Patrum Scripta expendemus in opere de Sanctorum actis, & Scriptoribus Eccleſiaſticis. Quarto difficiliora hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita ſpeciali opere complectemur, & quæ noſtris temporibus de illa controuerſa ſunt, ex prædictis fundamentis illuſtrabimus.

Antequam tamen nos operi tam arduo accingamus, quædam alia præmittenda ſunt de rebus Chronologicis, & Geographicis, quarum notitia in primis neceſſaria eſt illi, qui eruditioni Eccleſiaſticæ operam impendere cupit: Vt enim ſcitè à quodam Veteri Scriptore annotatum eſt, hiſtoriæ ſtudioſus Chronologiæ, & Geographiæ ſcientijs, velut binis oculis inſtructus eſſe debet: altero quidem, vt tempora, quibus res aliquæ contigerunt, diſtinguat: altero vt loca, in quibus res geſtæ ſunt, diſcernat: horum vno, vel altero velut oculo, ſi careat, ſæpiùs à vero deflectet, & quæ diuerſis temporibus & locis ab alijs, & alijs facta aut dicta ſunt, in vnum confundet. Hæc eſt Eruditi Scripto-

toris ſententia, quæ non ſolùm in hiſtoria prophana, ſed Eccleſiaſtica quoque locum habere cognoſcitur, vbi velut binæ faces neceſſariæ ſunt, vt in denſiſſimis tenebris, quibus vetera Eccleſiæ monumenta plerumque obuoluta ſunt, lux aliqua ſuppeditetur. Quare ne nobis in Opere de Antiquitate Eccleſiaſtica contingat, quod pleriſque alijs contigit, qui harum ſcientiarum ignari, velut oculis, & luce orbati, veteris Eccleſiæ Hiſtoriam aſſequi non potuerunt, præ cæteris omnibus temporum ſeriem in opere Chronologico inueſtigabimus; deindè verò Loca, Ciuitates, Prouincias, Diœceſes, & Occidentis ac Orientis Imperij Romani partes, in quibus dignitates Eccleſiaſticæ inſtitutæ ſunt, in opere Geographico Hierarchico perpendemus, hiſque reliqua omnia ſuperius indicata, ſi Deus vitam cum incolumitate largiatur, ſubnectentes Opus quàm maximè arduum abſoluemus. Primus itaque tomus, vt iam ſatis ſuperque indicaui, complectitur res Chronologicas, quas à primo Chriſti anno vſque ad Iuſtiniani Imperatoris obitum deduco, adiunctis Chronologijs Vitæ Chriſti, & Romanorum Pontificum, ex quibus ea, quæ priori editioni acceſſerunt, aut nunc primum detecta ſunt, in hac præfatione breuiter pro more meo explicabo.

Et prima quidem difficultas, eaque grauiſſima, quam in priori editione vix delibaueram, eſt de annis Natiuitatis, & Mortis Chriſti, diſtractis in varias opiniones, non modò Antiquorum, ſed etiam Recentiorum animis: Sunt enim, qui primum Chriſti annum ante æram Vulgarem ponunt, ſunt, qui cum eadem componunt, ſunt, qui poſtponunt. Prima ſententia Chriſti annos ante æram Vulgarem enumerari decernens Euangelij ſuffragio vtitur; conſtat namque, Natiuitatem Chriſti Domini contigiſſe *In Diebus Herodis Regis*, vt habet Matthæus Cap. 2. Herodem verò ex humanis exceſſiſſe quatuor ſaltem annis ante Vulgaris Epochæ exordium, docent hiſtoriæ tum Ioſephi Hebræi, tum Dionis Nicæi, tum aliorum veterum Scriptorum, & Patrum. Cum itaque Vulgaris æra ſit Herodis regno poſterior ſaltem per quadriennium, per tantumdem temporis ſit etiam minor Matth. 2.

ætate Christi, necesse est. Qui verò in diuersas abeunt sententias, siue Christi Natiuitatem cum æra vulgari componant, siue minorem afferant, se Euangelio authore duci contendunt, siquidem horrendus ille Solis defectus, qui tempore mortis Christi contigit, videtur lumen suppeditare, ad annorum salutis nostræ numerationem inuestigandam: Cum enim Christum instante Paschate obijsse constet ex quatuor Euangelijs, & Pascha Iudæorum iuxta legem celebrari debuerit decima quarta Luna, Eclipsis, non Lunæ, vt sæpius tempore Plenilunij euenit, sed Solis contra ordinem naturæ contigit: *Erat autem ferè hora sexta*, inquit S. Lucas cap. 23. *& tenebræ factæ sunt in vniuersam terram, vsque in horam nonam, & obscuratus est Sol.* Cum enim iuxtà tabulas Paschales, & Phlegontis Hadriani Liberti testimonium Eclipsis illa tempore plenilunij contigerit anno quarto Olympiadis 202. qui cum anno 33. æræ vulgaris concurrit, & Christum non nisi triginta tres vitæ annos habuisse, in confesso sit apud Eruditos; deduxerunt ex his omnibus communiter Scriptores, Christi natiuitatem anno primo æræ vulgaris collocandam esse.

Luc. 23. cap.

Duas has sententias, quia Antiquissimorum Scriptorum testimonijs & Sacræ scripturæ locis inniti videbantur, conciliare studuit P. Natalis Alexander Ord. S. Dominici, & Facultatis Parisiensis Doctor; vnde Christi Natiuitatem quinquennio ante æram vulgarem, Mortem verò anno æræ vulgaris trigesimo tertio posuit, tribuens Christo annos vitæ triginta septem, & asserens, eum ad Baptismum peruenisse anno ætatis trigesimo quarto. Hæc Natalis, qui Charibdim euitare cupiens, in Scillam incidit: dum enim duo Scripturæ loca conciliare studuit, in tertio scripturæ loco explicando, veritatis naufragium fecit. Tertius hic locus est, quo traditur Christus anno ætatis trigesimo ad baptismum peruenisse, *& ipse IESVS*, inquit Lucas cap. 3. *erat incipiens quasi annorum triginta*: quod autem Christus trigesimo ætatis anno baptizatus sit, firmatur ex primitiuæ Ecclesiæ Traditione, cum qua æquè ac cum scriptura pugnare necesse est, qui Christum anno ætatis trigesimo

Lucæ 3.

quar-

quarto baptizatum fuisse affirmat. Vt igitur hanc nouam opinionem refellamus, ostendimus in prima Dissertatione, certum esse, quod Christus baptizatus sit anno ætatis ttigesimo, natus verò tempore Herodis Regis integro quinquennio ante æram vulgarem, ac demùm obierit anno ætatis vigesimo quarto, æræ vulgaris vigesimo nono, quo duo Gemini Consulatum obibant: quam esse veram, & constantem Primitiuæ Ecclesiæ Traditionem, plerisque Patrum, & Conciliorum testimonijs ex manuscriptis, & editis Codicibus comprobamus, & ne vllum ea de re dubium supersit, Chronotaxim vitæ Christi subiungimus, in qua veteres Romani, Hæbrei, & Christiani Scriptores conciliantur, & quidquid de vita Christi in sacris litteris traditur, cum prophanis historijs conuenire, clarè ostenditur.

Cum autem ex prædicta sententia sequatur, quod anni æræ vulgaris non incipiant ab anno natiuitatis Christi, alia difficultas occurrit, quæ in corrigendis recentiorum Scriptorum Annalibus consistit, æram vulgarem & annos Incarnationis Dominicæ passim confundentibus. Enimuerò cum ab vniuersa Occidentis Ecclesia iam indè à Caroli Magni temporibus æra vulgaris & anni Incarnationis Christi promiscuè sumantur, ne nouitatis rei videamur, ratio reddenda est, cur à sententia vsu plurimorum sæculorum recepta discedamus. Pro illa igitur supponendum in primis est, difficultatem in sola quæstione facti consistere, deindè Primitiuam Ecclesiam nunquam annos suos ab initio æræ vulgaris, quæ his temporibus vsu recepta est, numerasse, sed potiùs sicut gesta prophana à Gentilibus Consulum suorum, & Imperatotum annis notabantur, sic gesta Ecclesiæ à Scriptoribus Ecclesiasticis signata fuisse; & si quandoque speciali æra vtebantur Christiani, hanc fuisse vel mortis Christi, vel Martyrum Alexandrinorum. His verò suppositis, ostendimus, Dionysium Exiguum omnium mortalium primum tempore Iustiniani Imperatoris æram Incarnationis Dominicæ inducere voluisse: cum tamen in computandis annis integro quin-

quennio aberrauit, quod ex Faſtis Conſulum Romanorum, & perpetuo annorum, quibus Romani Imperatores regnarunt, nexu euidenter probamus. Ne verò credatur obeſſe Eminentiſſimi Cardinalis Baronij ſententia, quo iure ab hac recedamus, imò qua neceſſitate indè abducamur, palam facimus. Oſtendimus proindè, correctione indigere tanti viri opinionem, quod iſta duos Conſulatus eradat è Faſtis, & eorum annos Imperatori Probo videatur adimere, quibus ſi addideris triennium ab Annalium Parente pariter omiſſum in Imperio Tiberij, habebuntur quinque anni Annalium hiſtorijs inſerendi, vt veram Chriſti Natiuitatem vulgaris æra aſſequatur. Integrum itaque luſtrum ſuprà Epocham Chriſto tribuimus, licet in rerum geſtarum tempore adnotando vulgari æra vtendum ducamus ea de cauſa, quam è veſtigio producimus. Quamuìs enim Annalium Parens Baronius exiſtimarit, à primo Chriſti anno dinumerari annos noſtros, ita vt ſi quem in hoc primo aberrare contigerit, in ſingulis alijs errare, quiſquis fuerit, licet inuitus cogatur. Attamen ea opinio iam dudum menti plurimorum inhæſit, annos, quibus nunc tempus metimur, nullatenùs dinumerari à primo Chriſti anno, ſed ab initio æræ vulgaris, quod quinquennio poſt Chriſti natiuitatem ponendum eſt, anno nimirùm Auguſti 44. Conſulatu C. Cæſaris & L. Æmilij Pauli. Euidenter id probat æra Diocletiani, quam anno 284. æræ noſtræ vulgaris cœpiſſe, certis rationibus, & indubitatis Veterum teſtimonijs oſtendimus. Si enim ab anno 284. totidem Conſulum paria, & Imperatorum ſibi ſuccedentium anni retronumerentur, comperiemus profectò, quod primus annus æræ vulgaris ſtatuendus ſit anno 45. Auguſti, Conſulatum obeuntibus C. Cæſare, & L. Æmilio Paulo. Poſito autem hoc æræ vulgaris initio, ab eo, & non à primo anno Natiuitatis Chriſti ſingulos noſtros annos dinumerari conſtabit.

Cùm verò primorum Romanorum Pontificum initia plerumque incerta ſint, nec quot quiſque annis, ac quando Pontificatum geſſerit, exploratum habeatur, oſtendimus

mus, non debere annos Pontificum à primo æræ vulgaris initio (vt paſſim conſueuit) perpetuò nexu deduci, ſed pro vera Chronologia ſtabilienda neceſſarium eſſe, illorum Pontificatus certis temporibus figere, de quibus ex antiquorum teſtimonijs, aut Eccleſiæ monumentis conſtat, quod ſub certis Imperatoribus, & determinatis Conſulibus Pontificatum ſuum cœperint, aut finierint: fixis enim horum Pontificum temporibus ad illum annum, quo ſedere cœperunt, aut deſierunt, facilè erit ex eorum tempore veram antecedentium quorumdam Pontificum Chronologiam inueſtigare. Atque hic eſt modus, hæc methodus, quibus vſus ſum Diſſertatione 2. in ſtabiliendis plurimorum Pontificum annis, quorum perpetuam Chronotaxim à Petro Apoſtolorum Principe vſque ad Ioannem 3. deduxi, ideſt ad illud vſque tempus, ad quod Faſti Conſulares pertingunt. Quanto autem labore, quanto ſtudio opus fuerit pro elucidanda hac parte Chronologica, Lector beneuolus facilè perſpiciet ex ipſa Chronotaxi, quam Diſſertationi 2. ſubieci, vbi anni Mortis Chriſti, anni æræ Diocletianæ, anni æræ vulgaris, anni Imperatorum, Conſulum, & Romanorum Pontificum ſibi inuicem reſpondentes ſtabiliuntur, ac innumeris Veterum monumentis, & Scriptorum teſtimonijs, ex Inſcriptionibus, Numiſmatibus, Codicibus manuſcriptis & editis confirmantur.

Atque hæc quidem de rebus Chronologicis, quibus ſubiungimus appendicem, qua continentur varia Antiquitatis monimenta ad eas ſpectantia: cum autem inter illa præcipuum locum obtineant duo antiquiſſimi Romanorum Pontificum Catalogi tempore Liberij Papæ, & Iuſtini Imperatoris conſcripti, ex quibus liber Pontificalis compoſitus fuit, de ijs ſpecialem Diſſertationem præmittimus, conati in ea ſatisfacere dubio de Libri Pontificalis auctore, quem plerique Damaſum Papam crediderunt, alij cum Bellarmino Anaſtaſium Bibliothecarium ſtatuerunt, alij cum Eminentiſſimo Cardinale Baronio veriſimilius affirmarunt, non vnum, ſed duos ad minimum auctores

auctores habuisse. Vt enim animaduertit Baronius, cum liber ille in singulis fermè Pontificibus pugnantes temporum notas exhibeat, & aliud tempus per Consules, aliud per Imperatores, aliud per acta ipsa quandoque signet, nemini dubium esse potest, quin ex diuersis auctoribus, vel varijs Ecclesiæ monumentis hæc ipsa desumpta sint. Et hæc quidem Annalium Parens, qui nusquam indicat, quænam hæc Ecclesiæ monimenta esse possint. Nos igitur antiquissimos Romanorum Pontificum Catalogos esse ostendimus, quorum alter tempore Liberij Papæ, alter tempore Iustini Imperatoris conscripti sunt: monstramus insuper, librum Pontificalem duas in partes distribui posse, quarum prior auctorem habet, qui sub Gregorio 3. vixit, & librum Pontificalem à Petro Apostolorum Principe vsque ad eumdem Gregorium deduxit; posterior pars sequentium Pontificum vitas complectitur, quas à varijs Auctoribus conscriptas fuisse, ex styli diuersitate cum Luca Holstenio colligimus. Reiectis igitur eorum sententijs, qui vel Damaso Papæ, & antiquioribus Pontificibus partem libri Pontificalis tribuunt, vel Anastasium Bibliothecarium auctorem integri istius operis faciunt, Auctorum Patriam, tempus, & nomen inquirimus, & quibus vitæ Pontificum tribuendæ sunt, ostendimus.

Vt verò de his omnibus apertiùs constet, Dissertationi præfatæ ipsos Catalogos, & librum Pontificalem cum plerisque antiquitatis monimentis, quibus in hoc opere vsi sumus, subiungimus. Ac vetustiorem quidem Catalogum, quem primus omnium Egidius Bucherius libro de Doctrina temporum edidit, posteà Godefridus Henschenius in actis Sanctorum typis descripsit, nos post priorem nostram editionem ad manuscriptum Codicem Bibliothecæ Cæsareæ pluribus locis correctum rursùs typis consignandum esse iudicauimus. Secundum Catalogum, quo Auctor prioris partis libri Pontificalis pro actis Romanorum Pontificum præcipuè vsus est, ediderunt primùm viri eruditi Godefridus Henschenius, & Daniel Papenbrochius, post quos ego in priori Antiquitatis editione par-

tem

tem eiuſdem pari fide typis mandaui. Vbi autem Romam perueni, & manuſcriptum Codicem Bibliothecæ Reginæ Sueciæ, ex quo Catalogus cura P. Henſchenij deſcriptus fuit, ſedulò peruolui, editionem pleriſque mendis ſcatere animaduerti; vndè illum Catalogum quam pluribus locis emendatum rursùm typis deſcribo, & huic ipſum librum Pontificalem edito longè correctiorem ſubijcio; cum enim incidiſſem in Authographum Lucæ Holſtenij, qui magnum vitæ ſuæ tempus in conferendo illo libro cum manuſcriptis Codicibus conſumpſit, & in hunc finem Codices Vaticanos, Caſſinenſes, Regios, Mediceos, & Farneſianum omnium antiquiſſimum recenſuit, librum Pontificalem cum varijs lectionibus ex prædictis manuſcriptis à Luca Holſtenio excerptis exhibeo: in eo autem edendo modum illum obſeruo, vt in oppoſita Catalogis pagina conſpiciatur, & omnia, quæ auctor Pontificalis ex ſecundo Catalogo deſumpſit, alio charactere exprimantur, vti & illa, quæ auctor ſecundi Catalogi ex primo Catalogo exſcripſit, diuerſo pariter charactere exhibeantur, ſicque vnico intuitu pateret, quænam Auctor libri Pontificalis à Catalogis, quænam aliunde mutuatus ſit, quæ non rarò in breuioribus noſtris notis indicamus, adiunctis ijs, quæ in Pontificum vitis obſeruatu digniora occurrunt.

SY-

SYNOPSIS

Dissertationum & Capitum

quæ Tomo Primo comprehenduntur.

DISSERTATIO PRIMA

De Chronotaxi vitæ Christi.

SERIES CHRONOLOGICA.

A suscepto per Iulium Cæsarem imperio, ad vsque post mortem Christi.

Quæ ex omnium generum testimonijs & monimentis

 Hi-

Historia Ecclesiastica cum profana componitur, & Scriptores Hebræi, Gentiles, ac Christiani, quo ad vitæ Christi tempora conciliantur.

DISSERTATIO SECVNDA.

De Chronotaxi Romanorum Pontificum.

post

SERIES CHRONOLOGICA.

Ab anno æræ vulgaris primo vsque ad annum 566. *quo obijt Iustinianus, & Consulares Fasti, ac plerique Pontificum Catalogi finem accipiunt.*

DISSERTATIO TERTIA.

Ex

1300.

1300. *annos conscriptis, quibus vsus quondam fuit pro Consulum Fastis Cuspinianus, & ex quibus in libro de doctrina temporum edidit Ægidius Bucherius Opusculum aureum de Præfectis Vrbi, & quibus Consulibus magistratum gesserint. pag.* 528.

sonij & Olybrij Consulatu ad XVII. Post-Consulatum Basilij: pag. 580. *Deinde Laterculus Consulum post Chronicon Senatoris. Ex eodem Codice Colbertino* 240. *pag.* 582.

16. *Chronicon S. Isidori Hispalensis Episcopi à Iulio Cæsare vsque ad Heraclium Imperatorem, & Sisebuti Regis Principatum. Ex manuscripto Codice* 609. *Bibliothecæ Vrbino-Vaticanæ longè diuersum ab edito. pag.* 582.

17. *Ex antiquo octingentorum sexaginta quatuor annorum Codice MS. Bibliothecæ Palatino-Vaticanæ, in quo habetur Opusculum de sex ætatibus Mundi, quarum sexta incipit ab aduentu Saluatoris hoc modo: Sexta ætas continet annos præteritos* 824. *Dominus IESVS Christus natus est, post cuius aduentum regnauit &c. pag.* 594.

18. *Index Romanorum Pontificum à D. Petro vsque ad Gregorium Magnum. Ex MS. Codice Bibliothecæ Vrbino-Vaticanæ sub num.* 143. *pag.* 595.

19. *Catalogus Imperatorum ex antiquo* 700. *annorum Ccdice Vaticano* 3339. *post Eutropium & Paulum Diaconum de gestis Romanorum. pag.* 597.

20. *Fasti Consulares ex apographo Vossiano græco ab anno* 222. *vsque ad annũ* 630. *à Dodwello & du-Cange græcè editi, nunc verò primùm latinè redditi, & ordine suo dispositi. pag.* 601.

Obseruatio de prædictis Fastis aliàs Heraclianis. pag. 608.

21. *Ex nongentorum annorum Cod.* 511. *Biblioth. Reg. Sueciæ, continente libellum minorem Ven. Bedæ de temporibus ætas sexta. pag.* 609.

22. *Ex antiquo octingentorum sexaginta quinque annorum Codice MS. Bibliothecæ Palatino-Vaticanæ Catalogus Romanorum Pontificum sub hoc titulo: Episcoporum Romanæ Vrbis nomina. pag.* 611.

23. *Ex eodem Codice Palatino-Vaticano Catalogus Imperatorum. pag.* 620.

24. *Ex antiquo Codice Bibliothecæ Alexandrino-Vaticanæ* 600. *annorum, Fragmentum Chronici. pag* 622.

25. *Ex antiquo octingentorum septuaginta sex annorum manuscripto Codice langobardicis characteribus anno* 812.

exa-

exarato, qui olim spectauit ad Ecclesiam Beneuentanam, nunc verò in Bibliothecam Eminentissimi Cardinalis Casanate migrauit: Opusculum de sex Mundi ætatibus, quarum quinque prioribus omissis, exhibetur sexta ætas. pag. 623.

26. *Ex MS. Codice Vaticano* 630. *qui octingentorum annorum ætatem superat, fuitque quondam Ioannis Atrebatensis Episcopi (Is autem fuit fortassis Ioannes Ioffredus anno* 1453. *Atrebatensis, deinde Albiensis Episcopus, & tandem Cardinalis Eruditissimus) Nomina Pontificum Romanorum.* pag. 625.

27. *Ex MS. Codice Vaticano* 1353. *qui descriptus est sub Paulo II. ex vetusto Codice* 800. *annorum Ecclesiæ Pergamensis, Nomina Pontificum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* pag. 626.

28. *Ex antiquo Manuscripto Codice græco-Vaticano, qui sub numero* 1167. *asseruatur. Catalogus Imperatorum sæculo nono conscriptus nunc primùm in lucem editus, in versione tantùm latina.* pag. 629. *Sequuntur in eodem Codice Imperatores nouæ Romæ, siue Constantinopolis Byzantiorum.* pag. 630.

29. *Ex antiquo MS. Codice Bibliothecæ Alexandrino-Vaticanæ. Catalogus Romanorum Pontificum à D. Petro vsque ad Formosum.* pag. 633.

30. *Ex antiquo* 600. *annorum Codice Vatic.* 1358. *continente Panormiam S. Iuonis, ad cuius initium habetur Chronicon Romanæ Historiæ.* pag. 636.

31. *Catalogus Pontificum & Decretorum ab ipsis editorum à D. Petro vsque ad Paschalem secundum ex sexcentorum annorum Codice* MS. *Vaticano, Anselmi Lucensis Decretum continente.* pag. 644.

32. *Catalogus Romanorum Pontificum vsque ad eumdem Paschalem Pontificem ex MS. Cod. Vrbinate.* pag. 650.



DISSERTATIO PRIMA.

DE

CHRONOTAXI VITAE CHRISTI.

INVIDIAM temporis accusare plerique solent, qui rerum antiquarum historias illustrare conantur: cum tamen ab eorum negligentia repetendus aliquando sit criminationis titulus, quem incerto malunt Authori appingere, quàm proprijs in commentarijs latè patentem agnoscere. Contigit enim, vt scribentis desidia series ætatum peruertatur, aut concidat, adeoque labem historiæ & calumniam inferat tempori eadem scriptio. Nihil propterea nobis esse diligentiùs ostendendum duximus, aut in Operis vestibulo congruentiùs collocandum, quàm Chronologiæ integra species, & sæculorum veluti simulacra, quæ veritatis aditum ornant, & Antiquitatis Ecclesiasticæ, cui modò illustrandæ insudamus, frontem nobilitant: ita demum rati lumen aliquod Operi conciliatum iri, si ab ordinata temporum serie castigatiùs collectum in has paginas deriuaretur. Esto igitur dicatum Tempori totius Operis Caput: Chronologiæ deferamus prærogatiuam, vt facis instar præluceat ad veritatem certò indagandam, & inueniendam, quæ vel testimoniorũ, vel monumentorum defectu sæpiùs magnis Antiquitatis tenebris infuscatur, ac velut obruitur, & inuoluitur.

CAPVT PRIMVM.

De quinque Notis Chronologicis, ex quibus Æra vulgaris initium statuitur anno quadragesimo quarto Augusti.

1. Adferuntur quinque temporum indicia, Olympiades, anni Imperatorum, Consules, anni mortis Christi, & æra Martyrum Alexandrinorum, quibus Chronologia Ecclesiastica potissimùm stabilitur.

2. Inter indicia, Consulum nota alijs duabus, quæ numeris exprimi solent, præstare videtur, quia in describendis Consulum nominibus difficiliùs, quàm in exprimendis numeris error committitur.

3. Aliæ temporis Notæ annos mortis Christi, & annos æræ Diocletianæ assignant, quam vltimam Dionysius Exiguus in æram Incarnationis Dominicæ conuertere studuit.

4. Ex verbis Dionysij Exigui deducitur, æram vulgarem, qua nunc vtimur, ab eo omnium primo cum anno Dominicæ Incarnationis confundi, & vsurpari cœpisse, quod de ipso etiam obseruat Venerabilis Beda.

5. Primis itaque Ecclesiæ seculis æra vulgaris, & anni Incarnationis Dominicæ ignoti erant; vnde Baronius plurimùm vacillanit in Consulum fastis, & Imperatorum annis cum æra vulgari componendis.

6. Porrò in his Consulum fastis componendis duobus integris annis vsque ad annum 269. à vera Chronologia deflexit, vt paucis indicatur.

7. Alium Chronologiæ defectum in Annalibus animaduertit Pagius, qui ab anno 251. tres annos vsque ad an. 260., corrigendos esse credit.

8. In vno similiter à vero deflexit Onuphrius Panuinius.

9. His erroribus corrigendis plurimùm insudarunt recentiores Chronologi, qui æram ab annis Incarnationis Dominicæ separandam esse demonstrant.

1. CHronologia iuxtà Petauium, *est rerum præteritarum certis ex indicijs ad sua tempora temporumque partes accommodatio*. Indicia autem illa, si de rebus Ecclesiasticis à Christo vsque ad Imperatorem Iustinianum, vt proposuimus, agere velimus, præcipua quidem sunt Olympiades, Imperatorum anni, Consules, annus mortis Christi, & æra Martyrum Alexandrinorum: quæ si rebus præteritis adnectantur, earum adminiculo anni vulgaris, quo contigerunt, notitia acquiritur, & multa, quæ alijs difficilia visa sunt, soluuntur, ac elucidantur. Vt autem clariùs hac de re agamus, obseruandum in primis, inter prædictas temporum Notas, alias esse, quibus communiter Gentiles, & Christiani, prophani, & Ecclesiastici Scriptores vsi sunt; alias, quas soli Auctores Christiani, & Ecclesiastici in vsus suos assumere consueuerunt. Prioris generis sunt Olympiades, Imperatorum anni, & Consules; Posterioris, anni mortis Christi, & æra Martyrum Alexandrinorum, vt vbique ex ipsis Scriptorum Operibus manifestè colligitur.

2. Porrò inter temporum notas omnibus Scriptoribus commu-

munes, duæ priores, quæ Olympiadum, & Imperatorum annos exhibent, ideo frequentiùs deprauatæ cognoscuntur, quia numeris notari solent, in quos facilè librariorum & scribarum error incurrit: quare Baronius ad annum 69. n. 36. sibi difficultatem proponens, quidnam faciendum sit, quando temporum notæ inter se discrepant, illam, quæ per Consules designatur, potiùs sequendam esse scribit, quia difficiliùs in integra nomina, quàm in numeros error irrepere consueuit. *Vnde*, inquit, *tempora annumerata per Consules libentioribus sunt accipienda auribus, cum cæteris illa frequentior, liberalior, & verior noscatur esse Chronographia, atque in vsum frequentiorem accepta, quæ à fastis deducta est Consularibus. Certè quidem cum vetera monumenta in antiquis scriptoribus interdum inuenimus esse Consulibus signata, magno afficimur gaudio, perinde ac si in tenebris oberranti fax aliqua exoptata præfulgeat.* Ita Annalium Parens, cuius sententia tunc potissimùm amplectenda est, quando agitur de ijs scriptoribus, qui accuratam habuerunt Consulum notitiam, vel res ipsas, dum gestæ sunt, posterorum memoriæ tradiderunt; non autem de ijs, qui res, postquam gestæ sunt, absque certo Authore retulerunt: tunc enim non ita Consulum notis inhærendum est, vt à scriptore aliquo expressæ litem dirimere dicantur, sed aliæ temporum notæ consulendæ sunt, quæ pro rebus Ecclesiasticis sæpe à morte Christi, nonnunquam ab æra Diocletiana apud Christianos scriptores repetuntur.

3. Annos namque à morte Christi non modò D. Hieronymus, alijque Sancti Patres, sed Eusebius quoquè, Auctor Chronici Alexandrini, & alij Scriptores Ecclesiastici plerumque citarunt, imitantes in hoc Romanam Ecclesiam tanquam Magistram, vtpotè quæ annos suos à passione Domini computare consueuit, vt sæculo octauo Venerabilis Beda testatus est lib. de ratione temporum, cap. 45. *Sancta siquidem Romana & Apostolica Ecclesia hanc se fidem tenere, & ipsis testatur indiculis, quæ suis in cereis annuatim scribere solet, vbi tempus Dominicæ passionis in memoriam Populis reuocans.* Et infrà affirmat, fratres suos Romæ in cereis Sanctæ Mariæ scriptum vidisse: *A passione Domini Nostri Iesu Christi anni sunt 668.* Quibus ex verbis manifestè constat, Ecclesiam Romanam à passione Domini annos suos numerasse, etiam post tempora Dionysij Exigui, qui Canonem suum Paschalem primus in Occidente ab Incarnatione Domini inchoandum duxerat. Nam si tempora, quæ Dionysij ætatem præcesserunt, percurramus, inter æras in Occidente receptas reperiemus quidem æram mortis

Christi, non tamen Incarnationis Dominicæ, quæ vltima tunc à Dionysio Exiguo induci cœpit, dum æra Alexandrina, quę ob memoriam Martyrum à primo Diocletiani Imperatoris anno cœpit, auersis auribus excepta fuit. Qua de re Dionysius Exiguus epistola ad Petronium Episcopum scribit his verbis: *Quia verò Sanctus Cyrillus primum Cyclum ab anno Diocletiani centesimo quinquagesimo tertio cœpit, & vltimum in ducentesimo quadragesimo septimo terminauit: nos à ducentesimo quadragesino octauo anno eiusdem Tyranni potiùs, quàm Principis incboantes, noluimus Circulis nostris memoriam impij, & persecutoris innectere, sed magis elegimus ab Incarnatione Domini Nostri Iesu Christi annorum tempora prænotare, quatenus exordium spei nostræ notius nobis existeret, & causa reparationis humanæ, id est passio Redemptoris nostri euidentiùs reluceret.*

4. Præclarum est hoc Dionysij Exigui testimonium, eò quòd non solùm ex illo constet de æra Diocletiani à plerisque adhiberi solita vsque ad eiusdem Dionysij tempora, sed etiam quia ex illo patet, quo primùm tempore actum sit de introducenda æra vulgari, qua nunc vtimur: nulla enim eius mentio ante Dionysium reperitur apud Scriptores, aut Patres; nulla antiquitatis monumenta, nullæ veterum Ecclesiarum tabulæ illam designant. Primus, qui eam in vsum Canonis Paschalis adhibere cœpit, fuit Dionysius Exiguus; de quo venerabilis Beda lib. de ratione temporum, cap. 45. *Temporum ordinem Græci calculatores à Diocletiani Principis annis obseruauere. Sed Dionysius Venerabilis Abbas Romanæ Vrbis, & vtriusque linguæ, Græcæ videlicet, ac Latinæ non ignobili præditus scientia, Paschales scribens Circulos, noluit eis, sicut ipse testatur, memoriam impij, & persecutoris innectere, sed magis elegit ab Incarnatione Domini Nostri Iesu Christi annorum tempora prænotare, quatenùs exordium spei nostræ notius nobis existeret, & causa reparationis humanæ, id est passio Redemptoris nostri euidentiùs eluceret. Qui in primo suo Circulo quingentesimum trigesimum secundum Dominicæ Incarnationis annum in capite ponendo, manifestè docuit, secundum Circuli sui annum ipsum esse, quo eiusdem sacrosanctæ Incarnationis mysterium cœpit.* Hæc de Dionysio Exiguo Venerabilis Beda; manifestè indicans, cum æræ vulgaris primum Auctorem fuisse; & annum Dominicæ Incarnationis cum primo anno æræ vulgaris confudisse: quo factum est, vt primùm Romæ octauo sæculo, deinde per totum Occidentem anni Dominicæ Incarnationis publicis actis subnotari cœperint, qui

qui ante octauum sæculum nullibi in actis, vel monimentis publicis, vt iam obseruauimus, adnotati sunt.

5. Hinc autem euenit, quòd Vir æterna memoria dignus Cardinalis Baronius, cum priorum sæculorum historiam Ecclesiasticam ad annos Incarnationis Dominicæ accommodare vellet, immensum laborem subire coactus sit. Vt enim res Ecclesiasticas ad suum tempus redigeret, aliarum notarum, quibus vsque ad ætatem Dionysij Scriptores prophani & Ecclesiastici vsi sunt, adminiculo opus habuit. Contigit verò non raro, Auctores ipsos in assignandis Olympiadum, & Imperatorum annis plurimùm dissidere, & hos quidem sub quibusdam Consulibus eadem acta exhibere, quæ alij sub diuersis collocant: quin imò sæpe contigit, vt vnus idemque Auctor in assignandis Consulibus, Olympiadum, & Imperatorum annis sibi minimè constet, vtpotè qui alios indicet Consules, quàm quos illo anno Imperatoris magistratum gessisse refert. Patet id in primis de anno Incarnationis Dominicæ, quem Dionysius Exiguus æræ vulgaris primum posuit, quemque annum Cardinalis Baronius in Apparatu ad Tomum Primum basim quamdam, ac fundamentum Annalium vocauit, nulli parcens labori, nullam curam omittens, vt primo huic anno respondentem Olympiadem, & Consules inuestigaret: *Habito enim vero, quo Christus natus est, anno, cæteri*, inquit, *qui ab eo dinumerantur, veri, certique supputabuntur. Quòd si quem in hoc primo anno errare contigerit, in singulis alijs errare, quisquis fuerit, licèt inuitus cogetur: quod multis licet non mediocriter eruditis accidisse vidimus.*

6. Hæc, quæ alijs accidisse animaduertit Baronius, Dionysius in primis, & post Dionysium plerique Scriptores perspicacissimo licet ingenio prædití, euitare nequiuerunt. Aeram enim vulgarem, quam ab Incarnatione incipere voluit Dionysius, fixerunt anno Iuliano 46. Augusti 44. Caio Cæsare, & L. Aemilio Paulo Coss. qui annus iuxtà communem recentiorum sententiam non est primus Incarnationis Dominicæ, sed sextus, vt hac Dissertatione videbimus. Vndè Dionysius Exiguus integro quinquennio in annis Incarnationis Dominicæ computandis aberrauit. Hunc autem errorem quia Baronius in Annalibus suis non correxit, sed retinuit, in ijs corrigendis studium omne contulerunt Petauius & Labbeus in Gallia, Ioannes Cestriensis & Pearsonius in Anglia, Henschenius & Papebrochius in Belgio, Norisius alijque in Italia, quos nouissimè secutus est Antonius Pagius, qui præ cæteris fusiùs hanc materiam pertractauit, & complu-

pluribus Tomis,quorum primum iam typis edidit, Eminentissimi Baronij Annales, quoad defectus Chronologicos emendandos suscepit. Porrò ne quisquam putet Annalium Parentem., aut grauioris erroris reum censeri, aut Chronologiam ipsius perpetuò aberrare, notandum omninò, virum istum nunquam sine laude tacendum illis temporibus scripsisse, quibus nondum certis demonstrationibus constabat, quo Consulatu Dionysius æram vulgarem inchoauerat, neque Baronij ætate fastos Consulares, & Romanorum Imperatorum annos certo & fido commentario illustratos fuisse: mirum proindè non esse, quòd in tantis rerum tenebris facem præferens, nonnullos Chronologiæ defectus alijs corrigendos reliquerit. Præcipui autem, quos correctione indigere censent nostri temporis eruditi, ad duos rediguntur; quorum alter annum Incarnationis Dominicæ, alter initium æræ vulgaris spectat. At primus in anno Incarnationis Dominicæ cum æræ vulgaris initio componendo, non Baronio tantùm, sed toti Occidenti iam indè ab octo, aut nouem sæculis communis fuit; secundus in æra vulgari certis Consulibus assignanda, non perpetuum inAnnales errorem induxit, sed post Primi Tomi editionem ab ipso Annalium Parente correctus fuit, vtpotè qui expunctis nonnullis Consulum paribus, & delctis quibusdam Imperatorum annis, anno 280. in viam redit, & æram Dionysianam,seu vulgarem suis Consulibus, & Imperatorum annis restituit. Cum enim vir ille eruditissimus post Primi Tomi editionem, in quo æræ vulgaris initium Caio Cæsare & Aemilio Paulo Consulibus collocarat, animaduertisset, quòd pleraque acta suis Consulibus, & tempori non congruerent, sed integro biennio à vera Chronologia deflecterent, duos Consulatus omisit, scilicet Fuluij Aemiliani & Pomponij Bassi, qui anno 239. & Cornelij Sæcularis ac Iulij Donati, qui anno 260. magistratum gesserunt. Cumque perspexisset, æram Diocletiani ab anno 284. amoueri non posse, vt Imperatorum anni æræ suæ vulgari responderent, ad eam sententiam accessit in ætate Imperatoris Probi definienda, quæ duos huius Principis annos intercipit. Cum enim veteres discrepent in Probi Imperio, ipsique quadriennium nonnulli, alij verò sexennium assignent; prioribus adhæsit Baronius, quod æuo nostro fortasse non probaret, cum eâ re diligentiùs perspecta, & fidelissimis antiquorum testimonijs per numismata consolidatis, in hoc tandem omnes eruditi consentiant, vt Probum sex annis imperasse asserant, prout suo loco videbimus.

7. Aliud in Annalibus corrigit Pagius ad annum 249. vbi notat,eorum Parentem Baronium an-

annos septem Philippo seniori, qui sextum tantùm inchoauit, attribuisse. Verùm indè tantùm habetur, Annales per decennium corrigendos esse: Decio namque annus vnus, & aliquot menses tribuuntur in Annalibus, cum tertium imperij annum inchoasse, doceat antiqua inscriptio, quæ in Vrbe Venciensi etiamnùm reperitur.

IMP. CAES.
C. MESSIO QVINTO TRAIANO DECIO PIO FEL. INVICTO AVG. P. M. TRIB. POT. III. COS. II. PROC.
CIVIT. VINT.

Huic inscriptioni aliam adiungit Gruterus pag. 273. in qua Decio quoquè assignatur TRIB. POT. III. COS. II. PP. PR. Ex quibus inscriptionibus colligitur, Decium tertiò Tribunitiam potestatem, seu tertium Imperij annum exorsum esse, ideoque Philippum septimum Imperij annum nullo modo attingere potuisse. Certum insuper fit, priorem Decij Consulatum, quem Baronius anno 251. ordinarium credidit, suffectum fuisse, vt ad annum 250. Pagius docet ex Vita S. Genulphi Episcopi Cadurcensis, qui sub Decio martyrium passus est: in illa enim legitur ad 17. Ian. *Philippo itaque cum filio Augustalem agente dignitatem, Decius in Consulatu Cæsaream agebat procurationem*. Addit ad ann. 251. num. 1. *Verùm cum Baronius priorem Decij Augusti Consulatum, qui suffectus fuerat, ordinarium crederet, hunc eiusdem Decij tum Etrusco filio secundum Consulatum ordinarium vocauit, annoque posteà 254. vt vocat, Traianum Decium III. & Gratum II. Consules proponit, innixus Actis S. Pionij Martyris, quæ subscripta sunt: Consule tertiùm Messio Quinto Traiano Augusto, & Deltio Grato secundùm. Sed ea verba in Actis legitimis Pionij non leguntur, vt videre est apud Bollandum die prima Februarij, vbi illa recitat. Atque ex his concludit, certum esse, Gratum vnum tantum Consulatum ordinarium, Decium verò duos gessisse, & in nullis antiquis fastis duos priori, & tres posteriori Consulatus assignari. Non potuit autem Baronius Consulatum illum in Annales suos inserere, quin annum Consulatui illi suppostitio respondentem adderet. Quare post Consulatum illum in suos fastos intrusum, non iam ampliùs biennio, vt antea, sed triennio ab æra Dionysiana diffidet*. Hactenus Pagius, qui docet anno æræ vulgaris, seu Dionysianæ 251. respondere annos duos Baronianos nimirum 253. & 254. atque, annum emortualem Decij, qui cum anno 251. vulgari illigari debet, in Annalibus Eminentiss. Baronij cum anno Christi 254. copulari, sicque trien-

triennij error vſque ad annum 259. annotatur à Pagio, quo anno cum Baronius Conſulatum Aemiliani & Baſſi, & anno ſequenti 260. Secularem & Donatum expunxerit, ab anno 261. tantùm vno anno ab æra Dionyſiana diſcrepat vſque ad annum 278. quo Conſulatum Probi II. & Lupi omiſit, exiſtimans eum ſuffectum eſſe, & ad annum 279. pertinere. Cum enim Probus II. & Lupus verè Conſulatum geſſerint, iſque cum altero Conſulatu in annum 279. à Baronio reiectus ſit; eodem anno æram Dionyſianam aſſecutus eſt, ſicque ab anno 280. faſti Conſulares, & Imperatorum anni in Annalibus rectè cum æra vulgari connectuntur.

8. Quod Annalium Parenti accidit, nequaquam effugere potuit vir licèt in antiquitate verſatiſſimus Onuphrius Panuinius. Statuit enim æram vulgarem, & annum primum Chriſti Conſulatu Cornelij Lentuli, & Calpurnij Piſonis, qui Conſules Chriſti Natiuitatem poſt quatuor annos ſubſecuti ſunt, & æram vulgarem vno anno præceſſerunt: ita vt Onuphrius in aptandis tempori ſuo primorum ſæculorum rebus, integro anno aberrauerit, donec in æram Diocletianam ſe impingere animaduertens, anno 277. in faſtis omiſerit M. Aurelium Probum, & Anicium Paulinum, quorum Conſulatum pro ſuffecto habuit, cum eum exhibeat lex 2. Codicis Iuſtinianei de reuoc. donat. *P.P. III. Non. Maij Sirmij Probo Aug. & Paulino Coſſ.* & in faſtis Græcis tam Theonis, quàm Heraclyianis legatur: *Probus Auguſtus, & Paulinus*. Nempè Onuphrij, ſicut & Baronij temporibus, in eum eruditionis gradum nondum adoleuerat Chronologia, qui monumentorum nuper erutorum beneficio illi accreuit. Nondum periodus Iuliana inuenta, nondum Cycli Solis & Lunæ in vſum vocati erant, nondum illa ætate compertum erat, cum quo æræ vulgaris anno quique Conſules conueniebant; nondum ſtabilitum ex antiquis Scriptorum teſtimonijs, quot quique annis Imperatores regnauerant; Ideoque indulgendum hâc in re viris doctiſſimis, qui viam minimè tritam ingreſſi ſunt, & planè inuiti errauerunt, quia primum Chriſti annum, & æræ vulgaris initium aſſequi nequiuerunt.

9. Horum itaque erroribus edocti ſubſequentes Chronologi aliam viam inierunt, & præ cæteris quidem faſtos Conſulares ordini ſuo reſtituendos, & Imperatorum ætatem, qua quiſque regnauit, ex antiquis monumentis, & coætaneis Scriptoribus ſtabiliendum eſſe putarunt. His verò firmatis non fixerunt æram vulgarem, ſeu Dionyſianam anno primo Incarnationis Dominicæ, vt fecerat ante Annalium Parentem omnium primus Dionyſius

ſius Exiguus. Nam animaduertebant, verum eſſe illud Baronij, *Quòd ſi quem in hoc anno errare contigiſſet, in ſingulis alijs, qui ab illo dinumerantur, errare, quiſquis fuerit, licèt inuitus, cogeretur*. Quare ex ſubſequentibus ſæculis æras aliquas indubitatas, certis nimirum Conſulibus, certiſque Imperatorum annis aſſignatas, conuerſo numerationis gradu in antecedentes faſtorum annos aſcendendo primum æræ vulgaris annum ita computantes attigerunt, vt in Conſulatum inciderent C. Cæſaris, & L. Aemilij Pauli, quo Auguſtus annum quadrageſimum quartum Imperij agebat. Audiendus eſt hac de re eruditus Petauius, qui lib. 6. Rationarij temporum, cap. primo certiſſimè tenendum demonſtrat, æram noſtram communem incipere anno 44. Auguſti: *Hoc enim*, inquit, *Romanorum faſtorum ſeries, atque Auguſti, & aliorum Imperatorum initia, exitus, ac totius Imperij interualla perſuadent, quæ certis characteriſmis, ac Solis, Lunæque defectionibus ita ſunt notata, nullam vti dubitationem, ac controuerſiam admittant*. Probari autem id præcipuè poteſt ex æra Diocletiani Imperatoris, cuius epocha fixa eſt in eo anno vulgari, qui numeratur 284. ac notatur Carino 2. & Numeriano Coſſ. in faſtis Caſſiodori, & Idatij. Cum enim æra Diocletiani ab illius anni epocha dimoueri non poſſit, vt infrà oſtendemus, totidem Conſulum paria digeri neceſſe eſt, vt perueniatur ad annum primum æræ vulgaris: quod ſi fiat, æra fixa erit in Conſulatu C. Cæſaris & Aemilij Pauli. Ab æra enim Diocletiani retronumerando vſque ad Conſulatum prædictum inueniuntur anni 284. Conſulatu itaque prædicto inchoari debet æra vulgaris, & corrigendi omnes illi, qui ante, vel poſt prædictum Conſulatum æram communem poſuerunt. Atque hæc in præſens ſufficiant de anno primo æræ vulgaris, de qua etiamnum conueniunt omnes Chronologi, & periti, quantumuìs in annis Incarnationis, & Mortis Chriſti diſſentiant, de quibus ſequentibus quoquè capitibus agemus.

CAPVT SECVNDVM.

Quòd anno ante æram vulgarem sexto Christus incarnatus sit.

1. Inter notas Chronologicas, ea certior visa est Baronio, quæ Consulum nomina exhibet, de qua quod Natiuitatis Christi tempus spectat, varias fuisse Antiquorum opiniones fatetur, quo factum, vt non rectè epocham Incarnationis Christi stabiliuerit.

2. Ostenditur, quòd meliùs ex Consulibus tempori mortis Christi ab omnibus Scriptoribus assignatis retronumerando, tempus Incarnationis statuisset anno ante æram vulgarem sexto.

1. QVod supra indicauimus de varijs temporum indicijs, Consulum scilicet nomina cæteris præstare, locum in primis habet pro inueniendo anno Christi, fatente Eminentissimo Cardinali Baronio ad annum 337. num 67. *faciliùs in notas numeri errores illabi, quàm in integra nomina*, quibus Consulatus designatur. Vnde in Apparatu ad Tomũ Primum Annalium refert illud magni Augustini ex lib. 2. de doctrina Christiana. cap. 28. *Per Olympiadas, & Consulum nomina multa sæpè quæruntur à nobis, & ignorantia Consulatus, quo natus est Dominus, & quo passus est, nonnullos coëgit errare. Ergo quoad Consules spectat*, subdit idem Baronius; *quibus natus est Iesus, tres Eædemque diuersæ reperiuntur fuisse Antiquorum sententiæ; quarum primæ auctor est Epiphanius, secundæ Cassiodorus, tertiæ verò est Seuerus assertor. Testatur Epiphanius in Panar. hæresi 51. natum esse Dominum humani generis Saluatorem Augusto decimum tertiùm, & Siluano Coss. Cassiodorus in Chronico natalem Domini Cornelij Lentuli & Valerij Messalæ, seu Messalini Consulatui consignat. Seuerus autem neutri horum consentiens, annum anticipans, natum Christum dicit Sabino & Rufino Consulibus. Nos verò harum trium duabus extremis reiectis, quasi viam regiam gradientes mediam sequimur.* Atque hæc quidem Baronius, qui dum plures rationes pro sua sententia adducit, veritatem minimè assecutus est ob errorem duorum annorum, quem in postponendis integro biennio priorum sæculorum Consulatibus admisit. Enimuerò Christum natum credidit die 25. Decembris, Consulatu Lentuli & Messalini, & Kalendis Ianuarij sequentis Consulatu Octauiani Aug. 13. & M. Plautij Siluani æram vulgarem inchoauit, quæ æra non cum Consulatu à Baronio assignato coincidit, sed

cum

eum duobus annis subsequitur. Vnde Natiuitatem Christi alio planè tempore, quàm sibi proposuerat, Baronius collocauit.

2. Quamuis enim ex Consulibus rectè colligeretur annus natiuitatis Christi, si is ab Auctoribus coætaneis de fastorum serie apprimè instructis annotatus esset: tamen cum ipso Baronio teste Scriptores, qui annum natiuitatis Christi Consulibus assignarunt, & diu post Christum vixerunt, in Consulibus assignandis non consentiant; potuisset Annalium parens non ex Consulibus tempore natiuitatis, sed potius ex Consulibus tempore mortis Christi Chronologiam vitę eius stabilire. Si enim ex Consulibus hæc quæstio decidenda erat, non ex Consulatu tempore natiuitatis, circa quem plurimi Scriptores Ecclesiastici discrepant, sed ex Consulatu tempore mortis, circà quem conueniunt ferè omnes (Consulatu nimirum Fufi & Rubellionis, seu quod idem est, duorum Geminorum, qui in æram vulgarem 29. incidit) tempus vitæ Christi deducendum erat. Ab hoc namque Consulatu si 33. annos, & tres menses, quibus Christus iuxtà Euangelium vixit, retronumerando computare velimus, reperiemus, natiuitatem Christi incidere in annum ante ęram vulgarem sextum, Iulianum 40. Olympiadis 193. annum 3. quo Augustus agebat à morte Cæsaris annum trigesimum nonum, Herodes ab occiso Antigono trigesimum secundum, ab accepto verò Romę Regno trigesimum quintum, Consulibus Lælio Balbo & Antistio Vetere; vt pluribus argumentis, & testimonijs probabimus sequentibus articulis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Probatur ex tempore, quo mortuus est Herodes, Christi Natiuitatem quinque annis præcedere debuisse æræ vulgaris initium.

1. Sententia de ponenda Christi natiuitate ante æram vulgarem ex morte Herodis, nititur auctoritate Iosephi Hebræi, quæ maximi facienda est in re historica, vt ex Eusebio docetur.

2. Iosephus mortem Herodis quarto ante æram vulgarem anno contigisse refert duplici testimonio; vbi de regni tempore tractat.

3. Iosephi loca, vbi de 15. annis Herodis, eiusque ætate 70. annorum, qua mortuus est, agit, an, & quomodo corrigenda sint, breuiter indicatur, & de primo quidem quo numerus 15. annorum in nume-

rum 25. annorum mutandus est.

4. *Quomodo, & quare locus Iosephi de anno septuagesimo ætatis Herodis in sexagesimum mutari posset.*

5. *Quocumque autem ex his modis Iosephi textus corrigatur, ostenditur, eius historiam Chronologiæ nostræ consonam esse, & Herodem quarto ante æram vulgarem anno obijsse.*

6. *Mortem Herodis contigisse circà Pascha ex seditione Iudæ, & Matthiæ, illorumque combustione eo tempore, quo eclipsis Lunæ contigit, collegerunt Petauius, Henschenius, & Papebrochius, qui vltimus Henschenij sententiam sæpiùs mutauit.*

7. *Patet id ex ijs, quæ dixit de morte Herodis; cum enim eam ante Pascha contigisse Henschenius scripsisset, mutata sententia confessus est, id fieri non potuisse ob actorum multitudinem intrà diem 13. Martij, qua eclipsis Lunæ contigit, & Paschatis festum eodem ferè tempore celebratum.*

8. *Duplex à Iosepho commemoratur seditio; vna Matthiæ, quæ tempore Herodis; alia sequacium, quæ tempore Archelai contigit. Prima nulli Paschatis tempori alligatur, sed anno ante æram vulgarem quarto euenit; neque ex vllo Iosephi loco constat, accidisse die 13. Martij, adeo vt contingere potuerit post Pascha alio quocumque mense vsque ad Nouembrem, quo mense Herodes obijt. Comprobatur id ipsum ex antiquo Volumine de Ieiunijs, quod septimo mensis Casleu Herodis mortem collocat.*

9. *Stabilitur huiusmodi Voluminis auctoritas contrà V. C. Papebrochium, ostenditurque, ante destructum à Tito Templum conscriptum fuisse à Iudæis, qui paulò post Herodis ætatem vixerunt.*

1. INter pleraque argumenta, quibus æræ vulgaris initium stabiliri potest, illud in primis occurrit, quod ex diebus Herodis Regis desumitur, quibus Euangelista Matthæus cap. 2. Christum natum fuisse refert. *Natus*, inquit, *in Bethleem Iuda, in diebus Herodis Regis.* Si namque Herodem ante æræ vulgaris initium mortuum fuisse probari possit ex Scriptoribus Hebræis, qui illis temporibus proximi fuerunt, & ex Scriptura constet, Christum in diebus Herodis natum fuisse; nullus ambigendi locus relinquitur, quin tempus natiuitatis Christi æram vulgarem tot annis præcedat, quot anni inter vtrumque tempus medij intercedunt. Porrò integrum quinquenniū intercedere, ex tempore, quo mortuus est Herodes, hoc capite probandum assumimus, & huius veritatis testem adducemus Iosephum Scriptorem Hebræum, qui cum illis locutus est, quos tempore natiuitatis Christi vixisse, compertum est apud omnes. Quamuis enim nonnulli huius Scriptoris fidem in dubium vocare studuerunt, ea tamen est in rerum narratione illius authoritas, vt Eusebius lib. 3. cap. 9. referat. *Hic Iosephus non modò apud gentem suam, verùm etiam apud Romanos Iudæorum illius temporis facilè præstantissimus habitus fuit: ita vt tum statuæ honore in Vrbe Roma decoraretur, tum libri ab eo industria elaborati confectique in Bibliotheca tanquam monimenta meritò reponerentur. Hic verò rerum Iudaicarum antiquitatem in viginti integros libros redegit. Historiam item de bello Iudaico sua ipsius ætate administrato septem libris conscripsit. Quas res non græco solùm sermone, sed pa-*

patrio etiam se tradidisse, suo ipsius confirmat testimonio. Cui quidem propter reliquas res verissimè ab eo conscriptas, etiam in hac causa fides iure debet adhiberi. Hęc ibi Eusebius iuxtà versionem Christophorsoni, quâ sępius in hoc opere vtemur, addens ex ipsius Iosephi vita, eum tantæ auctoritatis fuisse, vt Titus Imperator ex solis eius libris, *rerum gestarum notitiam hominibus tradi voluerit, eosque propria manu subscriptos in vulgus exire præcepit.* Atque hæc sufficere debent ad authoritatem scriptis Iosephi conciliandam. Nunc ex ijs videndum est, quo tempore Herodes mortem oppetijt.

2. Scribit autem Iosephus libro 17. Antiquitat. cap. 8. postquam retulerat Herodem morbo correptum testamentum condidisse. *Desperata deinde salute, quòd iam ad septuagesimum ætatis annum accederet, mirum in modum efferatus est, iræ impatiens, & amarulentus in rebus omnibus.* Et infrà: *Herodes post mulctatum Matthiam Sacerdotio, alterum Matthiam seditionis auctorem, eiusque socios viuos exussit, in quam noctem etiam defectus Lunæ incidit. Regi verò morbus factus est grauior, pœnam impietatis exigente Numine.* Et infrà: *profectus etiam vltrà Iordanem fluuium calidis aquis se fouebat apud Callirhoem* . . . . . rursus Hierichuntem reuersus *nullam ampliùs salutis spem superesse intelligens, donatiuum militibus quinquagenas drachmas iussit distribui.* Narrat post hæc, delatas Roma literas de punienda pro Herodis arbitrio Antipatri filij perduellione. Et cap. 10. *Quinta die postquam Antipatrum filium occidit, vita defunctus, post detrusum Regno Antigonum anno 34. ex quo autem à Romanis Rex declaratus est, anno 37.* Hæc eadem repetit lib. primo de bello Iudaico, tradens, quòd eodem tempore Herodis morbus crudescere cœperit, quo Iudæ & Matthiæ seditio orta est ob deiectam Aquilam auream suprà Templi portam à Romanis positam, quodque vita defunctus sit anno *post detrusum Regno Antigonum trigesimo quarto*, & post adeptum à Romanis Regnum *trigesimo septimo.* Conuenit autem inter omnes, Herodem à Romanis Regem salutatum anno Augusti Imperatoris quinto, quem Iulianum sextum vocant, hoc est anno ante æram vulgarem quadragesimo, & tertio post anno detrusisse Regno Antigonum. Vndè annus, quo post depositum Antigonum rerum potitus fuit, est annus Augusti octauus, ante æram vulgarem 37. à quo si numeres annos 34. Regni Herodis, incidet eius mors in annum ante æram vulgarem quartum.

3. Atque hæc quidem clara sunt, & extrà controuersiæ aleam posita, quæ ne quisquam ex illis

locis

locis Iosephi, quibus de ætate Herodis agit, infirmare contendat, duo loca adferenda sunt, quæ difficultatem aliquam adferre posse videntur. Primus locus est, vbi Iosephus verbis suprà relatis ait, Herodem in morbum incidisse, *cum ad annum ætatis septuagesimum accederet*. Alter locus est lib. 14. Antiquitatis cap. 17. vbi scribit Herodem, cum à Patre suo Antipatro post prælium Pharsalicum Galileę pręficeretur, adhuc iuuenem fuisse: *Herodi*, inquit, *Galilæam curandam commisit, etiam tum admodùm adolescenti, nec excedenti annum quintum decimum*. Prælium Pharsalicum perfectum est à Cæsare anno ante æram vulgarem 48. Si ergo tempore Pharsalici prælij Herodes quintum decimum tantummodò annum natus fuerit, & septuagenarius postea obierit; vixerit oportet post initam Galilææ præfecturam annis 55. qui si computentur ab anno ante æram vulgarem 48. pertingent ad annum æræ vulgaris septimum (quod nullatenùs conuenit cum ijs, quæ ex historia Iosephi stabiliuimus suprà, anno nimirum ante æram vulgarem quarto hoc est integris vndecim annis anteà Herodem obijsse). Quare ne dicamus, Iosephum tam fœdè sibi contradixisse in illa historia, quæ antiquorum etiam Romanorum consensu, ea, quæ vera sunt, comprehendit: fatendum est, errorem decem annorum, vel in numerum 15. annorum, vel in numerum 70. annorum irrepsisse. Et primum quidem asserunt Possinus, Deckerius, Keplerus, Petauius, quos nuper secutus est Antonius Pagius in Critica Baronij ad annum Periodi Græco-Romanæ 5497., & quod primi rerum Herodis descriptores Ptolomæus, & Nicolaus Damascenus, ex quibus sua Iosephus hausit, non 15. sed 25. scripsisse videantur. Imò nec ab ipso Iosepho quindecim, sed viginti quinque scriptum esse, Norisius Differt. 2. de Cenotaphijs Pisanis, cap. 6. hac ratione probat. Iosephus lib. 14. cap. 12. scribit Antipatro quatuor filios fuisse, Phasaelum, Herodem secundò genitum, Iosephum, ac Pheroram, filiam verò Salomen: ab illo maximè cultum Aretam Regem Arabum, *apud quem*, inquit, *& liberos deposuit, dum bellum contrà Aristobulum gereret*. Hoc bellum gestum est anno Vrbis 689. ante æram vulgarem Christi 65. vt eruditè ostendit Vsserius in Annalibus, & quidem ineunte vere. Nam inter solemnia Paschalia Antigonus intra Hierosolymam ab Areta, & Antipatro obsidebatur, ex Iosepho lib. 14. cap. 3. At anno superiori Antipater ad Aretam Arabum Regem confugiens, eumdem ad bellum contrà Aristobulum suscipiendum sollicitauit, & vt fidem eidem faceret, filios apud illum deposuit. Igitur anno

no Vrbis 688. Herodes viuebat obses Arabi datus, cum maior natu esset Pherora: volo enim concedere Salomen nondum natam. Anno superiori 687. idem Herodes erat puer, hinc ad annum Vrbis 707. anni 20. numerantur vitæ Herodis; ac proindè error codicis Iosephi ex eodem authore corrigi potest.

4. Secunda correctio textus Iosephi de annis 70. tentari posset, si supponatur, quòd Antipater non duos, sed vnum dumtaxat filium tempore belli cum Aristobulo anno Vrbis 689. antè æram vulgarem 65. peracti apud Aretam Arabum Regem deposuerit. Quantum enim ex Iosephi historia lib. 15. cap. 2. colligi videtur, Antipater tunc primùm cum Areta Arabum Rege tractare cœpit de Hyrcano restituendo, tumque Petram Arabiæ peruenit, quum bellum contrà Aristobulum suscepit. Suscepit autem anno antè æram vulgarem 66. vt ex Iosepho deducit Vsserius: Quòd si hac occasione duxerit vxorem illustri inter Arabes loco natam, Cypron nomine, de qua Iosephus lib. 14. cap. 12., anno sequenti vxorem cum vnico filio ex ea suscepto obsidem relinquere potuit, alijs nondum conceptis, aut natis. Porrò Iosephus non affirmat, omnes quatuor Antipatri filios apud Aretam depositos fuisse, sed simpliciter refert, Antipatrum filios deposuisse. *Cassius à Romanis in Syriam missus*, inquit Iosephus, *multa obtinuit, hortante Antipatro, qui plurima apud eum poterat, & maximam inter Idumæos authoritatem habuit, apud quos duxit vxorem illustri inter Arabes loco natam, Cypron nomine, ex qua quatuor ei nati sunt filij, Phasaëlus, & Herodes, qui posteà regnauit, & Iosephus, atque Pheroras, & filia Salome. Hic Antipater alios Dynastas hospitio sibi coniunxit, & amicitia, sed maximè Arabem, apud quem & liberos deposuit, cum bellum contrà Aristobulum gereret.* Audis, Iosephum non loqui de quatuor filijs & filia vnica apud Aretam depositis, sed solùm affirmare, quod Antipater liberos apud Aretam deposuit, quod verum esse potest, etiamsi vnum, aut duos liberos, Herode nondum nato, apud Aretam Regem deposuerit? Deindè non refert Iosephus, liberos deposuisse initio belli contrà Aristobulum suscepti, sed cum bellum contrà Aristobulum gereret. Gessit autem integro decennio: non enim bellum contra Aristobulum primo anno finitum est, sed cum Alexander filius, posteà Aristobulus pater ex vinculis Roma profugi Iudæam incursionibus vexarent, diù bellum continuatum est, & Romanis in auxilium vocatis vix finem illud accepit anno ante æram vulgarem 55. Tunc enim, vt rectè Vsserius obseruat, Gabinius Syriæ Præses col-

collatis cum Alexandro Aristobuli filio signis, decem millia Iudæorum internecione deleuit, aliosque viginti mille fugauit, & Vrbis Hierosolymitanę res ex Antipatri sententia statutæ sunt: adeòque tunc primùm finem accepit bellum, quod Antipater cum Aristobulo, eiusque filio Alexandro gessit; occasione cuius Antipater liberos suos apud Aretam Arabum Regem deposuit. Quod cum Iosephus nulli determinato belli tempori assignet, facere potuit ante initum vltimum conflictum, qui tantùm sex, aut septem annis Pharsalicũ prælium præcessit: adeò vt Herodes, qui tempore Pharsalici prælij 14. aut 15. annos natus fuit, tempore conflictus à Gabiniano initi, octo annorum ætatem habuerit, sicque stante Iosephi testimonio, nihil sit, quod 15. annorum numerum in 25. annos mutari cõgat, sed retineri posse videatur vulgata Iosephi lectio 15. annorum, quem numerum Rufinus in versione Latina, & Photius Cod. 238. Bibliothecæ in textu Græco retinent. Accedunt illa, quæ Iosephus adiungit de Herodis adolescentia, ex quibus colligi potest, nullum errorem in numerum 15. annorum irrepsisse: refert enim, Herodem admodùm adolescentem fuisse, & præter omnium expectationem in iuuenili illa ætate res præclaras gessisse. Quæ omnia anno decimoquinto ætatis adeò rectè conueniunt, vt quis conijcere possit, locum illum Iosephi integrum esse, nullumque mendum in illum irrepsisse; sed potiùs errorem, vel mendum esse in anno septuagesimo, quo mortuus dicitur, & loco *septuaginta* legendum, vel substituendum esse *sexaginta*.

5. Quidquid autem sit de hac correctione textus Iosephi, pro qua, cum nullam antiquorum Codicum lectionem, nullum antiqui Authoris testimonium repererim, eam prudentis Lectoris iudicio relinquendam esse iudicaui. In præsenti namque sufficit, quòd siue anni 15. in 25. mutentur, siue 70. in 60. certum & firmum manere debeat, Herodem mortuum fuisse anno antè æram vulgarem quarto. Siue enim supponamus, Herodem anno ætatis decimoquinto præclara illa fecisse, quæ Iosephus commemorat, & anno sexagesimo obijsse; siue anno 25. præclarè se gessisse, & anno ætatis 70. mortuum esse, tota Iosephi historia respondebit. Si namque anno antè æram vulgarem quadragesimo septimo, qui prælium Pharsalicum subsequitur, Herodes annum ætatis decimum quintum, siue vigesimum quintum agebat, semper verum erit, quòd post decem annos ab Herode & Sossio Romanorum Duce capta sit Hierosolyma, vt Iosephus narrat lib. 14. cap. 28. illaque clades incidet in *Consulatum Agrippæ & Canidij Galli*, qui Consulatus cum

anno

anno ante æram vulgarem 37. concurrit: manebit quoque, post captam Hierosolymam & occisum Antigonum Herodem 34. annis regnasse, vt Iosephus lib. 17. de antiquitatibus Iudaicis, & lib. 1. de bello Iudaico constanter affirmat. Ad calculos procedamus: quindecim, decem, & triginta quatuor anni simul sumpti efficiunt annos 59. completos, quibus si aliquot menses prætermissos addas, habebis annum sexagesimum: vel si aliam correctionem sequi velis, viginti quinque, decem, & triginta quatuor anni cum aliquot mensibus efficient annum ætatis Herodis septuagesimum, quo mortuus est. Et hæc quidem de annis Herodis ex ipsa Iosephi historia. Videamus iam, quomodò hi anni ætatis Herodis annis quoque Augustorum, & Olympiadum respondeant. Anno ante æram vulgarem 47. qui fuit secundus annus Olympiadis 183. & Iulij Cæsaris secundus, Herodes agebat vel annum ætatis 15. vel vigesimum quintum, quem & aliquot menses prætergressus erat: post decem annos capta fuit Hierosolyma, occisusque ab Antonio Antigonus, quod contigit Olympiadis 185. anno quarto, Octauiani Cæsaris à morte Iulij Cæsaris septimo. Post captam Hierosolymam obijt Herodes, vel ætatis 70. vel 60. anno, Regni 34. qui est Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ primus, Octauiani Augusti à morte Cæsaris 41. & annus ante æram vulgarem quartus, cum iam antecedenter natus esset Christus. Hæc annorum computatio clara est, & accuratè cum Chronologia nostra conuenit, quocumque ex duobus modis supradictis textum Iosephi corrigendum esse putes.

6. Cum itaque annum mortis Herodis assignauerimus, restat, vt de mense, & die, quibus obijt, nonnulla addamus. Credidit post Petauium Godefridus Henschenius, mortem Herodis contigisse ante Pascha, idque ob Lunæ Eclipsim, quam Iosephus testatur Hierosolymis visam fuisse ea nocte, qua Herodes iusserat Matthiam, & seditiosos Iudæos comburi. Ego verò post accuratissimum calculum à Viro Erudito hac de re initum comperio, duas hoc anno Eclipses Lunæ contigisse: priorem die 12. Martij, (& non 13. vt asserit Petauius,) horis post meridiem antecedentis diei 11. ad Meridianum Hierosolymæ circiter 9½. digitorum, præter propter 9. alteram verò Eclipsim Lunæ spectari potuisse Hierosolymis die quinta labente mensis Septembris eiusdem anni, nempè nocte sequente diem quartam, horis post meridiem eius Vrbis pariter 9½. cum simili obscuratione digitorum pariter 9. Ex quibus intelligi, & solui possunt quæcumque ex Petauio adducuntur hac de re à V. C. Daniele Papebrochio. Pu-

C tat

tat namque Eclipsim contigisse die 13. Martij ante Pascha, & fuisse digitorum pene sex, nullamque aliam Eclipsim ante Pascha sequentibus aliquot annis contigisse, aut Hierosolymis visam fuisse, eaque mortem Herodis prænuntiatam esse. *Vnde occiso filio Antipatro superfuit dumtaxat diebus quinque, & mortuus est ante Pascha*. Ita post Henschenium refert in apparatu ad Chronologiam Pontificiam Papebrochius. Pro quorum sententia, ne quidquam omittamus ex ijs, quæ ad eius confirmationem facere videntur, operæ pretium iudicaui nonnulla adiungere, quæ traduntur à Iosepho lib. 17. cap. 11. nimirùm post mortem Herodis quosdam nouarum rerum cupidos per conuenticula defleuisse Matthiam, & socios eius. *Hi enim, quoniam metu coërciti non ausi fuerunt luctu honorare Aquilæ aureæ violatores recens neci traditos, tunc cum clamoribus, & eiulatu in defunctum Regem iactabant conuitia, quasi in mortuorum solatium*. Additque coërcitos fuisse; *cum festum instaret, quo patrium Iudæis est, vesci non fermentatis panibus, Pascha vocant monumentum veteris ex Aegypto effugij*. Ex his autem Iosephi verbis, & nullis alijs, Viri Eruditi collegerunt, Matthia & socijs die 13. Martij occisis, Herodem ante Pascha occubuisse, & statim post Herodis obitum nouarum rerum cupidos luctu honorasse Matthiam, sociosque recens neci traditos, & ipso Paschatis tempore coërcitos fuisse. De quibus Papebrochius in Consultatoria tertia ad me epistola, quam Paralipomenis ad conatum historico-Chronologicum inseruit. *Hæc omnia acta esse ante Pascha ipsius illius anni, quo obijt Herodes, certissimum fit ex cap. 11. si quid vnquam ex vllo Iosephi loco haberi certum potest. Dicit enim, quòd interea dum supranotata agebantur, conturbatus Archelaus fuerit importunitate eorum, qui instante Paschate per ipsos azymorum dies conglobati ad mortem postulabant Herodis amicos, in vltionem Doctorum suorum Iudæ, & Matthiæ: in quos cum totum exercitum idem Archelaus immisisset, ac cæsis eorum tribus millibus dissipasset turbam, ad mare descendit vnà cum amicis, Romamque nauigauit, quò paternum Regnum sibi confirmari impetraret. Hæc autem nauigatio sicut immediatè secuta est Pascha, sic ipsum immediatè præcessit seditio iam dicta, & ante illam plusquam duodecim, vel octodecim diebus non potest obijsse Herodes*. Hæc ibi Papebrochius, qui cum à via ab Henschenio indicata semel deflectere cœpit, nullibi locum reperit, in quo pedem figere potuit, sed huc, illucque incedens, semitam frustrà quæsiuit.

7. Exemplo esse potest, quod retu-

retulerat ex Henſchenij mente de morte Herodis poſt Matthiæ, & ſeditioſorum combuſtionem antè Paſcha, quod in Conſultatoria ad Poſſinum epiſtola retractat, eo quòd non ſufficiens tempus reperiatur ante Paſcha grauibus illis morbis, & pleriſque actis, quæ Ioſephus poſt ſeditioſorum combuſtionem de Herode commemorat. Quàm rectè autem hæc ſcripta fuerint à Papebrochio, ex ipſo Ioſepho oſtendi poteſt, qui poſt ſeditioſorum combuſtionem narrat, *quòd Regi morbus factus ſit grauior, pœnam impietatis exigente Numine; & tametſi grauiùs affligeretur, quàm vt videretur poſſe morbo perferendo ſufficere, tamen euaſurum ſeſperabat, accerſendis Medicis intentus, & medicamentis conquirendis vndique; profectus etiam vltrà Iordanem fluuium, calidis aquis ſe fouebat apud Callirrhoen . . . . Ibi de medicorum conſilio immiſſus fouendus in refertum oleo. dolium, viſus eſt illis agere animam. Quare exorta comploratione familiarium excitatus, & ad ſe reuerſus nullamque ampliùs ſalutis ſpem ſupereſſe intelligens; donatiuum militibus quinquagenas drachmas iuſſit diſtribui, magna deinde liberalitate vſus in Duces, atque amicos, rurſus Hierichuntem reuerſus eſt.* Adiungit poſteà, Herodem minaci edicto è tota ditione ad ſe vocaſſe nobiliores Iudæorum, pœnam capitis intentando non parentibus, vniuerſoſque concluſiſſe in circo, ac Salomæ ſorori mandaſſe, vt eos poſt obitum ſuum interfici curaret; poſt hæc reſponſum Roma accepiſſe, quo poteſtatem obtinebat pro arbitrio ſtatuendo de Antipatro; teſtamentum mutaſſe; Antipatrum filium iuſſiſſe interfici; diebus demùm quinque à morte Antipatri exactis, Herodem obijſſe. Hæc omnia Ioſephus inter combuſtionem Matthiæ, & Herodis obitum contigiſſe narrat, quæ nemo non videt, longiori tempore indiguiſſe, quàm quod inter decimum tertium Martij, & Paſchatis feſtum interceſſit. Hæc autem licèt clara ſint, & perſpicua, rursùs tamen in Conſultatoria ad me Epiſtola à Papebrochio retractata ſunt. Qua ratione autem id ab ipſo factum ſit, omninò ignoro. Quod enim ex capite 11. Ioſephi allegat tanquam certiſſimùm clariſſimumque fundamentum pro Herodis morte ante Paſchatis feſtum ponenda, mihi infirmum videtur.

8. Vt enim ea omnia, quæ contra noſtram ſententiam ex ſupradicto teſtimonio adduximus, breuiter refutemus, quamuis in vulgata Ioſephi editione habeatur, Matthiam, & alios Aquilæ aureæ violatores *recens morti traditos fuiſſe*, dum eorum ſequaces poſt obitum Herodis ſeditionem excitarunt, indèque ſequi videatur, paruum tempus inter combuſtionem ſeditioſorum, & tu-

tumultum ſequacium interceſſiſſe; miror tamen, viros eruditos non perſpexiſſe, verbum *recens* deſiderari in greço; cuius textus ita habet apud Ioſephum: οἱ παραχρῆμα τῆς εἰς τὸ πενθεῖσθαι τιμῆς φόβῳ τῷ ἐκείνου ἀπεστέρουντο, ὅσαν δὲ οἱ τῶν ἐπὶ καθαιρέσει τοῦ χρυσοῦ αἰετοῦ καταδεδικασμένοι: *qui confeſtim ob metum illius cohibiti ſunt luctu honorare; Aquilæ aureæ violatores neci traditos.* Non igitur ſcribit Ioſephus, Matthiam & ſocios *recens* morti traditos fuiſſe, dum ſequaces eorum ſeditionem excitarunt, vt habet verſio vulgata; ſed dicit ſolummodò, neci traditos fuiſſe: quod verum eſſe poteſt, licèt inter combuſtionem Matthiæ, & ſequacium luctum, multum temporis interceſſerit, ſicut interceſſiſſe ex ipſo Ioſepho oſtendi poteſt. Enimuerò ſeditio Matthiæ, & ſequacium non vna, eademque fuit, ſed duplex extitit. Altera enim à Matthia excitata eſt tempore Herodis ob Aquilam auream, idque dudum poſt Paſcha contingere potuit, cum Ioſephus de hac ſeditione agens, nullibi Paſchatis meminerit; altera à ſequacibus Matthiæ, qui tempore Herodis non auſi fuerunt luctu honorare Aquilæ aureæ violatores, poſt mortem Herodis moueri cœpit, & ſub Archelao Herodis filio circa Paſchatis tempus contigit. Conſtabit autem ex infrà dicendis, primum Paſchatis feſtum ſub Archelao anno ante æram vulgarem tertio celebratum fuiſſe, cum prima ſeditio anno ante æram vulgarem quarto accidiſſet, adeòque multùm temporis inter vtramque ſeditionem interceſſiſſe. Vt autem ſatisfiat Petauio monſtranti, Eclipſim anno quarto ante æram vulgarem contigiſſe die 13. Martij circa Paſcha; animaduertendum eſt, non oſtendi à Petauio, hanc eſſe Eclipſim, quæ combuſtionem Matthiæ, & ſociorum præceſſit. Eodem enim anno alia Eclipſis Hieroſolymis conſpicua fuit, vt ſuprà monſtrauimus; & de illa ſecunda egit Ioſephus, dum Matthiæ, & ſeditioſorum combuſtionis meminit; duæ namque Eclipſes eodem anno contigêre, & vbi altera menſe Martij viſa eſt Hieroſolymis, altera die quinta menſis Septembris ibidem conſpicua fuit, adeò vt Herodes menſe Nouembris extremum diem obire potuerit, prout tunc obijſſe teſtatur Iudæorum Ieiunij volumen; quod 7. menſis Chiſleu, id eſt Nouembris noſtri die 25. obitum Herodis collocat his verbis cap. 9. pag. 45.

בשבעה ביה יוםם טוב
יום שמת הורודוס מפני
שהיה הורודוס שונא את
החכמים ששמחת היא
לפני המקום כשהרשעים
מסתלקין מן העולם שנ
שנאמר וגם יד יהוה היתה
בם להמם וגו׳ וכתוב ויהי
כאשר תמו כל אנשי המ
המלחמה למות מקרב
העם וכתוב וידבר יהוה
אלי

אלי לאמר וכן הוא אומר איש טוב זה ואל בשורה טובה יבא ואומר ויצו המ המלך את בניהו בן יהוידע ויפגע בו וימיתהו וגו' ובא ובאותו היום שמת הורו הורודוס עשותו יום טוב :
Septimo die huius festum fit, eo quòd mortuus fuerit Herodes, quoniam odio habuerat Herodes sapientes: gaudium enim est coram Domino, cum ex orbe deficiunt impij; quoniam scriptum est: Etenim manus Domini fuit aduersum eos, vt interirent de medio castrorum. Scriptum quoquè est: Postquam autem vniuersi ceciderunt pugnatores. Iterum scriptum est; Et locutus est Dominus ad me dicens: Etiam sic dicit ille (Rex Dauid) *vir bonus est, & in bonum nuncium veniet. Dixit quoquè: Et præcepit Rex* (Salomon) *Banaiæ filio Ioiadæ, & irruit in eum, & interfecit eum &c. Et in eo die, quo mortuus est Herodes, instituerunt festum diem.* Huius loci verba debeo V. C. Ioanni Pastritio Græcè, & Hebraicè docto, & in Collegio de Propaganda Fide Sacræ Theologiæ Lectori, cum iam primùm frustrà quæsiuissem hoc Ieiunij volumen, cuius his verbis meminerat Iacobus Vsserius parte 2. Annalium ad annum ante æram vulgarem quartum: *Circa Nouembris nostri diem 25. septimo videlicet Cisleu mensis, qui idcircò à Iudæis vt dies lætus & festiuus celebratur, quòd in eo Herodes, qui sapientes odio prosecutus est, mortem obierit, vt ex volumine Ieiunij in Chronologia sua notauit Edouardus Linellius Vir doctissimus.* Hæc Vsserius, qui locum non vidit, quem ex ipso Iudæorum volumine citauimus, ex quo V. C. Daniel Papebrochius colligere potest, quàm longè à vero aliena sunt, quæ de versione huius textus obiecit.

9. *Enimuerò*, inquit, *& ex ipsius libri titulo suspicari incipio, diem VII. Casleu ibidem notari, non vt festiuo agendum gaudio, sed vt mœsto ieiunio recolendum, vtique non causa Herodis, qui sapientes occidit, sed ipsorummet sapientum, qui ab Herode interempti fuerunt: & fortè leui punctorum mutatione inuenitur factum, vt interpreti actiuum pro passiuo obrepserit, & sic contrarius factus sit sensus.* Quis enim non videt hæc omnia sola textus lectione refutari posse, cum adeò certum sit, iuxtà volumen Ieiunij festum diem institutum fuisse die 7. mensis Casleu ob mortem Herodis, quæ tunc contigit, vt id bis repetatur, & rectè factum esse, ex pluribus Scripturæ locis comprobetur? Quòd si quis de textus germanitate dubius hæreat, editum iterum fuit hoc Ieiunij volumen cum Rabbinorum Commentarijs, & signanter Amstelodami anno 1659. cum Commentarijs Rabbi Halleui, qui Commentarios suos de-

desumpsit ex Rabbi Salomone, & additionibus Tosaphòth Talmudicis. Dicit autem Abraham Halleuì, quòd hoc opus scriptum sit à socijs Rabbi Elièzer Ben Chaninà ben Ezechiæ, Ben Garòn: idque ex ipso textu voluminis comprobat, vtpotè in quo capite 12. & vltimo ad finem legitur. *Et quis scripsit volumen Ieiunij? Socij Rabbi Eliezer Ben Chaninà, Ben Ezechiæ, Ben Garon scripserunt volumen de ieiunio. Et quarè scripserunt illud? Eo quòd nondum instructi erant in tribulationibus.* Fuit autem Chaninà pater Eliezeris, de quo Rabbi Abraham Zacutus in libro Iuchassin editionis Cracouiensis pagina 57. *Chananiah Ben Ezechiæ filij Garonis: iam exposuimus verba eius superiùs, quòd fuit tempore ædis, & exposuit librum Ezechielis, & scripsit volumen Ieiunij.* Et Abbas Bartolocius Parte 2. Bibliothecæ Rabbinicæ, pag. 847. *Chananiàh Ben Chiskia* (Ezechiæ) *Ben Garon, floruit tempore ædis secundæ adhuc persistentis.* Paulò nimirùm post mortem Herodis, antequam templum destructum fuit per Titum. Ex quibus constat, quòd hoc Ieiunij volumen omninò antiquissimum sit. Vndè hac in parte satisfactum est alteri difficultati Papebrochij inquirentis, satis ne vetus liber is sit? Antiquissimus enim est, & omni exceptione maior est eius auctoritas, adeò vt totum illud Ieiunij volumen abijciendum non sit è manibus, neque ad cæteras Iudaicæ gentis quisquilias ablegandum, vt V. Cl. Papebrochius loquitur in epistola Consultatoria nomini meo inscripta num. 6. Sanè inter Iudæorum fabulas testimonium huius voluminis non abiecit Vsserius, sed rectè ex illo opere septimo mensis Casleu, id est die 25. Nouembris anno ante æram vulgarem quarto, Herodis mortem posuit, & veræ Chronotaxi accessit, comprobans Christi natiuitatem, quæ die 25. Decembris viuente Herode contigit, annum ante æram vulgarem quartum præcedere debuisse; quod primo argumento ex Herodis obitu desumpto probandum suscepimus.

AR-

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quod Christi Natiuitas ante Æra vulgaris initium ponenda sit; ex tempore, quo Principatum adeptus est Archelaus, & postmodùm in exilium missus fuit, ostenditur.

1. Secundò constat de anno natiuitatis Christi ex initio Principatus Archelai, de quo Iosephi testimonia adferuntur.

2. Duplex initium Principatus eius; quorum alterum post mortem Herodis in Iudæa, alterum post aduentum Romam. Romæ autem fuit anno ante æram vulgarem tertio, quo solum Caium, non verò eius fratrem Lucium in Consilio vidit.

3. Archelao in Iudæam reuerso, S. Ioseph ex Ægypto redit, audiens Archelaum in Iudæa regnare pro Patre, secessit in Galilæam extra ditionem Archelai constitutam.

4. Tertiò constat de anno natiuitatis Christi ex tempore, quo Archelaus in exilium missus est.

5. Id enim, teste Iosepho, decimo anno Regni à morte Herodis, non verò à confirmato per Augustum Principatu contigit, Consulatu Lepidi & Arunti, vt testatur Diò Cassius.

1. SEcundum argumentum pro Christi natiuitate ante æram vulgarem ponenda, desumitur ex initio Principatus Archelai, testante Euangelista Matthæo cap. 2. quòd post mortem Herodis Angelus apparuit *in somnis Ioseph in Aegypto, dicens: surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Israel &c. Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode Patre suo, timuit illò ire, & admonitus in somnis secessit in Partes Galilææ, & veniens habitauit in Ciuitate, quæ vocatur Nazareth.* Atque ita Euangelium, ex quo certissimè constat, Christum Dominum ex Aegypto redijsse post mortem Herodis, regnante pro Herode eius filio Archelao. Quarè videndum restat, quo anno Archelaus in Iudæa regnare cœpit. Agit de initio Principatus Archelai Iosephus lib. 17. cap. 10. his verbis: *Et Herodes quidem sic defunctus est: Archelaus autem per septem dies iuxta patriam legem luctu parentis celebrato, & in fine luctus funebri epulo multitudini præbito, in templum ascendit, & quacumquè transiret, excipiebatur gratulationibus, ac faustis acclamationibus. Tum conscenso suggesto sublimis in aureo solio residens accipiebat lætas gratulatrices voces fauoris indices.* Capitibus sequentibus narrat Iosephus, quomodò Archelaus de inua-

inuaso absque Augusti auctoritate Throno paterno, Romæ accusatus fuerit, eaque de re Vari Syriæ Procuratoris literæ ad Vrbem delatæ sint, *quibus auditis*, inquit Iosephus lib. 17. cap. 11. *iussit Augustus, vt Archelaus causam dicturus Romam contenderet; quò cum venisset, Cæsar amicos in Consilium aduocat, & in his Caium Agrippæ, & Iuliæ filiæ suæ filium jam à se adoptatum, primum ei locum in Con-* & cap. 13. *sistorio tribuens*: demùm causa examinata, *Archelaum non Regem declarat, sed dimidia parte ditionis, quæ Herodis fuerat, ei concessa, Ethnarcham eum constituit, Regnum quoquè pollicitus, quam primùm ille se tali honore dignum redderet*. Sicque teste Iosepho cap. 15. *Archelaus iam Ethnarcha in Iudæam reuersus* est.

2. Duplex, vt ex his Iosephi locis colligitur, statui potest Principatus Archelai initium: primum à septimo die post obitum Herodis, à quo tanquam Rex in Iudæa salutatus est à Populo: secundum à confirmato per Augustum Archelai Principatu super Iudæam, Idumæam, & Samariam, quod eo tempore factum est, quo Caius Augusti nepos Romæ versabatur, & primum in Consilio locum obtinebat. Fuit autem Caius Romæ vsque ad annum ante æram vulgarem secundum, quo per aliquot menses inchoato missus est ab Augusto ad Istrum, ac anno sequenti ante æram vulgarem primo, post exhibitam ab Augusto Naumachiam, profectus est in Orientem contra Parthos, post quod tempus numquam Romam reuersus est. Nam anno æræ vulgaris quarto, dum reditum cogitabat, in itinere obijt, *Sexto Aelio Cato & Caio Sentio Saturnino Coss.*: cum Augustus annum Tribunitiæ potestatis *vigesimum quartum* ageret, vt refert Cenotaphium Pisanum. Archelaus itaque Romàm venit ante annum illum, quo ad Istrum perrexit Caius; perrexit autem, vt diximus, anno ante æram vulgarem secundo: quarè ante prædictum tempus Romam venit Archelaus. Idque ex eo etiam confirmatur, quòd solum Caium in Consilio viderit, non verò fratrem eius Lucium, qui Consilio interfuisset, si illud post annum ante æram vulgarem tertium habitum fuisset. Lucius namque initio anni ante æram vulgarem secundi Caio æquatus fuit, scribente Suetonio de Augusto. *Decimum tertium Consulatum biennio post duodecimum petijt, vt Caium, & Lucium filios amplissimos præditos Magistratu, suo quemque tyrocinio deduceret in forum*. Consulatum 13 inijt Augustus Kal. Ianuarij anni ante æram vulgarem secundi, quo anno Lucius locum inter Senatores obtinuit, adeò vt ante hunc annum Archelaus Romæ fuerit, quo so-

lus

lus Caius in Consilio comparuit. Archelaus igitur anno ante æram vulgarem tertio post Pascha Romam venit, cum iam anno antecedente post septem dies ab Herodis obitu, id est circa secundum diem Decembris, regnare cœpisset.

3. His præmissis, memoriæ repetenda sunt verba Euangelistæ Matthæi cap. 2. vers. 14., vbi scribit, Christum ex Aegypto redijsse post obitum Herodis: *Secessit in Aegyptum, & erat ibi vsque ad obitum Herodis*. Et infrà versu 19. *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israël, defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri*. Vbi in primis notanda sunt illa verba Euangelistæ: *Et erat ibi vsque ad obitum Herodis*. His enim apertè significat, Christum post obitum Herodis non mansisse in Aegypto, sed statim ac Herodes obierat, ex Aegypto discessisse, quod idem Euangelista his verbis confirmat: *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto dicens: Surge, & vade in terram Israel*; vbique enim *ecce* in Scriptura sacra accelerationem significat. Vnde Iosephus accipiens puerum, & matrem eius, se itineri commisit, antequam fama de successione Archelai ad Aegyptum peruenisset, testante Euangelista capite superiùs citato, vers. 22. *Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Patre suo, timuit illò ire, & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ, & habitauit in Ciuitate, quæ vocatur Nazareth*. Quasi diceret, Iosephum, cum terræ Iudæ appropinquaret, audiuisse, Archelaum Regem creatum, & super Iudæam, non verò super Galilæam positum, quæ à Iosepho lib. 17. cap. 10. perspicuè explicantur, dum de Herodis testamento agit; *Mutata voluntate, mutauit etiam testamentum. Antipatrum enim, quem prioribus tabulis regni successorem destinauerat, Galilææ, ac Peræa Tetrarcham constituit. Regnum verò Archelao largitus*. Post mortem igitur Herodis, antequam Archelaus Romam venit, & ab Augusto pro Regis titulo Ethnarchæ nomen obtinuit, ex testamento paterno tanquam Rex Iudæam gubernauit, & Antipater Tetrarcha Galilææ fuit, tumque Iosephus ex Aegypto rediens, non in Iudæam, *vbi Archelaus regnabat*, sed in Galilæam, quæ Antipatro parebat, secessit. Itaque ex his omnibus manifestè patet, Christum ex Aegypto redijsse eo tempore, quo post mortem Herodis Archelaus regnare cœpit, quod anno ante æram vulgarem quarto contigit, initio mensis Decembris; & Christi natiuitatem, quæ diei 25. Decembris iuxtà omnium Ecclesiarum tradi-

tionem assignanda est, annum anteæram vulgarem quartum necessariò præcessisse.

4. Simile argumentum de postponendo ad aliquot annos post Christi natiuitatem æræ vulgaris initio, desumitur ex tempore, quo Archelaus regnare desijt, de quo Iosephus lib. 17. Antiquitatum Iudaicarum, cap. 15. scribit: *Decimo autem Principatus Archelai anno, primates tam Iudæorum, quàm Samaritarum non ferentes eius tyrannidem, detulerunt eum ad Cæsarem, maximè cum scirent, eum contrà ipsius mandatum fecisse, à quo iussus fuerat, ex æquo & bono præesse subditis. Hoc audito Cæsar ira commotus, accersit Procuratorem eius Romæ agentem, & ipsum Archelaum nomine, nec dignatus quidquam scribere, Vade, inquit, & quamprimùm illum ad nos deducito. Qui accelerata nauigatione in Iudæam delatus, reperit eum cum amicis in conuiuio, indicataque voluntate Cæsaris, ad profectionem hortatus est. Mox vbi venit, Cæsar auditis eius accusatoribus, & ipsius defensione, misit eum Viennam in exilium, quæ est Vrbs Galliæ, mulctatum priùs omni pecunia.* Præclarum est hoc Iosephi testimonium, in quo nihil est obnoxium dubitationi, præter id, quod de vno Archelai regnantis anno in medium afferri posset. Quod enim loco superiùs citato ait, contigisse anno Archelai nono, hoc ad decimum annum posteriori loco refert. *Memor*, inquit, *discordiæ superioris Archelaus non solùm Iudæis, sed etiam Samaritensibus crudeliter abusus est: nonoque Principatus sui anno legatis contrà se ab vtrisque ad Cæsarem missis, ipse quidem in exilium pellitur Viennam Galliæ, patrimonium verò eius fisco Cæsaris adiudicatur.* lib. 2. bell. Iud. cap. 6.

5. In hoc loco cum priori conciliando valdè laborat eruditus Norisius in Cenotaphio Pisano, Dissert. 2. pag. 148. & 149. quem tamen facilè quisque conciliabit, qui annotabit, vno loco Archelai Principatum numerari à septimo die post mortem Herodis, & alio loco à confirmato per Augustum eius Principatu super Iudæam, Idumæam, & Samariam, quod post primum eius Romam aduentũ contigit, à quo anno Eusebius in Chronico Archelai annos inchoat, dum scribit: *Iudæorum Dux Archelaus annis nouem.* Et auctor anonymus Græcus in præstantissimo Codice Vrbinate, qui ante sexcentos annos Constantinopoli scriptus est: *Regnauit verò post Herodem Archelaus filius eius annis nouem, & missus est in exilium in Galliam.* Adeò vt anno à confirmatione Augusti nono, à morte Herodis decimo in exilium missus sit Archelaus. Quod Dio Cassius Vir Consularis, qui ante mille quadringentos, & quadraginta annos Romæ scripsit, non ignoras-

se

se, sed ex veteribus Historicis, aut tabulis antiquis didicisse videtur, referens eius exilium contigisse *Lepido, & L. Aruntio Consulibus*. Lib. enim 88. ita ad prædictum Consulatum scribit: *Herodes Palæstinus à fratribus accusatus, trans alpes est relegatus, ac pars eius ditionis in publicum redacta*. Ex loco exilij, & occupatione ditionis per fiscum facta patet, à Dione perperàm hic Herodem nominari loco filij eius Archelai, qui & Palæstinus erat, & trans alpes relegatus fuit; & partem ditionis amisit, vt ex Iosephi testimonijs colligere licet. Cum autem Archelaus Herodis filius à Cæsare Augusto relegatus sit in Gallias Consulatu Lepidi, & Aruntij, qui in annum æræ vulgaris sextum incidit: Ab hac si decem annos Principatus retro numerando computare velimus, manifestè patebit, Archelaum regnare cœpisse anno antè æram vulgarem quarto, quod rectè conuenit cum ijs, quæ suprà de morte Herodis, & de initio Principatus Archelai ex Iosepho audiuimus. Adeò vt planè certum esse videatur, quòd Christus Dominus anno antè æram vulgarem quarto iam natus fuerat, quandoquidem adhuc viuente Herode in Aegyptum fugerit, & tunc ex Aegypto redierit, dum Archelaus pro patre suo Herode in Iudæa regnare cœpit.

ARTICVLVS TERTIVS.

Confirmantur superiùs dicta ex Nummo Herodis Antipæ, qui Galilææ Tetrarcha fuit.

1. *Describitur nummus Herodis Antipæ sub Caio Caligula anno Tetrarchiæ Herodis 43. in Syria cusus.*

2. *Herodes iste Tetrarchiam Galilææ obtinebat; quo tempore Christus ex Aegypto rediit, illeque est, qui tempore passionis Christi Hierosolymis versabatur, vt ex Euangelio constat.*

3. *Principatum autem tenuit ab Herodis Magni obitu, anno ante æram vulgarem quarto, vsque post alterum Caij Caligulæ annum, quo Puteolis cum Caio locutus est, vt ex Iosepho, & Dione probatur.*

4. *Id enim tertio Caij anno contigisse vlterius ostenditur.*

5. *Non statim ac à Caio correptus fuit, Tetrarchia ipsius Agrippæ collata est; illud enim anno Caij quarto contigit, vt Iosephi testimonio probatur.*

6. *Ex his concluditur, nummum Herodis Antipæ rectè annum 43. Tetrarchiæ exprimere, illiusque fide, & authoritate sententiam eorum euerti, qui Christum anno æræ vulgaris primo natum volunt.*

7. *De nummi antiquitate constat ex nota temporis eidem inscripta: litera enim L. latina in nummis Græcis antiquitùs in Aegypto, & Palestina cusis annum significat.*

1. POstquam Archelai tempus examinauimus; fratris eius Herodis tempus examinandum suscipimus occasione

præſtantiſſimi eius nummi, quem nunc primùm è tenebris erutum publicæ luci donauit V. Cl. Henricus Norisius in Appendice Operis ſui, quod de Epochis Syro-Macedonum inſcripſit. Nummum illum ex Muſæo D. Rigordi Patricij Maſſilienſis acceperat V. Cl. Antonius Magliabechius, qui eum cum Noriſio communicauit, prout in Appendice huius Operis à nobis excuditur. In priori parte nummi ærei ac minimi moduli legitur intrà lauream. ΓΑΙΩ ΚΑΙΣ ΓΕΡ... ΝΙΚΩ. *Caio Cæſari Germanico*. In altera verò parte exhibetur ramus palmæ cum hac inſcriptione. ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ. L. ΜΓ. *Herodes Tetrarcha anno quadrageſimo tertio*. Quo in nummo tria omninò notatu digna occurrunt: primò quidem nomen Herodis Tetrarchæ: ſecundò annus eiuſdem Tetrarchiæ quadrageſimus tertius; tertiò nomen Caij Cæſaris. De quibus omnibus hoc articulo inquirendum eſt, vt prædicti nummi fide conſtet de tempore natiuitatis Chriſti, quod antè æram vulgarem ſtatui debere, eius auctoritate comprobabimus.

2. Vt autem primùm de nomine Herodis agamus, ille omninò eſt cognomento Antipas, quem eius pater Herodes Magnus condito priori teſtamento Regni hæredem conſtituerat: *verùm morti proximus*, vti ſcribit Ioſephus lib. 17. Antiq. cap. 10. *mutata voluntate, mutauit etiam teſtamentum. Antipam enim, quem prioribus tabulis ſucceſſorem deſtinauerat, Galilææ ſimul ac Peraæ Tetrarcham conſtituit*. Antipas igitur præfuit Galilææ, ad quam teſte Euangeliſta, Ioſephus ex Aegypto rediens ſe contulit. *Audiens enim, quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire: & admonitus in ſomnis ſeceſſit in partes Galileæ, & veniens habitauit in Ciuitate, quæ vocatur Nazareth: vt adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetam. Quoniam Nazaræus vocabitur*. Ioſeph igitur cum Maria, & puero IESV reuerſi ſunt in Nazareth ciuitatem Galilææ, cui regioni diù poſt reditum ex Aegypto præfuiſſe Herodem, teſtis eſt S. Lucas cap. 3. dum affirmat, anno 18. Tiberij Cæſaris Tetrarcham Galilææ fuiſſe Herodem. *Anno autem 15. Imperij Tiberij Cæſaris procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galileæ Herode*. Atque hic eſt Herodes Tetrarcha Galileæ, ad quem Pilatus miſit Chriſtum, referente eodem Luca cap. 23. *Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit, ſi homo Galilæus eſſet, & vt cognouit, quòd de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Hieroſolymis erat illis diebus*. Ex quibus omnibus ſacræ Scripturæ teſtimonijs deducitur, Herodem, cui, tempore obitus Herodis Magni

Te-

Tetrarchia Galilææ contigit, Tetrarchiam ipsam tenuisse tempore passionis Christi, nullumque alium Herodis filium nominari in Euangelio, quàm Herodem Antipam Galilææ Tetrarcham, cuius nummum hic elucidamus.

3. Porrò vt id comprobemus, inuestigandum omninò tempus, quo Herodes Antipas Tetrarchiá Galilææ tenuit. Cum namque Antipas priores Herodis patris tabulas, quibus Regni hæres nuncupabatur, posterioribus præponendas contenderet, causam coram Augusto disceptaturus Romam nauigauit, quò etiam se contulit frater eius Archelaus, quem coram Augusto causam obtinuisse anno ante æram vulgarem tertio, iam suprà indicauimus. Vnde Herodes Antipas Galilææ Tetrarchiam, non verò Iudeæ Regnum obtinuit, idque iuxtà extremam patris sui voluntatem, quam Augustus post Senatus Consultum ratam habuit. Augusto deinde vita defuncto, Tiberij eius successoris gratiam aucupari studens Herodes, Ciuitatem propè stagnum Genezareth, vulgò incolis Mare Galilææ nuncupatum, extruxit, eamque in honorem Tiberij Tiberiadem nuncupauit, ac tempore passionis Christi cum Pilato amicitiam inijt, *& facti sunt amici Herodes, & Pilatus in ipsa die*, inquit S. Lucas cap. 23. Intereà Agrippa Herodis nepos patruo infensus, Romam venit, vbi à Tiberio in vincula coniectus, post mortem Tiberij à Caio Caligula non modò ijsdem solutus est, sed etiam Philippi aui sui Tetrarchiam accepit. Caius enim vt ait Dio lib. 59. *Agrippam Herodis nepotem vinculis, quæ ei à Tiberio fuerant indita, liberabat; & Aui Principatum ei reddebat*. Idem habet Philo Iudæus libro in Flaccum, *Caius Cæsar*, inquiens, *Agrippæ Herodis Regis nepoti Regnum dedit auitæ ditionis partem, quam Philippus noui Regis patruus possederat*. Addit Iosephus, quòd eum Regio insuper titulo donarit, ac altero deindè anno Principatus Caij Cæsaris Agrippa petierit veniam nauigandi in suū Regnum, quò cum appulisset, Herodias Herodis Tetrarchæ vxor virum suum induxit, vt & ipse in Italiam nauigaret. Regium titulum petiturus; vbi à Fortunato Agrippæ liberto ob peruersam subducendi populos voluntatem coram Caio tunc fortè apud Baias reperto accusatus damnatur, ac in exilium mittitur: *approbatam putans defectionem*, inquit Iosephus, *ademptam illi Tetrarchiam, ad Agrippæ Regnum adiecit, pecuniamque eius donans Agrippę indicit*. Ex quibus omninò constat, Herodem Antipam non modò ad Caij Principatum peruenisse, vt nummus testatur, sed etiam vsque post alterum Caij Caligulæ annum Tetrarchiam suam obtinuisse.

Ant. lib. 18. c. 9.

4. Iam inquirendum est de

Caio

Caio Caligula, à quo apud Baias Herodes Antipas auditus est. Si enim Annalium parentem consulamus, secundo Caij anno, quo Agrippa veniam nauigandi in Syriam petijt, reditus Agrippæ in Palæstinam, ac Herodis Tetrarchæ in Italiam iter contigére. Verùm testatur Philo in libro contra Flaccum post allata suprà eiusdem verba: *Discedenti autem in suum Regnum suasit, ne à Brundusio solueret petiturus Syriam, quòd ea nauigatio longa esset, ac difficilis: vteretur potiùs compendiaria per Alexandriam, expectatis etesijs &c. Paruit ille vt Domino consulenti vtilia.* Ex quo loco rectè probare videtur vir Cl. Norisius, Herodem nequaquam secundo Caij anno in Italiam peruenisse, eo quòd etesiæ iuxta Columellam lib. 2. cap. 2. Kalendis Augusti perflent, & iuxta Plinium lib. 2. cap. 47. *A XIII. Kalen. Augusti continuo quadraginta dierum spatio* flare comperiantur. *Cum namque Agrippa flantibus etesijs Alexandriam, dein in Syriam nauigauit,* (inquit Norisius) *labente Septembri in Regnum peruenit.* Porrò quia Herodes alieno erat animo à Romana peregrinatione, licèt postea nauigare decreuerit, splendidus apparatus instruendus fuit, ita vt vix præcipitante autumno necessaria ad iter expediri potuissent, nec anni iam aduerso tempore in Italiam transmeasset. Probat itaque sententiam Vsserij, qui Tomo 2. Annalium Herodis in Italiam nauigationem recitat anno æræ vulgaris 39., quo Caius post medium mensis Martij tertium Imperij annum inceepit, & semel, ac iterum in Campaniam se contulit. Nam Dio gesta eiusdem anni sub Consulatu Caij II. & L. Apronij Cæsiani enarrans, lib. 59. ita de Caio scribit. *In Campaniam abijt: reuersus indè Drusillæ natalitia.* Et rursus: *Incumbente æstate eò profectus Puteolos, ac Baulos se contulit,* strato mare Ponte illo, cuius etiamnùm ruinæ aliquot supersunt. Vndè hoc anno, quò Caius apud Baulos, siuè Baias versabatur, Herodes Antipas Puteolos aduenit.

5. Videndum nunc est, an Herodes Antipas eodem tempore, quo Puteolos aduenit, à Caio damnatus, & in exilium missus fuerit? Id enim Iosephus, lib. 18. Antiq. cap. 9. indicare videtur, vbi scribit, Herodem de instructo armorum apparatu interrogatum ita respondisse, vt *Caius satis approbatam putans defectionem, ademptam illi Tetrarchiam ad Agrippæ Regnum adiecit, pecuniam quoquè eius donans Agrippæ indicit. Herodem verò perpetuò damnauit exilio apud Lugdunum Vrbem Galliæ.* Hæc enim nemo non putaret cum Eminentissimo Baronio vno eodemque anno, & tempore, quo Herodes Puteolos aduenit, & cum Caio locutus est, peracta fuisse.

fuisse. Verùm antequam iudicium nostrum proferamus, notanda sunt verba Iosephi immediatè subsequentia. *Cognito deindè sororem Agrippæ esse Herodiadem, pecuniam ei propriam concessit: & ratus, non libenter fore marito calamitatis sociam, in Agrippæ gratiam se illi parsurum promisit. Ad hæc illa: Tu quidem Imperator, vt tua maiestate dignum est, loqueris. Sed mihi coniugalis amor impedimento est, quò minùs fruar hac indulgentia: non enim æquum censeo, vt cui secundæ fortunæ fui socia, eum nunc in aduersa deseram. At ille indignè ferens tam excelsum animum in fœmina, ipsam quoquè cum Herode expulit, & bona eius Agrippæ largitus est.* Hæc omnia ibidem Iosephus: quæ planè demonstrant, non statim ac Herodes à Caio auditus est, illum in exilium abijsse, & bona eius Agrippæ concessa fuisse, sed postquam cognouit Agrippæ sororem esse Herodiadem, primùm pecuniam ei propriam concessit, cumque illa recusaretur ab Herodiade, tunc solummodò Herodes pulsus est. Nisi cum Iosepho libro 2. de bello Iudaico, cap. 8. dicere velimus, quòd à Caio ob auaritiam vehementer increpitus fugerit in Hispaniam, & postmodùm bona eius Agrippæ collata sint, quod anno quarto Caij, æræ vulgaris 40. peractum est, ipso Iosepho testante lib. 19. cap. 7. vbi scribit, Agrippam obijsse, postquam regnasset septennium. *Quatuor enim annos sub Caio Cæsare obtinuit Regnum, primùm quidem in Philippi Tetrarchia per triennium, cui quarto demùm anno accessit & Herodis Tetrarchia.* Ex quibus Iosephi verbis patet, Herodis Tetrarchiam anno Caij quarto, æræ vulgaris 40. Agrippæ collatam fuisse, vt rectè obseruat Vsserius Tomo 2. Annalium ad annum æræ vulgaris quadragesimum, proindeque ad annum trigesimum nonum exeunte autumno, quo Caius adhuc tertium Imperij annum agebat, Galilæa nondum Romano Imperio contributa, neque in Prouinciæ formam à Caio redacta erat. Vnde Herodes Antipas pro Principe à Galilæis etiam tunc haberi potuit, & in subiectionis signum ab ijsdem cusus est nummus cum anno Principatus eius quadragesimo tertio.

6. His positis, facile erit calculos inire; Herodes enim Antipas anno Caij quarto, æræ vulgaris quadragesimo Tetrarchia priuatus est, cum annum eiusdem quadragesimum tertium inchoasset, vt patet ex parte nummi postica. Igitur ab anno quadragesimo æræ vulgaris, si retrò numerando quadraginta tres annos computemus, perueniemus omninò ad annum antè æram vulgarem tertium, quo Augustus Herodem Antipam Galilææ præfecit, vnde initium eius Tetrarchiæ desumi debet, quæ Chronotaxi no-

strae

ſtre de ponenda Chriſti natiuitate ante æram vulgarem planè congruunt, eorumque ſententiam, qui Chriſti natiuitatem primo æræ vulgaris anno collocant, planè euertunt. Si enim Chriſtus natus eſt primo æræ vulgaris anno, non niſi poſt illum annum Herodes Antipas Tetrarchiam Galilææ ex Magni Herodis Patris ſui teſtamento obtinere potuiſſet. Incipiamus proindè annos Tetrarchiæ Herodis Antipæ à primo æræ vulgaris, annus eiuſdem Tetrarchiæ 43., erit annus æræ vulgaris 43. quo anno Caius iam integro biennio occubuerat, quod eſt contra fidem huius numiſmatis, nam Caium Cæſarem Germanicum anno quadrageſimo tertio Tetrarchæ Herodis regnaſſe perhibet.

7. Porrò nummum illum, quamuis de eius germanitate initio ambigere viſus ſit Vir Clariſſimus Noriſius, vt in epiſtola ad Antonium Pagium operi de Epochis Syromacedonum ſubiuncta declarat his verbis. *Ne quid tamen te celem, initio dubitabam de nummo, quem non videram, quidpiam publicè in literas mittere, ne ſi ille fortè eſſet adulterinus, bellam fabulam luderem, ac omnia de eodem mihi commentata pura puta commenta forent.* Verùm ex poſterioribus amicorum literis intellexi, nummum Pariſios delatum ab omnibus Eruditis, qui eum viderunt, antiquum & germanum iudicatum fuiſſe: quibus ego, licèt nummum non viderim, facilè aſſentior, tum quòd omnes eius notæ hiſtoricæ veræ ſint, vt iam probauimus, tum quòd litera L qua annus ſignificatur, à nemine apposita fuiſſet, niſi qui iſtis temporibus vixit, quibus vſu nota erat. Poſt tria enim prima ſæcula nullibi in nummis apparet, & vix noſtris temporibus ex illorum & anteriorum ſeculorum monimentis publicè luci datis innotuit, quid ſignificet. Nemo enim anteà ſuſpicatus eſt, in monimentis græcis literam latinam annum ſignificare. Noſtro etiamnum ſæculo Caſaubonus, ac Dufreſnius putarunt, notam illam λυπτικῆς rationem habere, cuius interuentu inſequentes literæ ab antecedentibus diſtinguuntur. Scaliger lib. 3. de emendatione temporum pag. 452. ac in notis Euſebianis num. 2194. literam in græcis nummis repertam Luſtrum ſignificare contendit. Petauius lib. 11. de doct. tempor. cap. 20. Scaligeri interpretationem refellit, eo quòd in nummis Neronis legatur L. I. L. IΓ. ac L Δ, aitque luſtra eſſe non poſſe, quæ numeris X. XIII. & XIV. exprimuntur. *Ergo litera L non Luſtra, ſed aliud quidpiam deſignat, quod annuum ſit, niſi annus ipſe magis intelligatur.* Hæc Petauius de litera L. qua ideò annuum aliquid, ſiue annum deſignari affirmat, quia eſt prima litera vocis græcæ λυκάβας, quæ latinè annum ſignificat,

ficat. Quod vlteriùs probatur à Viro Erudito Norisio libro de Epochis Syromacedonum Dissert. 4. cap. 1. ex Macrobio libro 1. Saturnalium, cap. 17. asserente: *Annum quoquè vetustissimi Græcorum λυκάβαντα appellant*; Vndè in Codice MS. Bibliothecæ Magni Ducis Etruriæ, qui in pluteo 28. sub numero 14. asseruatur, quique olim fuit Angeli Politiani ex codicibus Comitis Ioannis Mirandulani, habetur inter variarum declarationes: LL. ἔτους; *id est, anni*: & in nummis Aegyptijs litera L ante annos Imperij Principũ frequentissimè occurrit. *In nummis Imperatoris Vitellij Mediceis*, inquit ibidem Norisius, *cum capite Serapidis apparent* LA, *vti & in alio cum capite Isidis, vtrobique* A *maiori litera intra* L *clausa. Itẽ in quatuor nummis Othonis pag.* 114. *thesauri Mauroceni eadem literæ eadẽ pariter figura expressę habentur à V. Cl. Patino: nempè quòd neuter Augustus biennium Imperij attigit, eadem* A *tantùm, quę nota est vnitatis, in ipsorũ nummis apparet. In aliorum verò Cæsarum nummis post notam* L. *numerales literæ numquam annos Imperij eorumdẽ excedunt. Quo euidenti argumento colligimus, eadẽ nota annos Principatus Cæsarum demonstrari*. Ita Vir Cl. Norisius, cuius sententiam pluri-mis nummis ex thesauro Christinę Suecorũ Reginæ confirmare possum. Omissis enim ijs, vbi literæ numerales Gręcorum exhibentur, illos dumtaxat nummos adferam, in quibus anni Imperatorum verbatim exprimuntur: vt capsl. 20. in nummo Hadriani, vbi figura Serapidis sedentis cum hac inscriptione: L. ENΔEKATOY. Capsl. 26. in nummo Antonini Pij, Hercules cum ceruo, & sequenti inscriptione: L. ΔEKATOY. Et alius capsl. 27. Spes: L. ENΔEKATOY. His enim nummis nihil aliud designari potuit, quàm Hadriani annus vndecimus, vti etiam anni decimus, & vndecimus Antonini Pij. Nec refert, inscriptionem græcam esse, & literam L latinam, Græcis autem non L, sed Λ in vsu esse; id enim verum est de literis græcis recentioribus, non verò vetustioribus, cum Græci antiqui litera L pro lambda vterentur. Patet id non solùm ex nummis suprà citatis, sed etiam ex marmoribus, vt fidem faciunt Columnæ in hortis Farnesianis propè Tiberim asseruatæ, quæ antiquissimo Græcorum charactere Ionico, EN TOI HEPOΔO AΓPOI O ΓAPLOION &c. Et lapis Anconitanus apud Gruterum pag. 327. EIΣ TO KC. L. KAI KZ. L. KAI HK. L. *In XXVI. & XXVII. & XXIIX. annum*. Et infrà, KAI EIΣ TO ΘK. L. ETI. *In annum quoquè XXIX*. Et antiquissimum Tribuum fragmentum Athenis repertum, & ante 2200. annos marmori incisum apud Sponium in Miscellaneis sect. 10.

n. 1. pag. 315. habet inter alia hæc nomina. ΛΥΚΙΝΟΣ .... ΛΥΣΙΜΑΧΙΔΕΣ.... ΒΛΕΠΥΡΟΣ... ΛΥΣΙΣ, ΚΑΛΛΙΠΠΟΣ. Vbi litera L loco Λ sæpiùs comparet. Vndè Sponius in Commentario: *Obseruanda litera lambda, quæ latino more L scribitur, nullibi verò sic Λ; quod nummos græcos præcipuè in Ægypto cusos illustrat, in quibus frequentissimè hæ notæ visuntur: LΔ. LΓ. &c. Quærunt enim, quare litera latina L cum græca Γ. Δ. aut simili coniungitur, & an illud L significet Lycabas, quod annum apud Græcos significabat? Ad quæ nunc facilis responsio, non esse literam latinam; sed græcam antiquam, quæ quidni Lycabantem antiquo dicendi more annum designabit?* Hæc perappositè ad nostram quæstionem, quam his vltimis temporibus Viri Eruditi ex nummis Ægyptijs primùm soluerunt. Notat autem Norisius loco superiùs citato, quòd non solùm Ægyptij, sed & proximi Syri eadem quoquè litera vsi sint, vt comprobari potest ex nummo Traiani apud Sidonios cuso cum his literis in postica: L. ZKΣ. *Anno* 227. item ex nummo Domitiani Sebastenorum, in cuius postica legitur: L. ΘP. *Anno* 109. in nummo Commodi pariter apud Sebastenos cuso cum his literis L. CIE *Annò* 215. & alio eorumdem nummo cum numero L. CIς *An.* 216. quos tres vltimos nummos nunc primùm ex Regia Galliarum Gaza edidit Norisius Differt. 5. cap. 5. §. 1. Vndè facilè patet, nummum Herodis Tetrarchę cum nota numerali L. MΓ in vicina Sebastenis Galilæa cusum, esse verum & germanum, vt qui nummum vidit, contrectauit, & legit V. Cl. Harduinus in datis ad me literis retulit.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quòd æra vulgaris initium post Christi Natiuitatem collocandum sit, ex descriptione tempore natiuitatis Christi instituta ostenditur.

1. Enumerantur Præsides, qui Syriæ præfuerunt à Sosio vsque ad Varum Saturnini successorem.

2. Censum natiuitatis Christi indicem sub Saturnino statuere videtur Tertullianus; vndè tempus, quo Saturninus Syriæ præfuit, inquiritur; eumque anno ante æram vulgarem quinto nondùm è Syria discessisse, quandoque ex varijs Iosephi locis collegeram.

3. Verùm mense Septembris anno ante æram vulgarem sexto Saturnino Varum successisse, ex nummis Præfectorum Syriæ ostenditur, qui annos Actiacos exhibent.

4. Ex prædictis nummis difficultas alia nata est, quam Ioannes Harduinus proponit de die natiuitatis Christi, quem non mense Decembris, sed Septembris, contra communem Occidentalis Ecclesiæ traditionē collocat.

5. Habet enim traditio Ecclesiæ, Christum natum fuisse die 25. Decembris, vt in Occidente testatur Augustinus: quam traditionem ex Scriptura comprobat D. Ioannes Chrysostomus, qui in Oriente scripsit.

6. Vndè concluditur, censum natiuitatis Christi indicem post Vari in Syriam aduentum peractum fuisse in Iudæa, quem

Qui-

Quirinus in Syria cœperat sub eius Præside Saturnino.

7. *Locus Euangelistæ de censu priori à Quirino Syriæ Præside peracto elucidatur: prior namque dicitur respectu eius, quem post Archelai exilium in Palæstina instituit.*

8. *Hæc interpretatio firmatur ex monimento Ancyrano, in eo namque asseritur, Augustum tres census peregisse, quorum ille, qui anno octauo ante æram vulgarem Censorino, & Asinio Consulibus institutus est, ad tempus natiuitatis Christi spectare potest, & anno dumtaxat sexto in Iudæa peractus fuit.*

9. *Alia Virorum Eruditorum interpretatio adfertur, quæ textum Lucæ ita explicat, vt prima descriptio ibidem commemorata sit illa, quam Quirinus tanquam Syriæ Procurator post Homonadensium victoriam peregit. Iustini locus in hanc rem producitur.*

1. ANtequam inquiramus, sub quo Syriæ Præfecto Christus natus sit, enumerandi in primis ipsi Syriç Prçfecti, qui circa tempus natiuitatis Christi Regionem illam gubernarunt. Sosio, qui anno ante æram vulgarem trigesimo octauo Syriam regendam suscepit, subrogatus est Munacius Plancus, cuius Appianus libro quinto belli Ciuilis meminit. Tradit idem Auctor libro quarto, Calpurnium Bibulum ab Antonio Syriç Prçsidem designatum eamdem Prouinciam administrando obijsse. Hunc autem excepit Q. Didius, quem auctore Dione lib. 51. constat prçfuisse Syriæ vsque ad tempus Actiacç pugnç, seu annum ante çram vulgarem 31. Huic, eodem Dione teste, suffectus est Messala, cui successit Varro, cuius meminit Iosephus lib. 1. belli, cap. 15. Varronem excipit Agrippa, post quem Titium Prçsidem Syriæ exhibet Iosephus lib. 16. Antiq. cap. 12. Porrò Titium anno ante æram vulgarem octauo excepit C. Sentius Saturninus, qui teste Iosepho lib. 17. capite 1. tum Syriç prçerat, dum Volumnius procuratorium munus in Syria obibat; affirmat enim, Imperatorum iussu de Herodis filijs iudicatum fuisse coram *Prouinciæ Rectoribus. Præsederunt autem*, inquit, *Rectores, quibus à Cæsare scriptum fuerat, Saturninus, & Pedanius Legati, & cum his Volumnius Procurator.* Vbi videre licet, Saturnino tanquam Prouinciç Rectorem adiungi Pedanium, Volumnium verò vocari Ἐπίτροπον, Procuratorē, quo nomine Iustinus Martyr vocat Quirinium, cuius Euangelium meminit, vt infrà videbimus. Saturnino successit P. Quintilius Varus, vt disertè affirmat Iosephus lib. 17. capite 7. *Fortè per idem tempus Hierosolymis erat Quintilius Varus successor Saturnino missus in Syriam.* Hunc Varum tribus annis Syriç prçfuisse constat ex nummis Antiochiç cusis, quos in appendice huius Tomi exhibebimus. Ipsum insuper Syriam administrasse tempore mortis Herodis, & initio Regni Archelai, ex Iosepho lib. 17. cap. 11. colligitur: scribit enim, quòd Archelao post mortem Herodis Romam properanti *occurrerit*

apud Cæsaream Sabinus Procurator Cæsaris in Syria, in Iudæam properans ad asseruandam Herodis pecuniam, quam Varus commodùm interueniens retinuit. Adiungit cap. 12. discessum Archelai subsequutos esse magnos in ea gente tumultus: *Ad quos cum Varus venisset; auctoribus eius motus affectis supplicio, & maxima ex parte seditione compressa reuertens Antiochiam legionem vnam reliquit Hierosolymis, vt Iudeis nouandarum rerum facultatem præriperet.* Ceterùm, vt notat Pagius, quo anno Varus Syriam reliquerit, & quem successorem nactus fuerit, *non liquet.*

2. His pręmissis, videndum omninò, cuius Pręsidis temporibus Christus natus sit. Tempore quidē census sub Saturnino instituti natum fuisse, tradit perantiquus Carthaginiensis presbyter Tertullianus, qui lib. 4. contra Marcionem cap. 7. censum à Saturnino in Iudæa actum vocat *testem fidelissimum Dominicæ natiuitatis*, dicitque, Acta illius *in Romanis Archiuis custodiri.* Et capite 19. *Sed & census constat actos sub Augusto, nunc in Iudæa per Sentium Saturninum, apud quos genus eius inquirere potestis.* Quibus ex verbis cum clarissimè pateat, Sentium Saturninum illum censum instituisse, cuius tempore Christus natus est; restat, vt stabiliamus tempus, quo Sentius Saturninus Syrię Præfecturam egit; & quo census peractus est. Et sanè de Præfectura Saturnini audiendus est Iosephus, qui lib. 16. Antiquitatū Iudaicarum, cap. 17. tradit, Saturninum iam Syrię prçfuisse, dum Herodes filios suos Alexandrum, & Aristobulum occidi iussit. Refert namque, Saturninum Virum Consularem plurimisque defunctum honoribus primam ea de re tulisse sententiam: *Et primus*, inquit, *Saturninus Vir Consularis, multisq; defunctus honoribus, protulit sententiam moderatam circumstantijs: damnare se quidem Herodis filios, non tamen censere interficiendos, quòd & ipse filios habeat, & Herodem præteritis infortunijs hoc maximum nolit adijcere.* Saturninus itaque Syrię Pręfectus erat, quo tempore Herodes de filijs suis occidendis deliberabat, quod ab Eusebio refertur in annum Augusti 37. qui est annus ante ęram vulgarem septimus, quo anno enecatis Alexandro, & Aristobulo, frater eorum Antipater in Herodis mortem conspirauit, vt Regnum eius inuaderet, nullis proinde sumptibus parcens in demerendis paternis amicis. Qua de re idem Iosephus lib. 17. cap. 1. *Hominum odia beneficijs volens obruere, præcipuè quotquot Romæ erant, magnificentissimis muneribus sibi concilians, & ante omnes Saturninum, qui tum Syriæ præerat.* Ex quo Iosephi loco etiam patet, Saturninum Pręfecturam Syrię gef-

gessisse eo tempore, quo Antipater de vindicanda fratrum morte cogitabat, quod ab Vsserio in annum ante ęram vulgarem quintum refertur. Quam quidem sententiam ego aliquando secutus fueram, idque ob testimonium Iosephi de Varo Saturnini successore, quem vltimo Herodis anno in Syriam appulisse indicare videtur. Ita enim scribit lib. 17., cap. 7. Antipatri mortem enarrans, quem Herodes cognitis insidijs de medio tollere volebat: *Per idem tempus Hierosolymis erat Quintilius Varus successor Saturnini missus in Syriam, tunc verò ab Herode in consilium de rebus agendis adhibitus: quibus vnà sedentibus superuenit Antipater &c.* Ac si diceret, Varum Saturnino in Syrię Prefectura successorem datum fuisse, dum Herodes de Antipatro è medio tollendo cogitabat. Cogitauit autem illo anno, quo in morbum incidens, testamentum condidit, vt testatur Iosephus cap. 8. sequenti, adiungens cap. 10. *quinta die postquam Antipatrum filium occidit, vita defunctum esse.* Vndè quandoque collegeram, Saturninum vsque ad vltimum Herodis annum Prefidem Syrię fuisse, tumque primùm Varum ei successisse.

3. Verùm sententiam mutare coëgerunt nummi Prefidum Syrię, quos Vir Clarissimus Ioannes Harduinus in Antirrhetico de nummis antiquis pag. 58. & seq. in medium adducit. Tres enim inter illos recenset, in quibus Vari tamquam Syrię Prefidis nomen exprimitur. Primus seruatur in Cimelijs Regis Christianissimi cū his verbis. ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΚ. *Sub Varo Antiochensium* annò *XXV.* Secundus, ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ϛΚ. *Sub Varo Antiochensium* anno *XXVI.* Tertius: ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΖΚ. *Sub Varo Antiochensium* anno *XXVII.* Anni in his nummis expressi sub nomine Antiochensium deducuntur à pugna Actiaca, quę Septembris mense inter Augustum & Antonium habita fuit anno ante ęram vulgarem 31. vt conuenit inter omnes rerum antiquarum peritos. Vndè consequens est, vltimum nummum, qui annum 27. exhibet, cusum fuisse anno ante ęram vulgarem quarto: secundum, qui annum 26. exprimit, anno ante ęram vulgarem quinto: & primum, quo annus 25. continetur, prodijsse anno ante ęram vulgarem sexto ante mensem Septembris, quo annus 25. à pugna Actiaca finem accipit. Si enim viginti quinque annis adijcias sex alios, habebis triginta vnum, quo anno apud Actium Antonius ab Augusto superatus est, Antiochensibus partem Augusti secutis, qui in Actiacę victorię memoriam ęram suam ab illius tempore deducere voluerunt. Huius rei veritas manifesta est ex duobus num-

nummis Silani, quorum primus in Gaza Medicea seruatur, in cuius antica visitur caput Tiberij cum inscriptione, ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡ. *Cæsar Augusti filius*: in postica verò hęc verba leguntur: A. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΜ. Secundus seruatur in Cimelijs Theodorici Bignoni libellorum supplicum Magistri Parisijs: habet in antica parte caput Tiberij cum eadem epigraphe superiùs exhibita; in postica verò Γ. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΕΜ. Hos nummos cum alijs Pręsidum Syriæ nummis in huius Tomi appendice excudimus, vbi Lector beneuolus eos ipsos intueri poterit. Vt autem de primo agamus, notæ superior A primum Tiberij annum, notę inferiores ΕΜ. annum à pugna Actiaca & ab Imperio Augusti in Syria 45. significant. Incepit, vt diximus, annus primus Actiacus mense Septembris anno ante ęram vulgarem 31., cui addendi sunt anni 14. ęrę vulgaris; quarto decimo enim anno vulgari mense Septembris cœpit annus Actiacus 45., quo editus est nummus pręfatus, idque apprimè conuenit cum anno primo Tiberij, qui ęra vulgari 14., die 19. Augusti Octauiano successit: adeò vt primus annus Tiberij cum quadragesimo quinto Actiaco planè concurrat. Quod vlterius confirmatur ex nummo Seleucensi, cuius hęc est inscriptio: Γ. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΖΜ. *Sub Silano Seleucensium anno XLVII.* Litera enim Γ primo loco posita tertium Tiberij annum denotat, cuius vultum, & nomen nummus repręsentat: literę verò ΖΜ annum à pręlio Actiaco exhibent, à quo ęram suam Seleucienses æquè ac Antiochenses inchoabant. Porrò tertius Tiberiani Imperij annus cœpit die 19. Augusti anni ęrę vulgaris decimi sexti, & durauit vsque ad eumdem diem anni decimi septimi: annus verò quadragesimus septimus Actiacus initium ducit à die V. Nonas Septembris anni ærę vulgaris decimi sexti, & ad eumdem diem anni ærę vulgaris decimi septimi profertur. Vndè manifestum fit, Seleuciensem nummum annos Tiberij exhibuisse, & illos rectè composuisse cum Actiacis.

4. His positis reuertamur ad Varum, quem ex præfatis nummis constat Syriæ Præfecturam adeptum fuisse anno Actiaco 25. qui annus à mense Septembri anno ante æram vulgarem septimo, vsque ad eumdem mensem anno ante æram vulgarem sexto numerandus est. Hinc deducitur, Saturninum mense Septembris anni ante æram vulgarem sexti iam priuatum fuisse Præfectura Syriæ, adeòque censum natiuitatis Christi indicem, quem Tertullianus sub Saturnino in Iudæa actum fuisse tabulis publicis comprobat, non posse differri in annum posteriorem, sed ad minus anno ante

te æram vulgarem sexto natum fuisse Christum. Qua in re alia occurrit difficultas eaque grauissima circa mensem, quo Christus natus est; cum ex prędictis sequi videatur, non mense Decembris die 25. natum fuisse, vt communis Ecclesię traditio habet, sed circa mensem Septembris, antequàm Saturnino Varus successit. Difficultatem hanc pręsensit Vir Cl. Ioannes Harduinus, qui in Antirrhetico de nummis antiquis pag. 63. affirmat, Natalem Domini contigisse annis sex, & mensibus tribus ante ęram vulgarem, quæ à Kalendis Ianuarij ducit initium, quod pag. 65. clariùs explicat his verbis: *Census ergò in Iudæa peractus est mense Septembri, quæ tempestas itineribus eorum, qui dare nomina debuere, erat opportunior. Quam fortè ob causam Natali Dominico assignauere quidam Aprilem, aut Maium apud Clementem Alexandrinum lib 1. Stromatum, pag. 349.* Et infrà: *In mensem verò Septembrem multò veriùs conueniunt pastorum vigiliæ super gregem suum, quas Lucas commemorat, siue, vt in græco legitur, ἀγραυλίαι campestris sub dio stabulatio, vt ante nos alij viderunt, quàm in Decembrem.* Shabb. fol. 45. 2. & Pezah. fol. 41. 1. *Hęc sunt pecora eremi, ea nempe quæ prodeunt pastum circa tempus Paschatis, & pascuntur in campis, & domum redeunt ad pluuiam primam.* Nedarim fol. 63. 1. & Taanith fol. 6. 1. *Quænam est pluuia prima? incipit tertio mensis Marchesbuàn. Qui mensis partem habuit cum Octobri nostro, ac Nouembri.*

4. Hæc & alia ibidem Harduinus, quæ tamen nequaquàm probare possum, cum traditioni Ecclesiæ de die Natalis Domini aduersentur. Tam constans enim, & perpetua est Romanæ, & totius Occidentis Ecclesiæ traditio, Christum natum esse die 25. Decembris, vt cum nullum illius initium reperiatur, ab Apostolorum Principibus Petro, & Paulo profecta fuisse credatur. Vt enim D. Augustinus tractatu in psalm. 132. prope finem affirmat: *Ioannes decollatus est, sicut tradit Ecclesia, octauo Kal. Iul. cum iam incipiunt minui dies. Dominus autem natus octauo Kal. Ianuar. quando iam incipiunt dies crescere.* Et lib. 4. de Trinitate, cap. 4. *Octauo Kal. Aprilis conceptus creditur, quo & passus; natus autem traditur octauo Kalend. Ianuarias.* Claré affirmat D. Augustinus de die 25. Decembris, quem Natalem Domini asserimus, constare ex traditione, Occidentalis nimirùm, & Romanæ in primis Ecclesiæ, vt fidem quoquè facit D. Ioannes Chrysostomus homilia in Seruatoris nostri IESV Christi Natalem. *Qui dies*, inquit, *quum ab exordio ijs, qui in Occidente habitant, cognitus fuerit, nunc ad nos demùm non ante multos an-*

annos transmissus repentè ita increuit, talemque tulit fructum, qualem nunc cernere licet. Addit subindè Chrysostomus, diē 25. Decembris vbique celebratum fuisse, idque signum esse, quòd verus dies Natalis Christi fuerit, prout ex sacra Scriptura comprobat longo discursu, quem & ipse his verbis compendiosè refert: *Semel in anno ingrediebatur summus Sacerdos in Sancta Sanctorum* (ad Hebr. cap. 9.) *At quando hoc? Mense Septembri* (Leuit. 29.) *Tunc igitur ingressus est Zacharias in Sancta Sanctorum: tunc nuncium de Ioannis natiuitate habuit: tunc illùc abijt: tunc vxor eius concipere cœpit post mensem Septembrem* (Lucæ 1. v. 5. & seq.) *Quùm autem sextum iam mensem ipsa in vtero haberet*, (qui scilicet est Martius) *cœpit denique & Maria concipere*. (Lucæ 1. versu 30.) *Ab Aprili igitur incipiendo, nouem menses si numeremus, in hunc præsentem scilicet incidemus, quo Dominus noster Iesus Christus natus est*. Hæc Chrysostomus: quæ adeò clara sunt, vt minimè necessarium existimem, alia Patrum Orientalium, vel Occidentalium testimonia adiungere, cum apertè demonstrent, Christum conceptū fuisse mense Martij, Ioannem Baptistam verò mense Octobris, & vt D. Augustinus ex perpetua Ecclesiæ traditione refert, Christum natum fuisse die 25. Decembris, cum iam crescere incipiunt dies, Ioannem verò Baptistam 8. Kal. Iulias, cum dies minui incipiunt. Quę egregiè quoquè explicat Auctor Chronici Alexandrini à pag. 465. vsque ad 482. editionis Raderianæ.

6. Cum igitur tam manifestè constet de die natiuitatis Christi, nulla nobis necessitas imponitur amouendi diem illum à mense Decembris. Dicendum enim, vel Christi natiuitatem contigisse anno ante æram vulgarem septimo, quo Saturninus adhuc Syrię præerat; vel anno ante æram vulgarem sexto post Vari in Syriam aduentum peractam esse. Primum dici nequaquàm potest, si Christum Dominum ætatis trigesimo, Imperij Proconsularis Tiberij decimo quinto baptizatum, anno verò ætatis 34. Consulibus duobus Geminis mortuum fuisse dicamus: nam tota Christi Domini actorum series perturbabitur, nihilque suo tempori respondebit. Vndè dicendum videtur secundum, quòd nimirùm Christus Dominus anno ante æram vulgarem sexto post Vari in Syriam aduentum natus sit. Cui nequaquàm obstare videtur census Saturnini, & Quirini nominibus insignitus, sufficit enim censum sub aliquo inchoasse, vt nomen eius actis præfigatur. Inchoatus autem est à Quirino Procuratore ad id in Syriam misso, dum Saturninus eidem Prouinciæ præsidebat. Quarè his, aut similibus ver-

bis

bis Acta descriptionis Syriæ inchoasse existimem: *Præsidente Syriæ Saturnino Quirinius Procurator &c.* Porrò ex simili Actorum exordio facilè colligitur, rectè à Tertulliano dici potuisse, Acta descriptionis, quæ in Romanis Archiuis asseruabantur, nomen Saturnini prætulisse, & ab Euangelista tradi quoquè potuisse, hanc descriptionem primam factam esse à Quirino, per τὸ primā, significante, eam à Quirino inchoatam, & vsque ad Christi natiuitatem, quæ post annum & aliquot menses sub Varo contigit, continuatam, & in Iudæa peractam fuisse. Vt enim adnotarunt Viri Eruditi, Pagius in Opere de correctione Baronij, & Norisius in literis ad me datis, non necesse est, quòd census eodem tempore finiatur, quo est institutus, cum Tacitus affirmet, censum à Germanico cœptum anno Vrbis 767. anno 769. continuatum fuisse, & Plinio teste, Imperatores Vespasiani pater & filius censum intra quadriennium absoluerint. Cum itaque Christus natus sit, quo tempore descriptio in Iudæa peragebatur, quod circa finem descriptionis Syriæ contigit, S. Lucas descriptionem hanc primam, seu initium eius Quirino tribuit. Quo sensu salua omninò sunt Scripturæ verba, quæ apud Lucā cap. 2. leguntur: *Factum est in diebus illis, exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino.*

7. Non desunt quidem aliæ interpretationes virorum eruditorum, quas salua sententia nostra adferre possumus. Sunt enim, qui notant pro τὸ *prima*, in græco haberi πρώτη, quod solet significare *prior*, vt sæpissimè vertit S. Hieronymus, præsertim Matthæi 21. versic. 39. Πάλιν ἀπέστειλεν ἄλλους δούλους πλείονας τῶν πρώτων: quæ D. Hieronymus ita vertit: *Iterùm misit alios seruos plures prioribus*; cum iuxta propriam verbi πρώτων significationem dicendum esset: *plures primis*. Et de immundo spiritu reuertente ad hominem, vndè eiectus erat; καὶ γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου χείρονα τῶν πρώτων. Quæ Hieronymus ita vertit: *Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*; cum aliàs vertendum esset: *Et fiunt nouissima hominis illius peiora primis*. Multa alia exempla adducit Hervvertius ex Sacra Scriptura, vt monstret, S. Hieronymum τὰ πρῶτα frequenter vertisse *priora*, adeòque nihil à sensu loci superiùs allati alienum esse, quòd dicantur verba, quæ in omnibus græcis M. SS. & editis exemplaribus ita se habent: Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου: vertenda esse; *Hæc descriptio prior facta est Præside Syriæ Cyrino*, & sensum esse, quod descriptio hæc prior fuerit, antequàm ageret Syriæ Præfecturam Quirinus, qui, vt ex Iosepho lib. 17. Antiquitatum Lucæ cap. 11.

Iu-

Iudaicarum, cap. 15. colligitur, post exilium Archelai anno æræ vulgaris sexto, seu à natiuitate Christi decimo in Iudæam venit. Verba Iosephi sunt: *Ceterùm ditione Archelai contributa Syriæ, missus est illò à Cæsare Vir Consularis Quirinus, qui Censum ageret per Syriam, & ipsius Archelai domum venderet.* Et rursùs lib. 18. capite 1. *Intereà Quirinius Senator Romanus per omnes honorum gradus ad Consulatum vsque prouectus, & in primis clarus à Cæsare mittitur in Syriam, vt iura populis redderet, facultatesque censeret omnium ..... Quin & ipse Quirinius in Iudæam venit iam attributam Prouinciæ Syriæ, vt perscenseret facultates eius Regionis ciuium, & Archelai pecunias in potestatem suam redigeret.* Deindè cap. 3. *Quirinius autem venditis, & confiscatis Archelai facultatibus, peractoque censu, qui incidit in annum 37. post victum à Cæsare in Actiaca pugna Antonium.* Ex quibus multorum quidem eruditorum iudicio patet, censum sub Syriæ Præside Quirino ab Augusto actum esse in Iudæa post Archelai exilium, adeòque posteriorem esse illo censu, quem Sanctus Lucas priorem vocat, & cuius tempore Christum natum fuisse affirmat.

8. Atque hæc quidem virorum eruditorum sententia confirmari videtur ex censibus sub Augusto peractis. Refert enim Suetonius in Octauiano cap. 82. *Censum tamen populi ter egit, primum, ac tertium cum Collega, medium solus.* Et affirmat ipse Augustus in Monimento apud Suburbium Ancyrę reperto, quod primum Bousbequius ex lapide descripsit, deindè Schottus in Victore, ac Gruterus pag. 230. inter reliquas inscriptiones, ediderunt.

CENSVM. POPVLI. CONLEGA. M. AGRIPPA. EGI. LVSTRVM. POST. ANNVM. ALTERVN. ET. QVADRAGESIMVM. FECI (LEGI) QVO. LVSTRO. CIVIVM. ROMANORVM. CENSITA. SVNT. CAPITA. QVADRAGIENS. CENTVM. MILLIA. ET. SEXAGINTA. TRIA .... CVM. NVPER. LVSTRVM. SOLVS. FECI (LEGI) CENSORVM ..... SINIO. COS. QVO. LVSTRO. CENSA. SVNT. CIVIVM. ROMANORVM .... QVADRAGENS. CENTVM. MILLIA. ET. DVCENTA. TRIGINTA. TRIA .... IN. CONSVLATV. FI .... CVM. NVPERRIME. LVSTRVM. CVMLEGA. TIBERIO. SEXT. POMPEIO. ET. SEX. APVLEIO COS. QVO. LVSTRO ..... ROM. CAPITVM. QVADRAGENS. CENTVM. MIL.... IGINTA. ET. SEPTEM. MIL. LEGI.

Ex hac porrò inscriptione manifestum fit, primum censum ab

Au-

Augusto & Agrippa Consulibus peractum esse anno ante æram vulgarem 28. in quem annum prædictus Consulatus incidit. Secundum censum ab Augusto solo institutum anno ante æram vulgarem octauo, quo Censorinus & Asinius Consulatum obibant, ita enim Lipsius lacunam supplet, & loco *Censorum .... sinio Cos.* rectè *Censorino & Asinio Cos.* legendum existimat. Tertium censum ab Augusto actum fuisse, dum iam Tiberium Imperij consortem habebat, quod posterioribus Imperij annis contigit, quorum vltimo Sextus Pompeius, & Sextus Apuleius Consulatum obibant, æra nimirùm vulgari 14. qua censum illum actum fuisse, Monimentum Ancyranum adfirmat. Cum itaque Augustus ter dumtaxat censum populi egerit, & primus 24. annis ante Christi natiuitatem, vltimus 19. annis post eius natiuitatem institutus sit, nullus census ad Christi natiuitatem accedere potest, nisi medius, quem Augustus solus egit, ac Romę cœpit Censorino & Asinio Coss. anno ante æram vulgarem 8. qui est ante Christi natiuitatem tertius, quo anno Sentius Saturninus iam Syriæ Præfecturam agebat, qui tamen eumdem censum in Prouincijs Syriæ quàm longissimè ab Vrbe dissitis non nisi post tertium (vti diximus) annum agere potuit ob varios istius gentis tumultus: vnde & census à Sentio Saturnino incœptus forsan finiri nequiuit, sed postea cum Quirinus æræ vulgaris anno sexto ad Iudæam peruenisset, & Iudæorum tumultuantium superbiam superasset, finis huic censui impositus est. Sicque salua sententia nostra intelligetur illa textus Euangelij interpretatio, quæ sequentia Lucæ verba: Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, ita reddit: *Hæc est descriptio prior, quæ facta est sub Præside Syriæ Cyrino.*

9. Sunt autem & alij, qui cùm D. Hieronymo πρώτη hoc loco *primam* interpretantur, seruatoque verborum sensu literali putant, descriptionem, qua durante Christus natus est in Bethleem Iuda, primò cœptam à Quirino, cum ad Homonadenses Ciliciæ populum paulò post suum Consulatum ab Augusto missus est. Refert enim Tacitus libro 3. Annalium, post med. *Quirinius impiger militiæ, & acribus ministerijs Consulatum sub Diuo Augusto; mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium Castellis insignia triumphi adeptus.* Quirinus Consulatum gessit anno ante æram vulgarem duodecimo, qui est ante Christi natiuitatem septimus: post Consulatum autem peractum à Cæsare contra Homonadenses missus est, quod anno ante æram vulgarem septimo, ante Christi verò natiuitatem secundo contigisse nonnulli affirmant, cum anno anteriore Augustus cen-

censum Romæ instituisset; Quirino enim ad Ciliciam, quæ vna ex Syriæ Prouincijs erat, pergenti mandauit Augustus, vt compositis Homonadensium rebus censum in Syria ageret, quod initio anni, quo Christus natus est, ipse inchoare potuit, vt testari videtur S. Lucas, dum tradit, exijsse edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur totus Orbis, & hanc descriptionem primam factam esse, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. *Præsidente*, seu etiam *Procurante* (vtrumque enim significari potest per verbum ἡγεμονεύοντος) *Syriam Cyrino*. Quarè necesse non est, vt tempore huius descriptionis primæ Quirinus Præses Syriæ fuerit; sed sufficit, quòd Procurator Augusti ad hunc censum in Syria peragendum missus sit. Vnde Iustinus Martyr Apologia 2. pro Christianis ad Antoninum Pium Imperatorem: *Vicus autem quidam est Bethleem in Regione Iudæorum, triginta quinque stadijs Hierosolymis distans, vbi natus est Iesus Christus, quemadmodùm & ex descriptionibus census acti; quæ sub Cyrenio primo vestro in Iudæa Procuratore sunt confectæ, intelligere potestis*. Vbi notandus est modus loquendi Iustini Martyris: non enim vnam, sed plures eiusdem census descriptiones commemorat, ac descriptionem, in qua Christi natiuitas annotata fuit, sub Quirino, non Syriæ Præside, sed primo Augusti Procuratore factã esse. Vt quid enim *primum Procuratorem* dixisset Iustinus, nisi alij Procuratores ad hunc censum agendum successissent? Cum itaque Quirinus cœpto, sed nondum finito censu Romam redijsset, ibidemque Aemiliam Lepidam vxorẽ ab Augusto accepisset, censum in Iudæa prosecutus est Sentius Saturninus Syriæ Preses, qui ob duritiam, & superbiam Iudæorum eum finire nequiuit, vndè post mortem Archelai Quirinus rursùs in Iudæam missus tandem difficultates superauit, quarum mentionem facit Iosephus lib. 18. Antiquitatum Iudaicarum, cap. 1. his verbis: *Quin & ipse Quirinius in Iudæam venit iam attributam Prouinciæ Syriæ, vt percenseret facultates eius Regionis ciuium, & Archelai pecunias in potestatem suam redigeret. Illi verò tametsi ægrè ferrent mentionem descriptionis, non sunt tamen reluctati pertinaciter, parendo auctoritati Pontificis Ioazari, qui Boëthi fuit filius, atque ita illius suasu sine controuersia census peractus. Extitit tamen pòst quidam Iudas Gaulanites, ortus ex oppido Gamala, qui adiuncto sibi Pharisæo Sadduco sollicitabat ad defectionem populos, censum nihil aliud quàm manifestam seruitutis professionem esse dictitans, & vniuersam gentem ad tuendam libertatem adhortans*. Ex quibus Iosephi verbis facilè colligitur, Iudæorum gentem perpetuò obstitisse censuum

indi-

indictioni ; adeò vt mirum non sit, vnum eumdemque censum, sæpiùs intermissum fuisse, & à varijs Procuratoribus vix vndecim annorum tempore, quod inter Christi natiuitatem, & Archelai mortem intercedit, fuisse absolutum.

RECAPITVLATIO SVPRADICTORVM.

Atque hactenus quidem de anno natiuitatis Christi, quem annum æræ vulgaris quartum præcessisse, ex pluribus monimentis probauimus, quorum vnumquodque sufficere deberet ad eos in viam reuocandos, qui à vero aberrarunt, & communi opinione præoccupati annum natiuitatis Christi cum primo anno æræ vulgaris composuerunt. Cum enim ex Romanorum Consulum fastis, ex Augusti, aliorumque Imperatorum initijs, totiusque Imperij Romani interuallis clarè pateat, æram vulgarem inchoare anno primo Olympiadis 195. Iuliano 46. Augusti 44. dum Consulatum obibant L. Aemilius Paulus, & C. Cæsar: qua ratione, qua veritatis specie Christum eodem illo anno natum ostendent, de quo ex Matthæi Euangelio constat, quòd natus sit in Bethleem Iudæ tempore pacis vniuersalis; vbi primo anno æræ vulgaris grauissimum Parthorum bellum exarsit, & Caius Cæsar Consulatum obiens in vltimis Imperij finibus bellum contra Parthos gessit, vt habet Cenotaphium Pisanum? Secundò, Christus iuxta Euangelium natus est eo tempore, quo exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur totus orbis. At Augustus, vt de se testatur in Monimento Ancyrano, tantùm tres descriptiones instituit, quarum prima 28. annis æræ vulgaris initium præcessit, tertia illud quatuordecim annis subsecuta est. Vndè dicendum est, quòd secunda descriptio tempore natiuitatis Christi instituta sit, quā Augustus Censorino & Asinio Gallo anno ante æram vulgarem octauo Romæ publicauit. Tertiò addit S. Lucas descriptionem, natiuitatis Christi indicem, peractam in Syria, dum Quirinus ad eam Procurator missus erat: Quirinus autem tantùm bis in Syria fuit, semel contra Homonadenses ab Augusto missus, quod anno ante æram vulgarem septimo contingere potuit, quo censum incœpit: deinde verò, dum post exilium Archelai in Syriam reuersus est anno ęrę vulgaris sexto, quo vel eumdem censum absoluit, vel specialem Iudęæ censum, vt alij volunt, instituit. Vndè vt census sub Quirino actus Christi natiuitatem indicet, ad eum, quem primo suo in Syriam aduentu cœpit, referri debet Christi natiuitas. Quartò Christus natus est in diebus Hero-

dis

dis Regis, quibus Magi Hierosolymam venerunt, & Herodem de loco natiuitatis consuluerunt, post quæ Iosephus ab Angelo in somnis admonitus fugit in Aegyptum, fuitque ibi vsque ad obitum Herodis, vt Euangelium testatur. At Herodes anno ante æram vulgarem quarto iam obierat, vt ostenditur ex Flauij Iosephi testimonio. Quinto Christus teste Matthæo ex Aegypto rediјt, dum Archelaus in Iudæa regnare cœpit. At Archelaus triennio ante æram vulgarem cœpit regnare in Iudæa, vt ex Iosepho historico Hæbreo, & Dione scriptore Græco probatur. Clarè igitur, & perspicuè constat, Christi natiuitatem nequaquàm cum initio æræ vulgaris concurrere posse, sed aliquot annis illud præcessisse, integro nimirùm quinquennio & sex diebus, adeò vt natus sit anno ante æram vulgarem sexto, die 25. Decembris: tunc enim Iani portæ Romæ occlusæ erant, totoque terrarum orbe pacis fœdera seruabantur. Tum Quirinus in Syriam mandatum Cæsaris de instituendo censu pertulit, quod Saturninus, teste Tertulliano, prosecutus est. Tunc Herodes in viuis erat, agebatque annum Regni 35. Et ne quidquam hac de re omittere videamur, ab hoc anno numerantur anni triginta vsque ad annum 15. Imperij Proconsularis Tiberij Cæsaris, quo Christum baptizatum fuisse, S. Lucas cap. 3. affirmat. Demùm ab eodem anno vsque ad Consulatum duorum Geminorum, sunt anni triginta tres, quot annis peractis Christum obijsse, ex Euangelio probatur, Patrum testimonijs euincitur, & Ecclesiæ traditione stabilitur, vt infrà ostendemus.

CAPVT TERTIVM.

Quo anno æræ vulgaris, ætatisque suæ Christus Dominus baptizatus sit? Et quot annis post baptismum prædicauerit?

1. Cum Christus iuxta Euangelium natus sit tempore Herodis Regis, quem quatuor annis ante æra vulgaris initium obijsse constat, & iuxta Euangelium crucifixus sit tempore eclipsis solaris, quam Phlegon anno 33. æra vulgaris adscribere videtur; Natalis Alexander, vt has duas sententias conciliet, Christo 37. annos vitæ tribuit, ac anno 34. baptizatum fuisse scribit.

2. Hæc noua Natalis sententia confutatur, & Christum anno 30. baptizatum, ac post peractum in prædicatione Euangelij triennium anno 34. ætatis crucifixum esse; ex Euangelio deducitur.

1. COEpimus demonstrare Chrónotaxim vitæ Christi, ostendimusque, æram quidem vulgarem incipere Caio Cæsare & Aemilio Paulo Consulibus; annum verò, quo Christus Dominus

nus natus est, ab ea longè diuersum esse: constat namque, ante obitum Herodis, qui mense Nouembris anno ante æram vulgarem quarto contigit, Christum natum fuisse, adeoque natiuitatem Christi integro quinquennio æram vulgarem præcessisse. Cum autem in hac sententia statui nequeat, Christum anno 33. æræ vulgaris in cruce obijsse eo tempore, quo plerique volunt factam eclipsim Solis à Phlegonte descriptā; ab hac difficultate sese expedire voluit Natalis Alexander, qui nouam opinionem adinuenit, primusque, quod sciam, Christo Domino 37. annos vitæ tribuit. Sęculo itaque primo dissert. 2. quæst. 1. pag. 163. statuit, Christum natum fuisse desinente anno ante æram vulgarem quinto, Imperij Augusti quadragesimo, Augusto Cæsare & Cornelio Sulla Consulibus. Quæstione verò secunda de baptismo Christi adiungit: *Christus baptizatus est anno Iuliano 75. vulgaris æræ 30. Imperij Tiberij 16. ætatis suæ 34. ineunte.* De tempore demùm mortis scribit quæst. 3. concl. 2. *Christus mortuus est anno Iuliano 78. æræ vulgaris 33. Coss. Sulpitio Galba & L. Cornelio Sulla, Olympiadis 202. anno quarto, Imperij Tiberij 19. Hebdomadum Danielis 487. in medio scilicet hebdomadis 70. anno ætatis suæ 37. incboato.* Hæc tribus conclusionibus ibi probanda sumit Natalis, qui vt difficultatem ex testimonio Iosephi de morte Herodis euitaret, Christum Dominum anno ante æram vulgarem quinto ad finem vergente, quando Herodes adhuc in viuis erat, natum fuisse asserit. Vt verò ab alia difficultate de morte Christi tempore eclipsis Solaris, anno 33. æræ vulgaris extra ordinem naturæ factæ, se expediat, mortem Christi Domini ad illum annum extendit, malens in nouam difficultatem de anno baptismi Christi impingere, quàm alterutram de annis natiuitatis, aut mortis Christi soluere.

2. Abstinuissem quidem ab huius nouæ opinionis confutatione, nisi animaduertissem, alios facilè in errorem induci potuisse, & declarasset eruditus Papebrochius, se à noua Natalis sententia non abhorrere. Dissertatione enim prima de annis ante æram vulgarem quinque componendis, vocat Natalis sententiā, *partibus conciliandis perquàm commodam*, seque eam amplexurum fatetur, quando in anno mortis oporteret omninò *recedere ab Henschenij sententia*. Ne igitur alij in errorem Natalis tam facilè inducantur, eius sententiam de annis baptismi, prædicationis, & mortis Christi ad trutinam reuocabimus, & ostendemus in primis, eius de tempore baptismi sententiam cum Lucæ Euangelio nequaquàm conuenire. Licet enim ex loco Lucæ cap. 3. non omninò constaret, an Christus anno ætatis trigesimo ineunte, vel

exeunte, aut trigesimo primo incipiente, vel vigesimo nono finiente baptizatus sit; verba tamen eiusdē Euangelistæ tantam latitudinem non patiuntur, vt baptismus ad annum ætatis 34. differri possit. Vnde sententiam Natalis Scripturæ, & Patrum traditioni repugnare monstrabimus hoc capite. Et primo quidem art. Christum baptizatum esse anno ætatis trigesimo iam expleto, de quo adeò clarè constare putamus, vt planè ignoremus, qua ratione id à quibusdam in dubium vocari potuerit. Articulo sequenti agemus de annis tribus, & totidem mensibus, quibus prædicauit: quod licèt Scriptura expressè non testetur, haud difficilè tamen ex illa deducitur. Post hęc demùm tractabimus de æra vulgari, cum qua trigesimus quartus Christi annus, qui & vitæ eius vltimus fuit, concurrit; de qua non ita clarè constat, quin salua Scripturæ auctoritate disputari possit, quamuìs & nos, quæ communiori Ecclesiæ traditioni conformiora sunt, sequenda proponemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quòd ex Sacra Scriptura constet, Christum non quidem anno ætatis trigesimo quarto, sed trigesimo fuisse baptizatum.

1. Christus, teste S. Luca, baptizatus est anno 16. Tiberij, dum incipiebat habere annum ætatis trigesimum.

2. Natalis sententia, quòd τὸ incipiens *non sit referendum ad baptismum, sed ad tempus, quo docere cœpit, refutatur ex textu græco, & versione vulgata, ac antiquissimo sacræ Scripturæ codice manuscripto, qui in Bibliotheca Vaticana asseruatur.*

3. Improbatur quoquè ex eo, quòd etiamsi referendum esset ad tempus, quo docere cœpit, inde tamen non sequeretur, alio anno, quàm trigesimo baptizatum fuisse, cum ex Euangelio constet, eodem tempore baptizatum fuisse, quo docere cœpit.

4. Confirmatur id ex traditione Ecclesiæ, quæ canone 11. Concilij Neocæsareensis exhibetur. Canon namque ille à tota Ecclesia receptus fuit, vt patet ex Concilij Chalcedonensis canone 1. & collectione Dionysij Exigui.

5. Idem probatur ex testimonijs D. Ignatij Martyris, Iustini, Clementis Alexandrini, Irenæi, Eusebij, Hieronymi, Epiphanij, Chrysostomi, & Augustini affirmantis, id constare auctoritate Euangelica.

6. Demùm firmatur auctoritate Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ, ex Chronici Alexandrini, & Venerabilis Bedæ testimonijs.

7. Ex quibus omnibus constat, grauiter aberrare eos, qui Christum anno ætatis trigesimo quarto primùm ad baptismum venisse asserunt.

1. PRæclarum est de ætate Christi, qua baptizatus est, Lucæ testimonium, vtpotè qui in Euangelio cap. 3. sic refert: *Anno autem quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris ...... factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ ..... Factum est autem, cum baptizaretur omnis*

nis populus, & IESV baptizato, & orante apertum est Cælum ..... Et ipse IESVS erat incipiens annorum quasi triginta. Hæc omnia vno, eodemque capite S. Lucas, de quorum veritate cum nemini Catholicorum dubitare permissum sit, notanda sunt omninò vltima verba, quæ ita in græco leguntur: Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος: *Et ipse IESVS erat incipiens annorum quasi triginta*. Quibus verbis significat S. Lucas, baptizatum fuisse Christum anno ætatis trigesimo inchoato, vel, vt nonnulli voluerunt, completo, siue initio anni trigesimi primi, ita habente communi Sanctorum Patrum traditione, quæ huic fundamento innititur, quòd non soleant inter annos ætatis computari, nisi anni iam peracti. Sic non dicitur puer vnius anni, qui habet tantùm menses octo, sed qui vixit mensibus duodecim, quibus peractis incipit habere annum vnum. Dicit itaquè S. Lucas, Christum fuisse annorum triginta incipientem, quia peracto anno ætatis trigesimo incipiebat dici triginta annorum. Vndè colligi videtur, S. Lucam locutum fuisse de initio anni trigesimi primi, & manifestum fit, Euangelistam non loqui de anno ætatis trigesimo quarto, vt primus recentiorum Scriptorum contendit V. Cl. Natalis in Dissertationibus de primo Ecclesiæ sæculo.

2. Porrò audiendus est Author ipse, qui participium *incipiens*, non ad annum Christi, quo baptizatus est, sed ad ætatem eius, qua manifestari cœpit, & docere, referendum duxit. *Adde*, inquit, *quòd hoc participium, incipiens, non ad ætatis Christi annum refertur, sed ad eius ministerium. Vnde phrasis græca de verbo ad verbum reddita sic habet: Erat IESVS quasi annorum triginta incipiens .....* Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος. *Igitur* τὸ *incipiens interpunctione à superioribus distinguendum est, vt videre est apud Origenem; & fit sensus: ea fuisse ætate Christum Dominum, quando cœpit ministerium suum obire, & palàm prodire*. Hæc Natalis, quæ nullatenus subsistere possunt. Primò, quia licèt Origenes, nescio quo loco, hanc interpunctionem admisisse feratur; textus tamen græcus sacræ Scripturæ illam minimè agnoscit, prout nec agnoscit versio vulgata D. Hieronymi, contra quam hac in re sentire, vix licitum existimo. Enimuerò si textum græcum, & antiquissimos sacræ Scripturæ codices græcos consulamus, reperiemus, participium *incipiens* non in fine, sed in medio versus collocari, adeòque eo modo referri, quo interpunctione separari non possit, sed necessariò ad ætatem Christi referatur. Proferendus est textus græcus ex antiquissimo, qui in toto terrarum orbe superesse creditur, Sa-

cræ Scripturæ codice, quique in Bibliotheca Vaticana sub num. 1209. asseruatur: Καὶ αὐτὸς ἦν Ἰησοῦς ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα. Quæ eodem modo in textu Syriaco habentur, & verbatim hoc modo latinè redduntur: *Et erat ipse IESVS incipiens quasi annorum triginta*: qui est ipse verborum ordo, quo in vulgata editione hic versus legitur. Quarè non video, qua ratione participium *incipiens* ad prædicationis tempus referri possit.

3. Ponamus tamen, interpunctionem illam admitti posse, & sensum Scripturæ esse, quòd Christus 30. annos habere incipiebat, dum prædicare aggressus est: an hoc forsan Natalis sententiam iuuabit, & Christum trigesimo ætatis anno nondùm baptizatum fuisse ostendet? Tantum sanè abest id dici posse, vt potiùs contrarium exinde deduci debeat, cum ex Euangelio & traditione constet, Christum non nisi post baptismum prædicare cœpisse. Tres sunt Euangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas, qui Christi baptismum referunt, & tempus, quo prædicare cœpit, indicant. Omnes autem illi tempus prædicationis baptismo postponunt. D. Lucas, de cuius loco hic agitur, ne verbum quidem habet de prædicatione Christi ante eius baptismum, sed vbi cap. 3. narrauerat, quomodò in Iordane à Ioanne baptizatus fuit, cap. 4. refert, eum reuersum à Iordane quadraginta diebus mansisse in deserto, & post tentationes diaboli docuisse in synagogis Iudæorum. Eadem habet Marcus cap. 1. dicens, quòd *IESVS post baptismum* venerit in Galilæam prædicans Euangelium Regni Dei. Clarissimè autem Matthæus, qui vbi baptismum Christi retulit cap. 3. expressè asserit cap. 4. versu 17. ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς κηρύσσειν. *Exinde cœpit IESVS prædicare*. Ante baptismum itaque non prædicauit IESVS, sed post baptismum, vt etiam indicat D. Lucas Actor. 1. vbi Christum inter Apostolos versatum affirmat post baptismum à Ioanne susceptum: *A tempore quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus IESVS incipiens à baptismate Ioannis vsque in diem, qua assumptus est à nobis*. Vndè patet, quòd, si triginta annos habere incępit, quando prædicare aggressus est, plus quàm triginta annos habere non potuerit, quando baptizatus fuit.

4. Atque hoc est, quod traditione Ecclesiæ confirmatur, vtpote quæ canone XI. Neocæsareensi posterorum memoriæ consecrauit, Christum anno 30. ætatis suæ baptizatum fuisse, & primùm post baptismum docere cœpisse. Præstat audire hunc canonem, subsequentium Conciliorum, & totius Ecclesiæ iudicio comprobatum, qui ita habet in græco: Πρεσβύτερος πρὸ τῶν τριάκοντα ἐτῶν μὴ χειροτονείσθω, ἐὰν καὶ πάνυ ᾖ ἄνθρω-

ἄνθρωπος ἄξιος, ἀλλὰ ἀποτηρείσθω. ὁ γὰρ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν τῷ τριακοστῷ ἐφωτίσθη, καὶ ἤρξατο διδάσκειν. Et juxta versionem Dionysij Exigui sic latinè redditur. *Presbyter ante trigesimum ætatis suæ annum nullatenùs ordinetur, licèt valdè sit dignus: sed hoc tempus obseruet. Nam Dominus noster tricesimo ætatis suæ anno baptizatus est, & sic cœpit docere.* Clara sunt huius canonis verba, quibus Patres Concilij Neocæsareensis ipso florentis Ecclesiæ initio tradiderunt, Christum post baptismum docere cœpisse: & ne vllum dubium maneret de tempore baptismi, *Dominus noster*, inquiunt, *tricesimo ætatis suæ anno baptizatus est*. Quæ verba ostendunt, veram non esse interpretationem Natalis, quòd Christus primùm prædicauerit, & postea baptizatus sit; sed demonstrant, quòd Christus anno præcisè trigesimo adierit baptismum; ille enim est sensus verborum, nec alius sensus esse potest, nisi verba mutentur. Hic autem est canon, quem cum alijs huius, & aliorum Conciliorum canonibus in authoritatem receperunt sexcenti triginta Patres Chalcedone congregati, dum canone 1. statuerunt: *Canones, qui à Sanctis Patribus in vnaquaque Synodo huc usquè constituti sunt, obseruari æquum censuimus*. Inter hos enim canones esse Neocæsareenses, fidem facit series canonum in eodem Concilio Chalcedonensi laudata, quam non solùm in græcorum canonum Codice retinuit Orientalis Ecclesia, sed etiam expresse probauit, vt videre est in scriptorum suorum operibus, & canonum Collectionibus, nominatim verò in Synodo Trullana, in qua anno 692. quatuor Orientis Patriarchæ, & 206. Episcopi Orientales canone 2. Synodum Neocæsareensem in authoritatem recipiunt, & canone 14. Neocæsareensem vndecimum prædictum de verbo ad verbum referunt, & pro Orientali Ecclesia locum habere debere statuerunt. Qua in re, ne eos errasse putemus, Orientali Ecclesiæ Occidentalis adstipulatur, quæ non semel, sed sæpiùs testata est, se Synodum Neocæsareensem admittere, eiusque canonibus subscribere.

5. Cum igitur ex prædictis constet de traditione Ecclesiæ, opus non erit ad eius confirmationem longam Patrum seriem referre; sed pauca delibare sufficerit. Primò autem adferri potest D. Ignatius, qui epistola ad Trallianos disertè scribit: *Et triginta annos agens baptizatus est*. Secundò Iustinus, qui anno 163. mortem pro Christi fide oppetijt, & cum ijs conuersari potuit, qui Ignatium Martyrem Romæ in Amphitheatro bestiarum dentibus lacerari viderunt. Is ergò in dialogo cum Tryphone Iudæo expresse testatur, *Christum Dominum ad annos plus minùs*

30. *durasse, quoad vsque Ioannes aduentus eius praco, & baptismi viam præiens processit. Ac tum*, inquit, *IESV ad Iordanem flumen aduenientc, vbi Ioannes baptizabat, cum IESVS in vndam descendisset, & ignis in Iordane accensus est &c.* Post Iustinum ad finem secundi sæculi, & initium tertij floruit Clemens Alexandrinus, qui lib. 1. Stromatum versus finem fatetur, anno 15. Tiberij factum esse verbum Domini ad Ioannem; & adiungit ex Euangelista Luca: *Erat IESVS veniens ad baptisma quasi triginta annorum*. Vbi notandum est, Clementem Origenis præceptorem loco ἀρχόμενος, *incipiens*, legere ἐρχόμενος *veniens*, illudque participium reperiri in medio versus, adeò vt necessariò ad ætatem Christi, qua baptizatus est, referri debeat, sicut & retulit S. Irenæus Lugdunensis Episcopus, qui post tertij sæculi medium floruit: ille enim libro 2. contra hæreses, cap. 36. supponit, quòd *Saluator triginta annorum existens venit ad baptismum*. Idem tradidit Eusebius Cæsareensis Episcopus, dum lib. 1. Histor. cap. 10. scribit. *Cum Tiberius quintum decimum Imperij annum ageret, vt scribit Euangelista, Pilatus verò Procurationis Iudææ quartum, Herode, Lysania, ac Philippo Tetrarchis reliquam Iudæam obtinentibus, Seruator, ac Dominus Noster IESVS Christus anno ætatis circiter tricesimo ad Ioannis lauacrum accessit, tuncque primùm Euangelium prædicare instituit*. Consentit Hieronymus, qui in cap. 1. Ezechielis, *Illud quoquè intelligendum*, dicit, *quòd in trigesimo ætatis suę anno Dominus ad baptismum venerit*. Idem planè sentiunt ad quarti sæculi finem S. Epiphanius in Anacephalæosi, num. 123. vbi Christum Dominum anno Herodis decimo octauo, ætatis vero suæ 31. baptizatum fuisse dicit; & S. Ioannes Chrysostomus homilia in illud: *Exijt edictum*, vbi ait, IESVM *Tiberio imperante, cum annorum 30. esset, suam apud discipulos diuinitatem declarasse*: quando nimirum baptizante eum Ioanne, vox paterna de Cælo audita est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Demùm post hos omnes initio sæculi quinti id adeò certò ex Euangelio constare credidit Sanctorum Patrum Coryphæus Augustinus, vt, cum tempus natiuitatis, & mortis Christi ex profanis historijs discendum esse existimarit, disertè de Christi ætate, qua baptizatus est, scripserit: *Annorum quidem ferè 30. baptizatum esse, retinemus authoritate Euangelica*.

6. Hæc autem cum post tot Antiquorum Patrum testimonia scripserit D. Augustinus, superuacaneum erit, aliorum Patrum scripta expendere, suffeceritque pro huius veritatis coronide duorum

rum Sanctorum testimonia adiungere, quorum alterum de Orientalis Ecclesiæ, alterum de Occidentalis traditione fidem faciunt. Ac primum quidem habet Auctor Chronici Alexandrini, qui Orientalis Ecclesiæ mentem his verbis exprimit: *IESVS Christus Dei filius expletis, postquàm in Bethleem natus est, annis triginta venit à Galilæa ad Iordanem ad Ioannem, & baptizatus est ab eo. Ergò tertio decimo die cum trigesimum primum annum ageret, Christus verus Deus noster Iordane tinctus est die sexto (vt dictum est) Ianuarij mensis: quemadmodùm sine controuersia eodem die Catholica, & Apostolica Ecclesia in suo ipsius typo, & XII. Apostolorum suorum festum luminum, siue Epiphaniam Domini nostri IESV Christi magni Dei, & Saluatoris celebrare consueuit.* Alterum verò habet Venerabilis Beda, qui postquàm hac de re Romanæ Ecclesiæ sensum indagauerat, *Habet, ni fallor* (inquit) *Ecclesię fides, Dominum in carne paulò plus quàm* 33. *annis vsque ad sua tempora passionis vixisse, quia videlicet* 30. *annorum fuerit baptizatus, sicut Euangelista Lucas testatur, & tres semis annos post baptisma prędicauerit.* Comprobat Beda hanc suam sententiam consuetudine Romanæ Ecclesiæ, quam fratres sui anno 701. in enumerandis annis Christi ibidem obseruari viderant. Quamobrèm de veritatis huius traditiòne certiùs constat, quàm quòd de illa quisquam meritò ambigat.

7. Quum igitur agendum est de annis ætatis Christi, errare necesse est eum, qui nihil referre existimat, quo anno Christi baptismus statuatur, dummodò sese à difficultatibus extricare possit de annis, quibus natus, & mortuus fuisse dicitur. Enimuerò cum magna sit Antiquorum discrepantia de annis natiuitatis, & mortis Christi; è contrà verò de anno ætatis, quo baptizatus est, sacra Scriptura, Concilia, Patres, & Ecclesiarum traditio conueniant, debet primò annus, quo Christus baptizatus est, firmari, eoque firmato, annus natiuitatis, & mortis eius inquiri. Quarè dum scriptor quidam modernus neglecta circa baptismum quæstione, de annis natiuitatis, & mortis Christi egit, Scyllam & charybdim euitare cupiens, aliam viam ingressus est, in qua naufragium veritatis fecit. Veritas enim est, quam nemo non agnoscit, *quòd teneamur Antiquos sequi, dum in eamdem sententiam conspirent vel omnes, vel plurimi.* Cum itaque circa quæstionem de baptismo anno 30. ætatis omnes conspirent, non potest quis baptismum Christi contra Antiquorum traditionem, contra Ecclesiarum consensum anno ætatis 34. adscribere.

AR-

ARTICVLVS SECVNDVS.

De tribus annis, & totidem mensibus, quibus Christus post baptismum prædicauit. Vbi & eorum sententiæ expenduntur, qui plures aut pauciores annos prædicationis Christo tribuunt.

1. Tempus, quo Christus prædicauit; ex textu actionum eius colligi posse, asseruit D. Augustinus. Vnde consequens est, Antiquos, qui circa illud errarunt, ex non rectè perpenso actionum eius tempore errasse. Affertur Clementis Alexandrini sententia, de vno anno prædicationis, quam forsan ex Gnosticorum mente retulit.

2. Gnosticos enim vnum dumtaxat prædicationis annum Christo tribuisse, ex Irenæo constat, qui æstu disputationis abreptus in aliud extremum declinauit, & sexdecim, aut plures annos prædicationis Christo tribuit: quam sententiam D. Augustinus impugnauit.

3. Irenæus ex testimonio seniorum Asiæ malè intellecto Christum ad ætatem 46. annorum peruenisse statuit: nam declinatio in senilem ætatem, quam ij asserebant, anno 34. quo Christus mortuus est, potest attribui, præsertim si hominis vita bifariàm diuidatur, vt contra V. C. Papebrochium ostenditur. Cæterùm Asianorum traditiones cautè admittenda sunt, vt ex quæstione de obseruando Paschatis die constat.

4. Vera sententia de tribus annis, & totidem mensibus prædicationis post baptismum ex ipso in primis Irenæo stabilitur.

5. Eadem confirmatur testimonio S. Ignatij Martyris, ex epistola eius ad Trallianos, quod licèt non habeatur in M. S. Florentino a Vossio typis descripto, habetur tamen in antiquissimo M. S. codice Vaticano, & citatum est ante mille quinquaginta annos ab Auctore Chronici Alexandrini.

6. Ignatio concinunt Tertullianus, Eusebius, Chrysostomus, fragmentum Chronici manuscripti antiquissimi, Isidorus Hispalensis, & Venerabilis Beda, qui testatur de mente, & vsu Ecclesiæ Romanæ.

7. Confirmat id ipsum Auctor Chronici Alexandrini ex Euangelio Ioannis, ex quo non nisi quatuor Paschata, quibus Christus Dominus post baptismum superfuit, & prædicauit, enumerari possunt.

1. CVm articulo præcedenti perspicuè monstrauerimus annum ætatis trigesimum, quo Christus à Ioanne in Iordane baptizatus est; antequàm de tempore passionis eius agamus, inquirendum est, quot annis post baptismum prædicauerit. Nam hanc quæstionem ex Euangelio quoquè solui posse, indicat Magnus Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 28. vbi scribit: *Post baptismum, quot annis in hac vita egerit, ex textu ipso actionum eius animaduerti posse.* Quamuis igitur nonnulli antiquiores Scriptores circa hanc quæstionem à vero aberrarint, & quidem Christum Dominum vnico dumtaxat anno, alij duobus solummodò annis prædicasse tradiderint; iuxta Augustini regulam dicendi sunt, id non rectè perpenso Euangelio statuisse. Illud proindè contra Augustini regulam traditur, quod de vno prædicationis anno scribit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum. *Et quod anno solo oporteret eum prædicare, hoc quoquè sic scriptum est: Annum acceptabilem Domini prædicatum mi-*

misit me. Hoc & propheta dixit, & Euangelium. Quinto decimo ergò anno Tiberij, & quinto decimo Augusti, sic implentur triginta anni vsque ad tempus, quo passus est. Hoc enim loco Clemens ex Scriptura non benè intellecta vnum annum prædicationis Christo tribuit; nisi dicere velimus, quòd Scriptor ille antiquissimus hęc potius ex Gnosticorum sententia, quàm propriâ retulerit.

2. Et sanè Gnosticos, qui post secundi sæculi medium eruperunt, accusat D. Irenæus Lugdunensis in Gallia Episcopus, quòd Christo vnum tantùm prædicationis annum tribuerint: *Vno enim anno volunt, eum post baptismum prędicasse*, inquit lib. 2. aduersus hæreses, cap. 36. eorumque opinionem his verbis refutat cap. 38. *Est autem valdè admirari, quonam modo profunda Dei adinuenisse se dicentes, non scrutati sunt in Euangelijs, quoties secundum tempus Paschale Dominus post baptisma ascenderit in Hierusalem, secundum quod moris erat Iudęis ex omni regione, omni anno, tempore hoc conuenire Hierusalem, & illic diem festum Paschę celebrare. Et primùm quidem, vt fecit vinum ex aqua in Cana Galilęę, ascendit in diem festum Paschę. Quoniam & scriptum est: quia multi crediderunt in eum, videntes signa, quę faciebat, sicut Ioannes Domini discipulus meminit. Dehinc iterùm subtrahens se inuenitur in Samaria, quando & cum Samaritana disputabat, & filium Centurionis absens verbo curauit, dicens: Vade, filius tuus viuit. Et post hęc iterùm secunda vice ascendit in diem festum Paschę in Hierusalem, quando paralyticum, qui iuxta Natatoriam iacebat XXXVIII. annos, curauit, iubens, vt surgeret, & auferret grabatum suum, & iret. Et iterum inde secedens trans mare Tyberiadis, vbi & cum multa turba eum fuisset secuta, de quinque panibus satiauit omnem illam multitudinem, & superauerunt duodecim cophini fragmentorum. Deindè cum Lazarum suscitasset ex mortuis, & insidię fierent à Pharisęis, secedit in Ephrem Ciuitatem, & indè ante sex dies Paschę veniens in Bethaniam scribitur, & de Bethania ascendens in Hierosolymam, & manducans Pascha, & sequenti die passus. Quoniam autem tria hęc Paschatis tempora non sunt vnus annus, omnis quilibet confitebitur.* Hæc D. Irenęus, qui dum Gnosticorum errorem de vno prædicationis anno refellit, æstu disputationis abreptus in aliud extremum declinauit, & Christo Domino sexdecim, aut plures annos prædicationis tribuit. Qua in re neminem habuit, qui sententiam suam secutus sit, sed potiùs offendit, qui eam disertè improbauit. Scribit enim D. Augustinus lib. 2. de doctrina Chri-

Christiana, cap. 28. *Per Olympiadas, & per Consulum nomina multa sępè quęruntur à nobis, & ignorantia Consulatus, quo natus est Dominus; & quo passus est, nonnullos cōegit errare, vt putarent 46. annorum ętate passum esse Dominum, quia per tot annos ędificatum esse templum, dictum est à Iudęis, quod imaginem Dominici corporis habebat*. Hæc Augustinus erroris arguens eorum sententiam, qui Christum quadraginta sex annorum ætate passum fuisse scribunt; à qua sententia alienus non fuit Irenæus, dum obijcit hæc verba Iudæorum ad Christum: *Nondum quinquaginta annos habes, & Abraham vidisti?* Qui locus tamen nihil probat, cum in eo definitum vitæ tempus Christo non tribuatur, sed indefinitum. Non dixerunt enim Iudæi, Christum quinquaginta annos vixisse, sed dum ipsum alloquebantur, nondum quinquaginta annos habuisse; *Nondum*, inquiunt, *quinquaginta annos habes*. Quod verè dici de Christo poterat, licèt tunc annum tricesimum secundum, vel trigesimum tertium ætatis nondum superasset.

3. Irenæus libro 2. capite 39. pro sua sententia, quòd Christus ex hac vita discessurus iam in ętatem senilem declinaret, allegat traditionem seniorum Asię: *Omnes seniores testantur*, inquit, *qui in Asia apud Ioannem discipulum Domini conuenerunt, id ipsum tradidisse eis Ioannem.... Quidam autem non solum Ioannem, sed & alios Apostolos viderunt, & hæc ab eis audierunt, & testantur de huiusmodi relatione*. Ex quibus post Natalem Alexandrum fatetur Eruditus Daniel Papebrochius in conatu Chronico-Historico ad Catalogum Pontificum Romanorum, deduci posse, Christum vsque ad annum 38. superuixisse: *Si*, inquit, *hominis ætatem bifariàm partiaris, in iuniorem, senioremque, cum eam septuaginta annis Regius Psaltes circumscribat, profectò qui annum 35. agens, aut superans prædicabat, & anno 38. moriebatur, rectè dicebatur iam in ætatem seniorem declinare: nec plus potuerunt illi Ioannis discipuli significatum voluisse*. Fatetur quidem Papebrochius, hanc non esse suam sententiam, fore tamen, si mortem Christi alio anno, quàm duobus Geminis, statuere oporteret. Verùm si vitam hominis in iuuenilem, & senilem ætatem diuidamus, cur dici non possit, quòd Christus anno 34. quo pro humani generis salute mortem crucis subijt, iuuenilem ætatem deserere cœperit, & ad senilem ætatem declinauerit? Ad senilem ætatem declinare dicitur, qui nondum senilem ætatem ingressus est, sed eidem appropinquat. Annus 36. erat primus annus ætatis senilis: Christus igitur mortem oppetens anno ætatis 34. ad senilem ætatem

tem declinabat, & hoc dicerem significare voluisse seniores Asiæ, nisi aliud quid tradidisse, & Christum quadraginta quinque annorum ætatem superasse, affirmassent. Porrò tam de ijs, quàm de Irenæo locum habet D. Augustini sententia: *quòd ignorantia Consulatus, quo Christus mortuus est, illos coëgerit errare, vt putarent, 46. annorum ætate passum esse*. Quod enim quidam Asiani se hæc à Ioanne, vel ab alijs Apostolis accepisse dicebant, in eo æquè errare poterant, ac tempore eiusdem Irenæi errabant circa Paschatis diem, quod Polycrates Ephesinus Episcopus, Asianos à Philippo & Ioanne Apostolis accepisse, dicebat. Ab ipsius Ioannis temporibus fuerunt in Asia nonnulli, de quibus idem Euangelista fideles suos admonet epistola 1. c. 4. *Quoniam multi Pseudo-prophetę exierunt in mundum*. Et epistola 2. *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur, IESVM CHRISTVM venisse in carnem*. Ab his, & similibus potuerunt sub nomine Ioannis nonnulla tradi, quæ Asiani pro veritate acceperunt, cum fictitia essent, & à cæteris per Orbem Ecclesijs reiecta fuerint, vt circa ea, quæ de senili Christi ætate D. Irenæus retulit, contigisse vidimus.

4. Relicta proinde D. Irenæi sententia, quæ non solùm Scripturæ locis, sed etiam veterum testimonijs destituta est, adferenda est vera de annis prædicationis Christi sententia, quam ex ipso Euangelio deduxit D. Irenæus, dũ contra Gnosticos demonstrauit, Christum iuxta Ioannis Euangelium tribus diuersis annis post baptismum Hierosolymam ascendisse, Paschatis festiuitatem celebraturũ. Qua in re confundit duo Paschata, quæ ante plurima sæcula distinxit auctor Chronici Alexandrini, qui quatuor Paschatis festiuitates post Christi baptismum numerat, vt infrà videbimus. Pascha autem, quod Irenæus non distinxit, est ordine tertium, cum post multiplicationem panum, quibus quinque virorum millia saturati fuerunt, dicit Ioannes cap. 6. vers. 4. *Erat autem proximum Pascha dies festus Iudęorum*. Meminit quidem huius loci Irenæus, qui tamen hoc Pascha vel computare omisit, vel cum secundo Paschate confudit. Debuerat itaque D. Irenæus dicere, non quòd tria, sed quòd quatuor Paschata plusquam vnum diem constituant, potueratque ex traditione Apostolica asserere, quòd Christus tribus annis, & tribus mensibus Euangelium prædicauit, prout Apostolos tradidisse, asserit Antonius Capellus ex fide cuiusdam M.S. Codicis Florentini Honorij primi temporibus conscripti, in quo expressè habetur, *Christum Dominum mansisse in hac vita 33. annos, menses tres*: triginta nimirùm vsque ad baptismum, tres verò cum tribus men-

H sibus

ſibus à baptiſmo vſque ad paſſionem.

5. Idem teſtatur, qui cum Apoſtolis conuerſatus eſt, Ignatius Martyr, ſcribit enim epiſtola ad Trallianos: Καὶ τριάκοντα ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου ἀληθῶς, καὶ οὐ δοκήσει, καὶ τρεῖς ἐνιαυτοὺς κηρύξας τὸ εὐαγγέλιον. *Et triginta annos agens baptizatus eſt à Ioanne in veritate, & non in phantaſmate, & tribus annis prędicauit Euangelium.* Quæ verba ita commentatur Baronius: *Aduerſus tam patens, apertumque de ętate Chriſti, Ignatij teſtimonium nemo vel mutire, nedùm refragari debet.* Diſplicet hæc Baronij ſententia Criticis modernis, eò quòd nuper ex MS. codice Florentino ab Iſaaco Voſſio græcè edita ſit Ignatij ad Trallianos epiſtola, in qua teſtimonium prædictum nullatenùs comparet. Verùm licèt hanc Voſſij editionem Baronius videre non potuerit, & ſi vidiſſet, forſan de germana codicis authoritate excipi poſſe, ſignificaſſet; Baronij tamen ſententiæ ſuperiùs allatę fauet antiquus 800. annorum codex MS. græcus, qui in Bibliotheca Vaticana ſub numero 859. ſeruatur, & in quo epiſtola ad Trallianos iiſdem planè verbis continetur. Accedit Chronicon Alexandrinū, cuius author anno 22. Heraclij Imperatoris illud ſcripſiſſe creditur: probaturus enim, Chriſtum anno ætatis 30. iam expleto baptizatum fuiſſe, ait: *Docet id Ignatius ille Deoplenus, & Martyr, qui Ioannis Theologi germanus diſcipulus fuit, ſanctiſſimæque Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopus ab Apoſtolis conſtitutus, qui in epiſtola ad Trallianos ita ſcripſit ...... poſt triginta annos inter mortales actos à Ioanne baptizatus eſt.* Extat hoc Chronicon Alexandrinum in antiquiſſimo codice Vaticano, ad cuius initium notatur, hoc vnicum eſſe iſtius Chronici exemplar. Vndè forſan autographum ipſum fuit, temporibus Heraclij conſcriptum.

6. D. Ignatio adſtipulatur Tertullianus, qui ait, *Chriſtum Dominum anno 12. Tiberij reuelatum, anno autem 15. eiuſdem Tiberij cruci affixum fuiſſe.* Nec diſſentit Euſebius Cæſareenſis, qui Chriſtum Dominum anno 15. Tiberij baptizatum, anno verò 18. eiuſdem Imperij paſſum fuiſſe, tradidit. Extat Euſebij hac de re teſtimonium in Chronico, quod D. Hieronymus ex græco in latinum idioma tranſtulit, ſuumque feciſſe videtur. Præclara autem eſt hac de re ſententia D. Ioannis Chryſoſtomi homilia in illud Euangelij: *Exijt edictum*, vbi: *IESVS verò Tiberio imperante cum annorum eſſet 30. ſuam apud diſcipulos diuinitatem declarauit, ac per tres deinceps annos prædicauit. Vbique ſiquidem venerabilis Trinitas occurrit. Quamobrem cum annos 3. prædicaſſet, 18. Tiberij anno ad paſſio-*

sionem venit, cum dispensationem in carne perfecisset. Chrysostomo suffragatur Leontius Byzantius opusculo de Sectis: *Annos natus 30. baptizatus fuit, ac post baptismum prodigia facere cœpit, & Iudęos docere, annoque 33. in crucem actus*. Idem omninò habet Auctor fragmenti historiæ Ecclesiasticæ, quod ab anno natiuitatis Christi vsque ad Pontificatum Clementis I. procedit, & in antiquissimo MS. Vaticano literis maiusculis ante nongentos, & plures annos exaratū est, in quo legitur: *Tiberij quinto decimo Imperij anno Dominus post baptismum regnum cęlorum adnunciauit, octauo decimo eiusdem anno sua passione mundum redemit*. Idem planè ante 1050. annos posterorum memoriæ consecrauit Isidorus Hispalensis Episcopus, qui in Chronico tradit, Christum natum fuisse *anno 42. Augusti*, crucifixum verò *anno decimo octauo Tiberij*, quòd nimirùm *anno 15*. Tiberij baptismum eius assignans, tres annos prædicationis admitteret, prout admittebat Romana Ecclesia anno 701. teste Venerabili Beda, qui narrat, fratres suos Romæ in Ecclesiæ Sanctæ Mariæ vidisse, quòd anni à passione Christi computabantur 668. quibus adiungendi erant anni 33. vitæ Christi, vt à natiuitate eius numerarentur anni 701. Vndè, vt suprà audiuimus, *opinatus est habere Ecclesię fidem: Dominum in carne paulò plusquam 33. annis vsque ad sua tempora passionis vixisse, quia videlicet 30. annorum fuerit baptizatus, sicut Euangelista Lucas testatur, & tres semis annos post baptisma prędicauerit*. Et infrà: *Sancta siquidem Romana, & Apostolica Ecclesia hanc se fidem tenere, & ipsis testatur indiculis, quę suis in Cereis annuatim scribere solet, vbi tempus Dominicę passionis in memoriam populis reuocans, numerum triginta annorum semper, & tribus annis minorem, quàm ab eius Incarnatione Dionysius ponat, adnotat*.

7. Probauit id egregiè ex Euangelio S. Ioannis Auctor Chronici Alexandrini, qui quatuor Paschatis festiuitates, quarū Ioannes meminit, enumerat: *Primum*, inquit, *Pascha legitimum celebrauit Dominus, cum discipulis suis post baptismum, de quo Ioannes cap. 2. Post hoc ascendit Capharnaum ipse, & mater eius & discipuli eius, & fratres eius, & ibi manserunt non multos dies, & propè erat Pascha Iudęorum, & ascendit IESVS Hierosolymam. Alterum Pascha videtur hìc significare, quando dicit: Post hęc erat festum Iudęorum, & ascendit IESVS Hierosolymam. Tertium Pascha ponit diuinus ille Euangelista Ioannes, cum narraturus miraculum, quod patrauit Dominus, quando quinque panibus quinque millia hominum saturauit, dicit: Post*

hęc abijt IESVS trans mare Galilaeae Tiberiadis, & secuta est eum turba multa, quia videbant signa, quae faciebat super aegros. Ascendit autem in montem IESVS, & ibi sedebat cum discipulis suis: erat autem propè Pascha festum Iudaeorum ..... Et posteà IESVS CHRISTVS Dei filius, cum tribus annis, & septuaginta sex diebus post baptismum discipulis suis salutaria, & diuina praecepta viuendi tradidisset, & vaticinia Prophetarum de se explicasset, ad crucem transijt. &c. Hoc autem dicit fuisse quartum Pascha, cuius Ioannes meminit, dum Lazari ad vitam reuocationem exhibuit, adiungens, fuisse *propè Pascha Iudaeorum*. Quae cum adeò clarè ex vno Ioannis Euangelio constent, mirum minimè videri debet, quòd Graeci vnà cum Latinis recentioribus admiserint, Christum tribus annis & tribus mensibus prędicasse post baptismum, & anno 34. aetatis inchoato passum fuisse, vt colligitur ex Hippolyto Thebano, qui in Commentario Chronico scribit de Christi baptismo: *Dominus noster IESVS CHRISTVS trigesimum annum agebat: post baptismum verò elegit discipulos praedicare regnum suum vsque ad passionem annis tribus.*

CAPVT QVARTVM.

Quòd Christus obierit anno aerae vulgaris 29. quo duo Gemini Consulatum gesserunt.

1. Proponitur difficultas de aera vulgari, qua Christus passus est. Licèt enim ex dictis superiori capite sequi videatur, anno 19. Tiberij Christum passum esse; cum tamen duplex sit aera Tiberij, & vna tribus integris annis altam; quae Proconsulare gessit Imperium, praeuertat: quaeritur, quaenam epocha Tiberij à S. Luca adhibita fuerit.

2. Tiberium quarto anno ante obitum Augusti Collegam Imperij fuisse, ostenditur ex Velleio Paterculo, Suetonio, & Dione Cassio, qui duo vltimi conciliantur.

3. Duplicem Tiberij epocham primis aerae Christianae saeculis à veteribus adhibitam fuisse, testatur Clemens Alexandrinus, & secundum alteram illarum annos Tiberij à S. Luca numerari potuisse, ex verbis eius deduci videtur.

4. Confirmatur haec Lucae interpretatio Patrum testimonijs, ac precipuè D. Augustini, qui ex textu actionum Christi, & Apostolorum sensibus de tempore obitus Christi constare affirmat.

5. Idem firmatur testimonijs Tertulliani, Clementis Alexandrini, Iulij Africani, Anonymi scriptoris tempore Alexandri Imperatoris, & Lactantij.

6. Post tertium saeculum concinunt Auctor antiquissimi Catalogi sub Liberio, D. Augustinus, Seuerus Sulpitius, Victor Aquitanus, Fasti sub nomine Idatij, alijque Catalogi apud Cuspinianum.

7. Eusebius omisso Consulatu, ex anno Tiberij annum mortis Christi indicare studuit, sed duplicem epocham Tiberij ignorans à vero anno aberrauit, alijsque aberrandi ansam dedit, vt rectè obseruat D. Augustinus. Enumerantur, qui Eusebium secuti annum mortis Christi post duorum Geminorum Consulatum posuerunt.

8. Christum feria sexta, VIII. Kalend. April. mortuum fuisse, habet traditio Apostolica, & communis Patrum, ac Ecclesiarum sententia. Anno autem 29. aerae vulgaris feria sexta incidit in diem VIII. Kal. Aprilis.

9. Ple-

9. Plenilunium illo die potuisse non occurrere, probatur ex eo, quòd Iudæi accurati non fuerint in plenilunij obseruatione tempore Paschatis, vt Constantini Magni, & Epiphanij testimonijs constat, & rationibus probat Keplerus, qui ob Mathematicorum calculum à communi Antiquorum traditione recedendum non esse ostendit.

10. Satisfit difficultati de solis eclipsi à Phlegonte mota, in cuius Olympiadis anno assignando Phlegontem post integrum, quo vixit, sæculum facilius est errasse, quàm communiorem traditionem Ecclesiæ in assignando anno mortis Christi. Putat tamen Pagius, Phlegontis germanam lectionem seruatam ab Africano, iuxta quam eclipsis ab eo commemorata incidit in æram 29. qua duo Gemini Consules fuere.

1. CVM certa videantur, quæ hucusquè diximus de anno ætatis, quo Christus baptizatus est, & tempore, quo post baptismum Euangelium prædicauit; restat nunc alia, eaque præcipua difficultas de tempore, quo Christus obijt, de quo non adeò certò apud omnes constat. Quantumuis enim solutio ex prædictis pendere videatur, & clarè pateat, Christum anno 16. Tiberij egisse annum ætatis trigesimum, & post tres annos, ac tres menses, prædicationis pro humani generis redemptione mortem crucis subijsse; indè tamen non certò deducitur, Christum Dominum obijsse æra vulgari 33. quæ cum anno Tiberij decimo nono à morte Augusti concurrit: non enim vna, sed duplex est æra Tiberij, quam S. Lucas in vsum suæ computationis adhibere potuit. Nam præter illam, quæ incipit à morte Augusti, Pompeio & Apuleio Consulibus, anno æræ vulgaris 14. quo Octauianus die 19. Aug. in sua resolutus initia mortalitatem expleuit, & à quo Tiberij epocha communiter desumitur, est & alia, quæ ante mortem Augusti inchoatur, cuius meminit ipse Augustus in Monimento Ancyrano: dum *Conlega Tiberio Sexto Pompeio, & Sexto Apuleio Consulibus* lustrum à se conditum refert. Et post Augustum Tacitus, à quo *Tiberius Augusti filius, & Collega Imperij* vocatur. Cum enim Tiberius Imperij Collega fuerit cum Augusto, aliam Tiberij epocham esse oportuit, à qua Imperium eius computari potuit, ab illa nimirùm, qua cum Augusto regnare cœpit. Qua de re antequàm sententiam nostram proponamus, audiendi sunt antiqui scriptores prophani.

2. Scribit enim Velleius Paterculus lib. 2. *Cum Senatus Populusque Romanus postulante patre eius* (nimirùm Augusto) *vt æquum ei* (scilicet Tiberio) *ius in omnibus Prouincijs, exercitibusque esset, quàm erat ipsi, decreto complexus fuisset. Etenim absurdum erat, non esse sub illo, quæ ab illo vindicabantur, & qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non iudicari parem. In Vrbem reuersus iam pridem debitum, sed vindicatione hostium dilatum ex Pannonijs, Delmatisque egit trium-*

umphum. Viuente itaque Augusto æquum Tiberio ius fuit in omnibus Prouincijs exercitibusque, quod ex Senatus Consulto ei delatum fuisse Velleius Paterculus auctor coëtaneus commemorat. Notanda autem sunt vltima eius verba: *Tiberium iam pridem debitum, sed vindicatione hostium dilatum, egisse triumphum*: ex illis quippè conciliari possunt auctores circa tempus, quo Augustus *Collegam suum Tiberium nuncupari iussit*. Suetonius enim cap. 20. in vita Tiberij: *Dedicauit*, inquit, *& Concordiæ ædem, item Pollucis & Castoris suo fratrisque nomine de manubijs. Ac non multo post lege per Consules lata, vt Prouincias cum Augusto communiter administraret, simulque censum ageret, condito lustro in Illyricum profectus est*. Dio Cassius autem libro 56. ob victoriam, quam Tiberius de Dalmatis tulerat, ei nomen Imperatoris tributum fuisse affirmat. *Victoriæ nuntium*, inquit, *attulit Germanicus, eiusque ergo Augusto, & Tiberio nomen Imperatorium, ac triumphus decretus*. Cumque nonnulla de bello Germanico commemorasset, subiungit: *Anno sequente Tiberius ædem Concordiæ sacrauit inscripto suo, & fratris Drusi vita nuper defuncti nominibus. M. Aemilio Lepido & Statilio Tauro Consulibus, Tiberius & Germanicus, cui Proconsulare erat imperiũ, impressionem in Germaniam fecerunt &c.* Asserit Dio, anno integro ante dedicatam Concordiæ ædem Tiberio Imperatorium nomen, ac triumphum decretum. Affirmat Suetonius, non multò post dedicatam Concordiæ ædem Tiberium Prouincias cum Augusto communiter administrasse. Quæ licèt sibi aduersa videantur, facilè tamen, vt puto, conciliari possunt, si illa verba Suetonij, *lege per Consules lata &c.* per modum parenthesis legantur, vt legenda esse existimo, & ad verba Dionis nonnulla alia adiungamus, quæ ipse Dio ibidem adiungit: affirmat enim, *ob bellum Germanicum, quæ decreta erant, ludique omissi*: quòd nimirum Tiberio ad bellum illud sese accingente, triumphus, qui ex Senatus consulto decretus erat, ludique omissi sint. Quod etiam docet Paterculus, dum scribit, Tiberium ex Germania reducem *iampridem debitum, sed vindicatione hostium dilatum ex Pannonijs, Delmatisque egisse triumphum*. Et hoc est, quod Suetonius quoquè significat, dum post cladem Varianam Tiberium in Germaniã profectum fuisse asserit, & post biennium triumphum egisse: ita enim in Tiberio cap. 17. *Varus cum tribus legionibus in Germania perijt, nemine dubitante, quin victores Germani iuncturi se Pannonijs fuerint, nisi debellatum priùs Illyricum esset* (ope nimirùm Tiberij) *quas ob res triumphus ei decretus est*,

est, multiq; & magni honores. Et infrà; *Triumphũ ille distulit mœsta ciuitate clade Variana*. Et rursùs: *Proximo anno repetita Germania, cum animaduerteret, Varianam cladem temeritate, & negligentia ducis accidisse*. Ex quibus Suetonij verbis apertè colligitur, Tiberium anno cladis Varianæ, quæ Dolabella & Silano Consulibus æra vulgari decima contigit, ad Imperium vnà cum Augusto administrandum promotum fuisse, solumque triumphum tunc dilatum fuisse, quem post biennium in Germania exactum egit, vt Suetonius cap. 20. commemorat: *A Germania in Vrbem post biennium regressus, triumphum, quem distulerat, egit*. Egit autem illum vltimo Augusti anno, cui si biennium, quo in Germania fuit, & tempus, quod inter Senatus consultum de agendo triumpho vsque ad Tiberij profectionem in Germaniam addas, habebis annos ante obitum Augusti tres expletos, quibus Tiberius lege per Consules lata, vt Prouincias cum Augusto communiter administraret, Imperatorium nomen obtinuerat. Id quod Dolabella & Silano Consulibus, antequàm Tiberius in Germaniam profectus est, contigit. Ex quibus omnibus manifestum fit, annos Tiberij numerari ab Euangelista potuisse ab anno ante Augusti obitum quarto labente, aliamque epocham Tiberij esse, quàm quæ à morte Augusti cœpit, & communiter iam in vsu est.

3. Audiendus nunc est Clemens Alexandrinus, qui ante 1430. annos lib. 1. Stromatum versus finem annos Imperatorum recensens, primùm *Tiberio annos XXII. Imperij, & aliquot menses tribuit*: deindè secundum aliorum computationem, annos XXVI. cum sex mensibus. *Quidam*, inquit, *Romanorum Imperatorum tempora sic describunt. ..... Tiberius annis viginti sex, mensibus sex, diebus nouemdecim*. Quo ex loco patet, duplicem fuisse epocham annorum Tiberij, qua ante Clementem Alexandrinum vtebantur Scriptores: vnam annorum 22. vt habetur in editis Clementis Operibus, seu potiùs 23. & aliquot mensium, quot nimirùm solus regnauit à morte Augusti: aliam annorum 26. & mensium sex, quos licèt Clemens indicet computatos fuisse à morte eiusdem Augusti, nullum tamen dubium mihi est, quin computati fuerint à tempore Proconsularis Imperij. Si enim veteres illi computassent annos Tiberij à morte Augusti, necessariò non circa initium Imperij Tiberij, sed circa finem eius discordes fuissent, cum tamen apud omnes semper constiterit, quo Consulatu, & tempore Tiberius obijt. Aliud omninò dicendum videtur de initio Imperij Tiberij, circa quod scriptores prophani discordes fuerunt, eò quòd nonnulli illorum Proconsulare eius Imperium

rium admiserint; alij omisso Proconsularis Imperij initio, Regnum Tiberij à morte Augusti computare cœperint. Primo autem modo D. Lucas, qui non Romæ, sed in Prouincijs Euangelium scripsit, Imperium Tiberij computasse censendus est, dum affirmat, verbum Domini suprà Ioannem factum esse anno 15. Tiberij, non quidem à tempore, quo imperauit solus, quod per vocem τῆς βασιλείας, exprimere poterat, sed quo Proconsulare Imperium gessit, quod expressit per vocem τῆς ἡγεμονίας, quæ indifferens est ad qualecumque Imperium, & de prouincialibus Præsidibus etiam dicitur, quemadmodùm ibidem S. Lucas subiungit de Pilato: ἡγεμονεύοντος τοῦ Ποντίου Πιλάτου. τῆς. Ἰουδαίας, *procurante Pontio Pilato Iudæam*. Quo sensu etiam apud Suetonium dicitur, quòd Tiberius *lege per Consules lata Prouincias cum Augusto communiter administrauit*.

4. Quòd autem S. Lucas hoc modo, & non alio locutus sit de anno 15. Tiberij, facilè antiquorum Patrum, ac D. Augustini testimonijs comprobatur, vtpotè qui duobus locis affirmat ex Euangelio, & actis Christi ostendi posse, quòd duobus Geminis Consulibus passus sit. Primus locus est libro 18. de Ciuitate Dei, cap. 54. vbi expressè scribit, Apostolos suis sensibus probauisse, quòd Christus duobus Geminis Consulibus passus sit. *Sicut Apostoli*, inquit D. Augustinus, *suis etiam sensibus probauerunt*. Secundus locus est lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 28. vbi asserit; *id ex textu ipso actionum Christi* confirmari posse. Neque enim ex textu actionum Christi, neque ex Apostolorum sensibus probari posset, Christum duobus Geminis Consulibus obijsse, nisi supponantur Euangelistæ, vel Apostoli tradidisse, quòd verbum Domini venerit supra Ioannem anno 15. Proconsularis Imperij Tiberij. Si namque Lucas Euangelista intelligatur de anno 15. Imperij Tiberij à morte Augusti, Christum non duobus Geminis Consulibus, sed tertio, aut quarto Consulatu post prędictum mortuum fuisse oportuit in sententia Augustini, qui Christum tribus annis, & totidem mensibus prædicasse asseruit. Quarè dicendum est iuxta D. Augustinum, quòd ex textu actionum Christi à S. Luca exhibito pateat, verbum Domini factum esse supra Ioannem anno Proconsularis Imperij Tiberij 15. & Christum mortuum esse anno Proconsularis Imperij Tiberij 19. qui est à morte Augusti 15. Quod si rectè percipiatur, multa alia veterum Patrum testimonia sano sensu intelligi poterunt, quæ aliàs contra Scripturam facere videntur, cum multi sint, qui baptismum Christi anno 12. Tiberij collocant, quo Tiberij anno Christum baptizatum fuisse, Lucas non refert.

5. Iam

5. Iam verò his præmissis accedamus ad ea, quæ hoc capite demonstranda suscepimus, quòd Christus passus sit duobus Geminis Consulibus, prout constanter tradiderunt antiquiores Ecclesiæ Patres; & ex eo constat, quòd, licèt circa annos Tiberij, & vitæ Christi dissentiant, in Consulatu tamen conuenire videantur. Sic antiquus Carthaginiensis presbyter Tertullianus libro aduersus Iudæos: *Tiberij quinto decimo anno Imperij passus est Christus annos habens 33. cum pateretur*: Ita enim legit D. Hieronymus in caput 9. Danielis, & non annos 30. vt habetur in Tertulliani operibus typis editis. Prosequitur idem Tertullianus: *Quæ passio huius exterminij intra tempora LXX. hebdomadarum perfecta est sub Tiberio Cæsare, Consulibus Rubellio Gemino, & Fufio Gemino, mense Martio, temporibus Paschæ die, 8. Calendarum Aprilium, die prima Azymorum*. Hæc Tertullianus, qui expressè asserit, Christum Dominum mortuum fuisse duobus Geminis Coss. Quod etiam Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. affirmat, licèt in annis vitæ Christi à Tertulliano discrepet: *Anno autem decimo quinto Tiberij Cæsaris*, inquit Clemens, *factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium*. Et rursus in eodem: *Erat IESVS veniens ad baptisma quasi triginta annorum*. Et quòd anno solo oporteret eum prædicare, *hoc quoquè sic scriptum est*: *Annum acceptabilem Domini prædicatum misit me. Hoc & Propheta dixit, & Euangelium. Quinto decimo ergò anno Tiberij, & quinto decimo Augusti, sic implentur triginta anni, vsque ad tempus, quo passus est*. Pro comperto habebat Clemens, ex Consulatu, ni fallor, duorum Geminorum, quòd Christus obierit anno Tiberij iuxta priorem epocham decimo quinto expleto; & ne videretur Lucæ testimonio contradicere, quo Christum anno Tiberij decimo quinto baptizatum fuisse constat, affirmat id de anno 15. inchoato intelligendum esse, ac vnum dumtaxat annum prædicationis adiungi debere, vt anno 15. Tiberij iam expleto cruci affixus mortem obierit. Eodem modo Iulius Africanus Clementi Alexandrino contemporaneus scribere potuit apud D. Hieronymum in Comment. ad cap. 9. Danielis: *Anno decimo quinto Tiberij Cæsaris, quando passus est Christus*. Et Auctor Anonymus, qui sub Alexandro Imperatore scripsit, cuius excerpta tempore Caroli Magni Anonymus Gallus collegit, ac Henricus Canisius Tomo 2. Antiquarum lectionum edidit: *A generatione Christi vsque ad passionem eius anni 30. & à passione eius vsque in hunc annum, qui est 13. Alexandri, anni 206*. Ex his enim constat,

antiquissimum hunc Auctorem collocasse Christi mortem Consulatu duorum Geminorum, à quo vsque ad annum 13. Alexandri sunt anni 206. Vnde & Lactantius, qui Crispum Constantini filium erudiendum acceperat, lib. 4. cap. 10. de vera sapientia: *Herodes fuit sub imperio Tiberij Cæsaris, cuius anno quinto decimo, idest duobus Geminis Consulibus, ante diem septimam Calendarum Aprilium Iudæi Christum cruci affixerunt.* Et libro de Mortibus Persecutorum nuper è tenebris eruto: *Extremis temporibus Tiberij Cæsaris, vt scriptum legimus, Dominus noster IESVS Christus à Iudæis cruciatus est post diem decimam Kalendarum Aprilium duobus Geminis Coss.*

6. Atque hactenùs quidem de antiquissimis scriptoribus Ecclesiasticis, qui licèt circa annos ætatis Tiberij, aut annos vitæ Christi, quibus baptizatus, passusque est, non conueniant; communi tamen sententia tenuerunt, Christum mortem obijsse Consulatu duorum Geminorum, à quo nemo sequentibus post Lactantium temporibus recessit, quin in alios errores impegerit, vt statim videbimus, cum primùm eorum testimonia retulerimus, qui post tertium sæculum, Christum Dominum duobus Geminis Consulibus crucifixum fuisse tradiderunt. Ità enim antiquior Catalogus tempore Liberij Papæ conscriptus habet in proœmio: *Imperante Tiberio Cæsare passus est Dominus noster IESVS Christus, duobus Geminis Consulibus 8. Kalen. Aprilis.* D. Augustinus cum ad vltimum vitæ peruenisset, lib. 8. de Ciuitate Dei; cap. 54. *Mortuus est Christus duobus Geminis Consulibus VIII. Kal. Aprilis.* Seuerus Sulpitius libro 2. Historiæ, asserens: *Dominum crucifixum esse Fusio Gemino, & Rubellio Gemino.* Victorius Aquitanus Canonem suum Paschalem his verbis incipiens: *Crucifixio Christi duobus Geminis Ruffino, & Rubellio:* Fasti sub nomine Idatij à Sirmondo, & Labbeo editi. *Rufo & Rubellione: his Consulibus passus est Christus die* 10. *Kal. Aprilis, & resurrexit* 8. *Kalend. easdem.* Antiqui Consulum Catalogi apud Cuspinianum in Commentario Consulum Cassiodori etiam habent; *quòd sit passus Dominus IESVS Christus Consulibus duobus Geminis.* Ex quibus omnibus, ni fallor, constat, verum esse, quod in Auctario Chronici S. Prosperi quoad Consulatum duorum Geminorum annotatur: *Vsitatior traditio habet, Dominum nostrum decimo quinto anno Tiberij Cæsaris, duobus Geminis Consulibus crucifixum.* Omittendum tamen non est, quod in ipso Chronico S. Prosper affirmat: *Quidam putant Dominum nostrum IESVM Christum 15. anno Regni Ti-*

Tiberij Cæsaris, idest duobus Geminis Consulibus, crucifixum; quo anno secundum indubitabilem Lucæ Euangelistæ auctoritatem baptizatum eum esse manifestum est, & Euangelium regni cælorum prædicare cœpisse. Hæc S. Prosper non animaduertens duplicem fuisse epocham Tiberij, & Geminorum Consulatum, qui secundum epocham à Prospero admissam incidebat in annum 15. Tiberij, secundum epocham verò à Clemente Alexandrino indicatam in annum Tiberij decimum octauum, quo anno innumeri ferè scriptores Christi mortem post Eusebium collocarunt.

7. Dixi, post Eusebium, ille enim primus fuit, qui omisso Consulatu mortem Christi anno 18. Tiberij collocauit, ductus, ni fallor, ex eo, quòd S. Lucas nulla Consulum mentione facta anno 15. Tiberij baptismum Christi posuerit, & Eusebius Christum tribus annis post baptismum obijsse crediderit. Accedit, eum in fastorum Consularium notitia haud satis accuratum reperiri; nam anno Tiberij decimo octauo Persici & Vitellij Consulatum posuit, qui in annum eiusdem Imperatoris vigesimum iuxta communem computandi modum, quem ipse sequitur, conijciendus erat. Vnde mirum non est, quòd in Consulibus suo tempori assignandis laborans nullam eorum rationem habendam esse putarit. Ignorantia autem Consulum in causa fuit, quòd Eusebius non perceperit annum decimum quintum Tiberij, de quo loquitur S. Lucas Euangelista, intelligendum esse secundum epocham, quæ Imperium Tiberij quarto anno ante mortem Augusti inchoat, secundum quam annus Tiberij decimus nonus in Consulatum duorum Geminorum incidit. Et hoc procul dubio magnus Ecclesiæ Doctor Augustinus obseruauit, dum lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 28. scripsit: *Ignorantia Consulatus, quo natus est Dominus, & quo passus est, nonnullos coëgit errare.* Id iam Eusebij exemplo ostendimus; id exemplis eorum omnium, qui Eusebium in Chronologia κατὰ πόδας secuti sunt, monstrare poterimus. Sic D. Ioannes Chrysostomus ponens Christi baptismum anno Augusti 42. adiungit: *Spatio 15. annorum regni eius Christus educatur. Successit autem Augusto Tiberius, & in 18. anno Regni Tiberij ad crucem venit, & patitur, & resurgit, & in cælum ascendit. Sic vt sint Augusti quidem quindecim, Tiberij autem octodecim.* Idem sentiunt Isidorus Hispalensis in Chronico: *Tiberij decimo octauo Regni anno Dominus crucifixus est.* Venerabilis Beda de ratione temporum: *Anno 18. Imperij Tiberij Dominus sua passione mundum redemit.* Antiquissimi Chronici fragmentum ante annos 900. litteris

maiuſculis conſcriptum, & in M. S. Codice 5007. Bibliothecæ Vaticanæ aſſeruatum: *Tiberius regnauit annis 23. Huius quinto decimo Imperij anno Dominus poſt baptiſmum regnum Cœlorum adnuntiauit: octauo decimo eiuſdem anno ſua paſſione mundum redemit.* Octingentorum annorum Chronicon litteris longobardicis exaratum in M. S. Codice, qui ſpectat ad Eminentiſſimum Cardinalem Caſanate: *A natiuitate Domini noſtri IESV Chriſti vſque ad Tiberium numerantur anni 14. A Tiberio verò vſque ad paſſionem Chriſti, ſunt anni octodecim.* Anaſtaſius Bibliothecarius in hiſtoria: *Porrò 42. anno Imperij eius* (nimirum Auguſti) *natus eſt ſecundum carnem; 15. autem anno Imperij Tiberij ſalutarem, & Euangelicam doctrinam inchoat Dominus noſter IESVS Chriſtus: pręterea anno 18. paſſus eſt in Hieruſalem pro nobis ſalutarem paſſionem.* Et vt verbo rem expediam, alij recentiores ferè omnes tam Græci, quàm Latini, qui cum Euſebio natiuitatem Chriſti anno Auguſti 42. & eius mortem anno Tiberij 18. collocant, ex ſola ignorantia Conſulatus errantes in annis Imperatorum, vt ſuprà ex Auguſtino oſtendimus contigiſſe in eorum omnium duce, & anteſignano Euſebio, qui omnium primus Chriſtum anno 42. Auguſti natum, & anno 18. Tiberij ſecundum vulgarem computandi modum mortuum fuiſſe aſſeruit.

8. Porrò quàm grauiter Euſebius, & qui eum ſecuti ſunt, à vera Chronologia aberrarint, vel ex eo conſtat, quòd Chriſto 33. annos cum tribus menſibus tribuant, quos computant ab anno, Auguſti 42. vſque ad annum 18. Tiberij, quo anno Tiberij mortem Chriſti collocant, cum neque feria ſexta, neque dies 25. Martij, quibus Chriſtus Dominus crucifixus eſt, anno illi conueniant. Quòd autem Chriſtus paſſus ſit feria ſexta, habet antiqua Patrum traditio, cuius origo ab ipſo Euangelio deducitur. Refert enim Ioannes cap. 19. *quoniam Paraſceue erat.* Quòd verò feria illa ſexta in diem 25. Martij inciderit, Apoſtoli ipſi comprobarunt, vt Auguſtinus docuit libro 18. de Ciuitate Dei, cap. 54. vbi: *Mortuus eſt Chriſtus duobus Geminis Conſulibus, octauo Kalendas Aprilis; reſurrexit tertia die: ſicut Apoſtoli ſuis etiam ſenſibus probauerunt.* Apoſtoli itaque Chriſtum VIII. Kal. Aprilis ſeu die 25. Martij mortuum fuiſſe tradiderunt, quorum traditionem ſecutus eſt Tertullianus libro aduerſus Iudæos, dum paſſionem Chriſti collocat *menſe Martio, temporibus Paſchę die VIII. Kalendarum Aprilium, die prima azymorum, quo agnum, vt occiderent ad veſperam, à Moyſe fuerat præceptum.* Hippolytus Portuenſis Epiſcopus, qui ſub

Alexandro martyr occubuit, in Canone quoque Paschali *VIII. Kalendas Aprilis feria sexta passionem Domini* posuit. Extat hic Canon Paschalis non in codice exaratus, sed basi marmoreæ incisus, quæ simul cum antiquissima Hippolyti statua in Bibliotheca Vaticana visitur. Concinit antiquissimus Catalogus Romanorum Pontificum tempore Liberij Papæ, id est, quarto sæculo exaratus, in quo Christi passio ponitur sub imperio Tiberij: *duobus Geminis Consulibus VIII. Kalendas Aprilis*. Vetustius Occidentalis Ecclesiæ Martyrologium D. Hieronymo à Cassiodoro, Beda, Vvalfrido, Notkero, alijsque scriptoribus tributum, à D. Gregorio autem descriptum, ac ab Adone laudatum, nuperque in lucem editum: *VIII. Kalen. Aprilis: in Hierosolyma Dominus IESVS Christus crucifixus est*. Antiquissimum Martyrologium ante mille annos charactere Anglo Britannico exaratum apud Henschenium ad diem 25. Martij: *VIII. Kal. Aprilis. Hierosolymis Dominus crucifixus est*. Beda lib. de ratione temp. cap. 25. *Quòd VIII. Kalendarum Aprilium crucifixus, VI. Kalendarum Aprilium resurrexerit, multorum latè doctorum Ecclesiasticorum constat sententia vulgatum*. Vsuardus in Martyrologio iussu Caroli Magni conscripto: *VIII. Kal. April. IESVS Christus Dominus noster passus est*. Apud Eminentissimum Cardinalem Casanate M. S. Codex charactere Longobardico Beneuenti anno 812. exaratus, cui Calendarium præfigitur, in quo 8. *Kalend. Aprilis* habetur: *Dominus crucifixus est, & conceptus*. M. S. Martyrologium Reginæ Sueciæ ante 850. annos conscriptum: *VIII. Kal. April. Hierosolymæ Dominus crucifixus est*. Antiquum 800. annorum Calendarium, quod Codici 485. Palatino præponitur: *VIII. Kal Aprilis Dominus crucifixus est*. Anastasius Bibliothecarius in historia: *Passus est in Hierusalem pro nobis salutarem passionem VIII. Kal. Aprilis*. Octingentorum annorum Codici Vaticano Sacramentarium Gregorij Magni continenti præfigitur Calendarium, seu potius breue Martyrologium, in quo *VIII. Kal. Aprilis* ponitur: *Annuntiatio, conceptio, & passio Domini*. Calendarium Atrebatense anno 826. conscriptum, & à Luca d' Acherio Tomo X. Spicilegiorum editum habet: *VIII. Kal. Aprilis conceptio Christi, & passio Domini*. Viginti Martyrologia Manuscripta, quæ vidit Henschenius in varijs Europæ archiuis asseruata, hanc veritatem continent, & de vnanimi Occidentalium Ecclesiarum traditione testimonium perhibent, vt, quod D. Augustinus de primitiuæ Ecclesiæ sæculis scripsit lib. 4. de Trinitate, cap. 5. nos de sæculis

Au-

Augustinum subsecutis dicere possimus: *Sicut à maioribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas, octauo Kal. Aprilis conceptus traditur.* Quæ cum ita sint, sequitur profectò, Christum obijsse, non quidem anno 18. Tiberij secundum epocham, quam secuti sunt Eusebius, & eius sequaces, sed anno 18. expleto secundum aliam epocham, quam S. Lucas secutus videtur. Illi enim, & non alteri epochæ conuenit antiqua Ecclesiarum traditio de morte Christi feria sexta, die vigesima quinta Martij, vt fatetur Petauius lib. 12. de doctrina temporum, cap. 12. vbi affirmat Capelli sententiam de anno communis æræ vigesimo nono conuenire cum prædicta Patrum traditione: *Feriam,* inquit, *ipsam illo die sextam habemus, cum cyclus esset lunæ XI. Solis X. littera B.* nihilque aliud opponit, quàm lunæ calculum abhorrere, & sextâ feria non fuisse plenilunium, quo Christus passus est.

9. Nolo hìc difficilimam quæstionem astronomicam de Plenilunio tempore mortis Christi curiosiùs prosequi, eo quòd ex illo præcipuam difficultatem de die, & tempore mortis Christi non pendere existimem. Quamuìs enim decima quinta luna Iudæi Pascha celebrare consueuerint, & circa Pascha Iudæorum Christus mortem obierit, adeò vt contra naturæ ordinem solis tunc eclipsis contigerit; tam multa tamen sunt, quæ de decima quinta luna, tempore mortis Christi controuertuntur, vt hac de re nihil certi statui possit. De eclipsi quidem illa testatur S. Lucas cap. 23. *Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam, & obscuratus est sol &c.* Sed de luna XV. non loquitur. Quin etiam fatetur Philippus Labbeus Tomo 3. Chronologiæ Gallicæ, in demonstratione, cap. 5. plures fuisse Rabbinos, qui docuerunt cum Philone, nouam lunam non cœpisse numerari à coniunctione cum sole, siue nouilunio astronomico, sed à prima lunæ crescentis apparitione. Quo posito, omnium Astronomorum calculi huc vsquè facti defectuosi erunt ad inueniendam decimam quintam lunam tempore mortis Christi, cum illi procedant ab vno plenilunio astronomico ad aliud, & decimam quintam lunam assignent, quę apud Hebręos non erat nisi decima tertia, vel duodecima. Vnde Christus secundum illos mortuus fuisset decima septima, vel decima octaua luna astronomica. Nec dicendum est, horum testimonium contemni posse. Philo enim, quem inter cæteros Labbeus nominat, est auctor grauissimus, & illis temporibus in Iudæa vixit, quo Christus ibidem obijt. Neque vrgeri potest, Hæbreos iuxta legem Pascha celebrasse luna deci-

ma

ma quinta astronomica: vt enim notat S. Epiphanius hæresi 70. §. 2. licèt Pascha ab illis ante celebrari non potuerit, quàm post æquinoctium vernale; constat tamen, *Iudæos illud nequaquam obseruasse, apud quos deprauata, ac perturbata erant omnia*. Et Constantinus Magnus epistola, quam ex Nicæna Synodo scripsit ad Ecclesias: *Iudæi ne hac quidem parte veritatem perspiciunt, quippe qui vt plurimum aberrantes non modò errorem non corrigunt, sed in eodem anno alterum Pascha celebrant*. Vndè Keplerus præstans Astronomus in Eclogis Chronicis anno 1615. Francofurti excusis, pag. 90. Reusnerum, & Caluisium suis de Paschate calculis nihil efficere, sed vtrumque tanquam murem in pice hærere affirmat. *Probandum est legitimè*, inquit, *Iudæos tam bene fuisse astronomicè doctos, quantam hodie cognitionem afferunt ad hanc causam. Ego contrarium affirmo, priscos illos Iudæos vsque ad Christi ferè tempora in vsu Kalendarij nihil vltrà vulgi captum sapuisse*. Addit, veterum Græcorum tabulas à Metone 430. annis ante Christum fuisse primùm correctas, deindè à Calippo, demùm anno 172. ante Christum modum supputandi menses lunares in Iudæam introductum fuisse, ipso insuper tempore Hipparchum Callippicas Periodos correxisse, ostendendo quòd in 304. annis abundet vna dies, nec eius rationem fuisse receptam: ac ita factum, vt lunaria Calendaria per Asiam vsu recepta paulatim aberrarint à cursu cœli. Affirmat proindè ex D. Epiphanio, qui ante conuersionem Iudæus fuerat, & circa annum 400. post Christum floruit, vnicum testimonium haberi, quali anno Iudæi tunc fuerint vsi, cum Christus nasceretur, nempè Cyclo 84. annorum; summam autem hanc esse: *Potuit biduo, & triduo, immò quatriduo à luna cœli aberrare, eamque anteuertere*. Cumque hæc, & nonnulla alia scripsisset Keplerus, subiungit: *Valde itaque decepti sunt nostri Astronomi his vltimis 150. annis, qui ex sua perfecta astronomia plenilunia ad tempora Christi, ex pleniluniis festa Iudæorum, ex his, & concursu feriæ, annum passionis ausi sunt determinare alium, quàm veteres ætati Christi proximi tradiderunt. Si hodie quis omisso computu Ecclesiastico aberrante, ex astronomia perfecta accomodatis decretis Nicænis, quæ iactantur, computaret Paschata superiorum sæculorum, is creberrimè aberraret ab vsuali Paschate, & vix vnquam iustum historiæ annum assequeretur*. Ita Keplerus, cuius sententiam laudat Henschenius in exercitatione 1. ad proœmium prioris Catalogi Romanorum Pontificum, ostenditque, ex anno 1674. quòd Pascha ab ijs, qui correctionem Gregorij XIII. admi-

admiserunt, celebratum sit die 25. Martij, luna 17. ab alijs, qui correctionem non admiserunt, die 29. Aprilis, illis 19. & luna astronomica 23. quod absurdum esse ipsi fatebantur. Quæ cum ita sint, abundè, ni fallor, ex ijs constat, difficillimum esse, verum mensium lunarium computum inire; & cum omnes menses computati erunt, nihil certi haberi posse de luna, qua Hebræi Pascha suum celebrarunt, rectèque proindè scripsisse Henschenium: *Propter Mathematicorum calculum, aut ἀγαμικὰ φαινόμενα, velle à doctrina antiquorum Patrum vnanimi consensu tradita desciscere, non videri viri sapientis.*

10. Vnum dumtaxat notatu dignum occurrit de eclipsi solis, quam tempore mortis Christi contigisse, refert S. Lucas. Tertullianus enim in Apologetico, cap. 21. affirmat, eam à Gentibus obseruatam, ac in archiuis illarum custoditam fuisse: *Eodem momento*, inquit Tertullianus, *dies medium orbem signante sole subducta est, deliquium vtique putauerunt, qui id quoquè super Christo prædicatum non scierunt; & tamen eum mundi casum relatum in archiuis vestris habetis.* S. Augustinus epistola 80. ad Hesychium addit, non solum in annalibus Romanorum eclipsim illam annotatam fuisse, sed ethnicorum inuidia factum, quòd nihil de ea publicatum sit: *Scriptum habuere in annalibus, sed euulgari vetuerunt.* Annales, quorum hic meminit Augustinus, vel Taciti historici annales sunt, in quibus hanc notitiam Gentiles eraserunt, antequàm Tacitus Imperator eius scripta *in omnibus Bibliothecis collocari iussit*: vel alij annales sunt, quos Romani in Archiuis suis asseruabant, & omninò euulgari vetuerunt, sic vt nunquam ad manus nostras peruenerint, sed cum plerisque alijs Romanorum monimentis interciderint. Hoc postremum concinit testimonio D. Augustini, neque verisimile est, Phlegontem ex ijs descripsisse, quæ de eclipsi habet in 13. libro: *Quarto autem anno 202. Olympiadis magna, & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis est facta: dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versa, vt stellæ in cœlo visæ sint, terræque motus in Bithynia Nicænæ vrbis multas ædes subuerterit.* Hæc Phlegon, cuius verba nobis seruauit Eusebius in Chronico, vbi affirmat, Phlegontem hic describere eclipsim, quæ tempore mortis Christi contigit, idque ea ratione motus, quòd annus quartus Olympiadis ducentesimæ secundæ concurrat cum anno Tiberij decimo octauo, quo Christum obijsse putat. Verùm non anno decimo octauo, sed decimo nono Tiberij hanc eclipsim contingere potuisse in Paschate feria sexta tempore plenilunij, contendunt ij, qui secundum tabulas astro-

no-

nomicas Paſcha, quo Chriſtus mortuus eſt, ex plenilunijs computant. Vnde ſequeretur, non anno quarto Olympiadis 202. ſed anno primo Olympiadis 203. Chriſtum obijſſe, quod eſt contra Phlegontis teſtimonium. Cum autem ſemel ab Euſebij teſtimonio recedendum ſit, quid oberit, quominùs dicatur Phlegon erraſſe in aſſignando anno quarto Olympiadis 202. cum annum primum aſſignare debuiſſet? Poſito tamen, quòd error reperiatur in Phlegonte, facilius eſt, ipſum erraſſe in vno, quàm duobus numeris: adeòque cum illi, qui mortem Chriſti anno 19. Tiberij collocant, fateri debeant, Phlegontem erraſſe in duobus numeris, anno nimirùm Olympiadis, qui loco quarti primus dicendus erat, & ipſa Olympiade, quæ loco 202. ſtatuenda erat 203. cur non veriſimilius eſſe dicemus; illum in ſolo anno erraſſe, vel, ſi mauis, errorem irrepſiſſe in textum Phlegontis ex librariorum incuria? Poſtquàm ſupradicta notaueram, incidi in Critica Pagij, qui ad annum 32. notat, Phlegontem eodem anno eclipſim collocaſſe, quo Chriſtus obijt, hoc eſt Conſulatu duorum Geminorum, idque Africani teſtimonio comprobat, qui vno tantum ſæculo poſt Phlegontem vixit, huiuſque opus de Olympiadibus libris 16. vt docet Suidas, comprehenſum videre potuit. Cum enim Phlegon Hadriano imperante, & Africanus Heliogabali tempore floruerint, vix credi poteſt, nobiliſſimum illud opus iam Africani ætate perijſſe, & ideò maiorem huic, quàm reliquis, qui neque opus illud viderunt, neque ita proximè Phlegonti vixerunt, fidem adhibendam eſſe. Africanus autem in fragmento à Syncello pag. 323. relato ait, eclipſim à Phlegonte memoratam accidiſſe anno 2. Olympiadis 202. quod etiam habet, lib. 5. τῶν χρονογράφων apud Euſebium lib. 8. de demonſtratione, & apud Hieronymum in cap. 9. Danielis: annus porrò ſecundus Olympiadis 202. anno æræ Chriſtianæ XXX. exorditur. Vndè Kepplerus, & Petauius, qui mortem Chriſti in annum 31. conferunt, Africanum erraſſe credunt: ille epiſt. 14. & 16. & hic lib. 12. de doctrina temporum, cap. 21. Sed vterque opinione falſus eſt: nam Africanus communes Olympiades integro biennio anteuertit, primamque orditur anno periodi Græco-Romanæ 4716. licèt Olympias communis anno eiuſdem periodi 4718. auſpicetur. Quarè annus ſecundus Olympiadis 202. quo eclipſis, à Phlegonte memorata, ab Africano contigiſſe dicitur, non cum anno Chriſti 31. vt Kepplerus & Petauius putarunt, ſed cum anno eiuſdem æræ 29. coniungendus, quo duo Gemini Conſules fuerunt, & Chriſtum mortuum fuiſſe, hoc capite pleriſq; antiquorum teſtimonijs oſtendimus, & ſequenti etiam comprobabimus.

CAPVT QVINTVM.

Stabilitur annus mortis Christi ex ijs, quæ eam subsequuta sunt.

HActenus quidem egimus de anno, & die mortis Christi ex ijs, quæ tunc contigerunt, dum mortem obijt. Nunc ex illis, quæ Christi mortem subsecuta sunt, vera chronologia stabilienda est. Vtque clariùs in ijs referendis procedamus, caput hoc in articulos diuidemus, & singulis articulis singula facta notatu digna examinabimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quòd constet ex ara Edessenorum, Christum duobus Geminis Consulibus obijsse.

1. *Syriæ Ciuitates epochas suas habebant, vt Iustiniani Imperatoris, & Eusebij testimonijs ostenditur: eas autem ad chronologiam Ecclesiasticam plurimùm conferre contra Baronium rectè Norisius tuetur.*

2. *Ex prædictis epochis sola illa elucidanda suscipitur, quæ ab Edessenis adhibebatur, & anno 1. Olympiadis 117. initium habuit, vt duobus Eusebij locis comprobatur.*

3. *Tertio loco, vbi Eusebius aræ Edessenorum meminit, eam ita ex tabulis publicis Ciuitatis Edessæ adducit, vt tempus mortis Christi ex illa statui possit. Asserit namque Taddæum post mortem Christi Edessam missum fuisse anno 340. Edessenorum, qui cum anno 1. Olympiadis 202. concurrit.*

3. *Ex hoc enim patet, mortem Christi collocari non potuisse anno 4. Olympiadis 202. vt ex eclipsi Phlegontis voluerunt plures Chronographi, sed anno 4. Olympiadis 201. quo Consules fuere duo Gemini, collocandam esse.*

1. IAm dudum obseruatum fuit ab illis, qui nummos Orientales diligenter examinarunt, quòd in ijs annotentur diuersæ epochæ, quas Syriæ Ciuitates adhibebant. Disertè harum meminit Imperator Iustinianus in Nouella 47. his verbis: *Si qua verò apud Orientis habitatores, aut alios homines obseruatio custodiatur in Ciuitatum temporibus; nec huic inuidemus, sed præscribatur quidem Imperium, sequatur verò (sicut dictum est) Consul, & indictio, atque mensis, & dies, secundum quem geruntur, & conscribuntur, quæ aguntur, & tunc inferatur etiam Ciuitatis omnibus modis annus.* Orientis habitatores peculiariter Iustinianus appellat eos, qui Orientis Diœcesim inhabitabant, & quorum diuersas epochas enumerat Eusebius in Chronico,

vbi Manichæorum hæresis initium anno Probi secundo statuit, addens: *Iuxta Antiochenos trecentesimus vigesimus quintus annus fuit; iuxta Tyrios quadringentesimus secundus; iuxta Laodicenos trecentesimus vigesimus quartus, iuxta Edessenos quingentesimus octogesimus octauus; iuxta Ascalonitas trecentesimus octogesimus*. Et quamuis Annalium parens Baronius secundo Probi anno huius eiusdem hæreseos initium ponens notarit, quòd recitati ab Eusebio plurium Ciuitatum Syriæ anni variatis numeris apud alios legantur, putaritque, de ijs haud necessarium esse disputare: *Quòd nihil ad Ecclesiasticam ab annis Christi deductam Chronologiam pertineant, quæ in diuersis Ciuitatibus diuersis ex caussis sunt annorum supputationes à maioribus introductæ*: aliter tamen sentit eruditus Norisius, qui quum videret, illis supputationibus Ecclesiasticam Chronologiam quàm maximè illustrari posse, opus singulare, & doctissimum de anno & epochis Syro-macedonum conscripsit, & vetustis Vrbium Syriæ nummis comprobauit.

2. Nolim hoc loco singulas Vrbium epochas ab Eusebio allatas, & commentarijs Norisij illustratas expendere; vnam dumtaxat Edessenorum æram hoc articulo examinabo, cuius annum 588. cum anno secundo Probi Imperatoris concurrere, testatus est Eusebius. Porrò cum secundus Probi annus incidat in annum primum Olympiadis 264. Vrbis conditæ 1030. æræ vulgaris 277. quo Consules fuere Probus ipse & Paulinus; sequitur profectò, Edessenos epocham suam inchoasse anno primo Olympiadis 117. Vrbis conditæ 442. ante æram vulgarem trecentesimo vndecimo. Ex quibus prorsùs colligitur, eos à vero aberrare, qui Edessenorum æram ab æra Seleucidarum distinguunt, cum vna, eademque fuerit, vt pluribus contra V. Cl. Ioannem Harduinum libro superiùs citato demonstrat Norisius. Cum enim æra Seleucidarum, vt rectè cum cæteris notat Harduinus, cœperit anno V. C. 442. qui fuit primus Olympiadis 117. omninò necesse est, æram Seleucidarum cum æra Edessenorum concurrere, vtpotè quæ eodem anno V. C. 442. inchoatur, vt non modò ab Eusebio asseritur, sed ex Eusebio quoquè probatur, qui annum 588. Edessenorum cum primo anno Olympiadis 264. copulat. Siquidem anni 588. dant Olympiadas integras 147. Igitur ab anno primo Olympiadis 264. retrocedentes per annos 588. deuenimus ad annum primũ Olympiadis 117. quo anno in Chronico Eusebius disertè statuit: *Ab hoc loco Edesseni sua tempora computant*.

3. Cum igitur tam manifestè habeamus ex Eusebio initium æræ

 Edes-

Edessenorum, iam adducendus est alius eiusdem locus, vbi ita æræ Edessenorum meminit, vt ex illa tempus mortis Christi statui possit. Enim verò Eusebius lib. 1. historiæ, cap. 13. ita scribit: *Post resurrectionem Christi, eiusque in cælos ascensum Thomas vnus è duodecim Apostolis diuino quodam impetu impulsus, Taddæum vnum è septuaginta Christi discipulorum numero Edessam misit, vt Christi doctrinam illis gentibus nuntiaret: eiusque opera Seruatoris nostri promissa exitum sortita sunt. Cuius quidem rei testimonium habemus ex ipsius Edessæ, in qua tum regnabat Abgarus, tabularijs desumptum: siquidem in monimentis publicis, in quibus antiquitates Vrbis, & res Abgari gestæ continentur, hæc etiam ad nostram vsque ætatem conseruata reperimus.* Hæc Eusebius, de cuius historiæ veritate nolim hoc loco inquirere; ea dumtaxat expendam, quæ subiungit: *Acta sunt hæc anno quadragesimo, ac trecentesimo, quæ non sine fructu, vt opinor, ex Syrorum lingua translata ad verbum hic opportunè collocata sunt.* Verba, quibus annus exprimitur, ita legebatur in græco: τεσσαρακοστῷ καὶ τρὶ τῷ ἔτει: quæ ita commentatur Henricus Valesius. *Huius loci vitium nobis primùm aperuit Regius Codex, de quo anteà non suspicabamur quidem, cumpræsertim Rufinus vulgatam lectionem confirmaret. Sed cum in codice Regio primùm, posteà verò in vetustissimo exemplari Mazarino, & in Fuk. scriptum inuenissem* τεσσαρακοστῷ καὶ τριακοσιοστῷ ἔτει: *veram huius loci sententiam statim sum odoratus. Ait igitur Eusebius, actorum illorum, quæ in Archiuis Edessæ reperrat, huiusmodi fuisse subscriptionem;* ἐπράχθη ταῦτα τεσσαρακοστῷ καὶ τριακοσιοστῷ ἔτει: *id est; Acta sunt hæc anno quadragesimo, & trecentesimo. Annus hic trecentesimus & quadragesimus iuxta Edessenos, cadit in annum primum Olympiadis 202. Etenim Edesseni annos suos numerabant ab Olympiadis 117. anno 1. quo Seleucus regnare orsus est in Asia, vt scribit Eusebius in Chronico: A quo tempore vsque ad initium Olympiadis 202. anni sunt trecenti ac quadraginta. Porrò initium Olympiadis 202. incidit in annum 15. Tiberij Cæsaris, qui duobus Geminis Consulibus est insignitus, quo quidem anno, & passionem, & ascensionem Domini contigisse, plerique veterum crediderunt, inter quos est Tertullianus, Augustinus, atque Victorius.*

4. Præclara est hæc Valesij obseruatio, & ad sententiam nostram de tempore mortis Christi comprobandam accommoda. Si enim ex tabulis publicis Edessenæ Ciuitatis habuit Eusebius, Taddæum post Christi mortem, & ascensionem missum fuisse ad Abgarum Edessam anno 340. quis du-

dubitare poterit de morte Christi ad prædictum annum peracta? Edesseni enim licèt in rebus quibusdam historicis aberrare potuerint, in æra tamen sua computanda nequaquam aberrasse creduntur. Quarè ex prædicto anno 340. Edessenorum sequitur omninò, mortem Christi non posse collocari æra vulgari 33. sed necessariò collocandam esse æra 29. qua duo Gemini Consules fuerunt. Nam æra illa incidit partim in annum primum Olympiadis 202. & partim in annum quartum Olympiadis 201. Cum enim Olympiades inciperent à diebus æstiuis mense Iunij, & nullatenus dubitandum sit, quin illa, quæ Eusebius de Taddæo, & Rege Edessenorum narrat, gesta supponantur post mensem Iunium; nullatenus quoquè dubitandum est, quin iuxta Edessenorum tabulas hæc contigerint, dum iam annus primus Olympiadis 202. inceperat, & Christus ad finem anni quarti Olympiadis 201. mense Martij obierat. Quod benè adnotandum est, cùm ex eo sequatur, eclipsim, quam Phlegon Hadriani libertus obseruauit, non potuisse contingere anno quarto Olympiadis 202. si illam tempore mortis Christi factam esse velimus. Enimuerò ante quadriennium obierat Christus Dominus iuxta tabulas publicas Ciuitatis Edessenæ. Ex quibus patet, errorē in Eusebij Chronicon irrepsisse, dum anno quarto Olympiadis 202. mors Christi, & eclipsis à Phlegonte obseruata collocantur, constatque verum esse, quod suprà notauimus, si Phlegontis lectionem apud Eusebium admittere velimus, quòd Phlegon ipse non quidem in anno, sed in Olympiade errauerit, ac pro anno quarto Olympiadis 201. minùs rectè annum quartum Olympiadis 202. substituerit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quòd si Tiberius ad Senatum retulerit de Christo inter Deos referendo, Christique apotheosi Seianus Præfectus Prætorio obstiterit, id in sola sententia, quæ Christi mortem æra 29. collocat, locum habere possit.

1. *Possinus malè Christianis tribuit confictionem Actorum Pilati, cum ea Gentilibus tribuenda sit, vt ex Eusebio patet, qui sub Maximino Orientis Imperatore Acta Pilati deprauata fuisse scribit, quod ex Actis Proconsularibus Tarathij, & sociorum comprobatur.*

2. *Christiani vera Pilati Acta olim habuerunt à suppositititijs diuersa, vt testimonijs Gregorij Turonensis, D. Epiphanij, & Insti-*

Iustini Martyris docetur,

3. *Ex Actis illis Tertullianus, Eusebius, Chrysostomus, & Orosius docuerunt, Pilatum de Christi miraculis, & diuinitate ad Tiberium, Tiberium ad Senatum retulisse, sed Seianum & Senatum Christi apotheosi obstitisse.*

4. *Ex Seiani oppositione colligitur tempus mortis Christi: cum enim Seianus obierit Consulatu Memmij Reguli, anno æræ vulgaris 31. ante illum annum Christum mortuum fuisse oportuit.*

5. *Satisfit Petro Possino, qui Seianum cum Senatu nequaquam Tiberio obsistere potuisse falsa ratione edoctus credidit. Tertulliani hac de re testimonium explicatur, malèque ab Eusebio intellectum fuisse ostenditur.*

6. *Historia autem de Christi apotheosi firmatur Taciti testimonio, quod de Christo, eiusque actis perhibuit.*

1. SVnt qui putant, inter aniles fabulas referenda esse, quæ de actis Christi à Pilato ad Tiberium, & à Tiberio ad Senatum relatis, memoriæ prodita sunt. Dicunt enim, primis Ecclesiæ sęculis Christianos credidisse, quòd fingere, ac mentiri pro religione pium erat; eamq; opinionem multis libris testatam voluisse, qui etiamnum magnis veterum nominibus insigniti supersunt, cum eos suppositios esse constet. Talia in primis asserunt esse Acta Pilati, quibus omnia illa, quæ in Christi vita, & morte contigerant, comprehenduntur. Ita epistola 3. ad Henschenium, sentit V. Cl. Petrus Possinus, quē miror Christianis tribuerę eorum Actorum confictionem, quæ Gentilibus tribuenda est, testante Eusebio lib. 9. cap. 4. quòd sub Maximino, qui tyrannidem in Oriente exercebat, Acta Pilati conficta sint: *Pilati*, inquit, *& Seruatoris nostri rerum gestarum tanquam Commentarios quosdam omni blasphemia, & conuitio contra Christum refertos confixerunt: quos de sententia Imperatoris in totum Regnum, quod eius ditioni parebat, mittunt: perque literas iubent, vt in quibusque locis, agris, & Ciuitatibus hi palam omnibus exponerentur, & ludimagistri pro alijs disciplinis pueros in hisce sedulò exercerent, hosque illis memoriæ mandandos traderent.* Hæc ibi Eusebius, qui cap. 6. adiungit: *Quòd pueri in ludis literarijs IESVM, & Pilatum, Commentariosque ad Christi contumeliam confictos in ore, & sermone quotidie habuerunt.* Nec pueri tantùm, sed etiam Præsides Prouinciarum, & Iudices hæc Acta Martyribus nostris obijciebant, vt eadem persecutione Maximus Iudex in Actis Proconsularibus Tarachij, Probi, & Andronici obiecit Andronico his verbis: *Iniquissime, non scis, quem inuocas Christum, hominem quemdam factum sub custodia Pontij Pilati punitum, cuius & Acta reposita sunt?* Erat Maximus Anazarbi, quod est Ciliciæ Orientis Prouincię oppidum, cum hęc Acta sub Maximino conficta Christi confessori obijceret. Quarè Andronicus respondit: *Obmutesce spiritus immunde: non enim licet tibi loqui de hoc, iniquissime.* Vbi Christi Martyr Tyranni impietatem eo modo refutat

futat, quò nihil de Actis Pilati diiudicat, quæ tamen Eusebius lib. 1. cap. 9. falsitatis ex adiecto Consulatu coarguit: *Quocircà*, inquit, *commentum eorum, qui heri propè, & nudius tertius commentarios contra Seruatorem nostrum ediderunt, perspicuè refutatur, in quibus primò omnium temporis ipsius ratio falsò ab illis obseruata mendacium eorum, qui talia commenti sunt, euidenter, & apertè coarguit: Nam ad quartum Consulatum Tiberij Cæsaris, qui fuit anno Regni eius septimo, facinora Iudæis in salutari Seruatoris passione admissa fuisse, isti commentarij complectuntur. Quo quidem tempore satis liquet, Pilatum nondum ad Iudeæ Præfecturam gerendam aduentasse, si Iosephi testimonio fidem adhibere velimus, qui libro eius suprà posito sic planè declarat, Pilatum à Tiberio anno Regni eius duodecimo Iudææ Præfectum fuisse designatum.*

lib. 18. Antiq. c. 3.

2. Non itaque Christiani, vt Petrus Possinus putabat, aniles fabulas Pilati Actis inseruerunt, sed Tyranni, & Gentiles, vt veritatem corrumperent: habebant enim Christiani vera Acta, quæ de Christo Seruatore nostro Pilatus confecerat, eaque passim Gentilibus in testimonium veritatis obijciebant, quæ cum Gentiles refutare non possent, deprauare studuerunt, & *antiquas litteras* corruperunt, vt non obscurè indicat Lactantius lib. 4. versus finem. Multa itaque flagitia Christo Domino affinxerunt Gentiles, & vt Eusebius testatur, commentarios omni blasphemia, & conuitio contra Christum refertos Pilati nomine ediderunt, vt hoc modo ea, quæ Præses ipsorum de Christi sanctitate, & miraculis ad Tiberium retulerat, ex hominum memoria delerent. Quod ipsis nequaquam successisse, testis est Gregorius Turonensis, quem Galli historiæ suæ patrem vocant. Hic enim lib. 1. cap. 24. manifestè affirmat: *Pilatus autem gesta ad Tiberium Cæsarem mittit, & ei tam de virtutibus Christi, quàm de passione, vel resurrectione eius insinuat: quæ gesta apud nos hodie retinentur scripta.* Vbi notandum est, Gregorium non agere de epistola, quæ nomine Pilati ad Tiberium scripta apud Hegesippum legitur, sed de gestis, seu Actis Pilati, quæ de virtutibus Christi, passione, & resurrectione eius agebant. Continebant quoquè Acta illa diem passionis eius; ex quo Quartodecimani, teste Epiphanio, hæresi 50. diem paschatis sui statuebant: *Sunt inter eos*, inquit, *nonnulli, qui vnam eamdemque diem obseruant, & vna, eademque ieiunant, ac mysterijs operantur: nam ex Actis Pilati accuratam se huius instituti rationem didicisse gloriantur, in quibus scriptum est: VIII. Kalendas Aprilis Saluatorem esse passum, quamobrèm* illa

illa ipsa die celebrare pascha volunt, in quamcumque demùm lunæ 14. dies incurrerit. Neque Acta illa reijcit Epiphanius, aut eorum authoritatem in dubium reuocat, sed è contrà obijcit varias lectiones, quæ tum allegari solent, cùm de auctore scripturæ conuenit: *Nos*, inquit, *Actorum eiusmodi Pilati exemplaria quædam inuenimus, quæ A. D. XV. Kal. Aprilis passionem Christi contigisse narrabant*. Porrò certum, & indubitatum est de veris, & sinceris Pilati Actis testimonium, quod Patrum antiquissimus, qui viros Apostolicos per ætatem nouit, Iustinus Martyr reddidit his verbis Apologia 2. pro Christianis. *Et postea quàm eum in crucem egerunt, sortes in illius vestes iecerunt, diuiseruntque inter se ij, qui eum in crucem sustulerunt. Hæc autem gesta esse, ex ijs Actis, quæ Pontio Pilato Prætore facta sunt, perspicere potestis*. Et infrà: *Nostrum verò Christum, vt morbos omnes curaturum fuisse, mortuosque ab inferis excitaturum, ex prophetia intelligatis, audite hæc, quæ prædicta sunt: In eius aduentu saltabit claudus, vt ceruus; mutorumque lingua plana, disertaque erit; cæci videbunt; leprosi mundabuntur; mortuique ab inferis excitabuntur, & ambulabunt. Hæc autem ab eo facta esse, ex ijs, quæ Pontio Pilato Prætore in eum facta sunt, intelligere potestis*. Hæc Iustinus Martyr, qui in Palæstina natus est, vbi Acta à Pilato conscripta fuerunt, & de ijs testimonium Romæ coram Antonino Imperatore perhibuit, ad cuius antecessorem Tiberium Pilatus ea retulerat.

3. Dicat proinde D. Irenæus Lugdunensis Episcopus libro 4. aduersus hæreses, cap. 14. *Quòd oportuerit veritatem ab omnibus testimonium accipere, & à domesticis, quoniam amici; & ab extraneis, quoniam & inimici*. Ac extraneorum nomine, etiam Pilatum comprehensum fuisse, interpretetur Feuardentius ad eumdem locum: Pilatus enim in Actis Christi, de veritate testimonium perhibuit, illudque pro munere suo ad Tiberium misit, qui de Christo inter Deos referendo ad Senatum retulit. Disertè id affirmat perantiquus Carthaginiensis Presbyter Tertullianus, qui in Apologetico pro Christianis illo facto gentes redarguit; *Tiberius ergò, cuius tempore nomen Christianum in sæculum intrauit, annuntiata sibi ex Syria Palæstina, quæ illic veritatem Diuinitatis reuelarant, detulit ad senatum cum prærogatiua suffragij sui. Senatus, quia non ipse probauerat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum*. Laudat hæc Tertulliani verba Eusebius Cæsareensis lib. 2. historiæ, cap. 2. & adiungit, ex Syria Palæstina Christi resurrectio-

ctionem, & miracula annuntiata fuisse à Pontio Pilato. *Quoniam*, inquit, *vetus hæc erat consuetudo Prouinciarum rectoribus, vt quidquid noui apud ipsos contigisset, Imperatori nuntiarent, ne quid ipsum lateret, Pilatus de resurrectione Saluatoris nostri IESV Christi, cuius per vniuersam Palæstinam celebris erat fama, ad Tiberium Principem retulit; multa quidem alia miracula se auditu accepisse significans, & qualiter ad vitam denuò reuocatus à plerisque iam Deus haberetur: ac Tiberium quidem rem ad Senatum detulisse perhibent, sed Senatum eiusmodi relationem aspernatum esse:* Citatur quoquè pro huius historiæ veritate D. Ioannes Chrysostomus, cuius verba græca profert Pearsonius in operibus posthumis, quæ licèt hucusque reperire nequiuerim in Chrysostomi commentarijs, persuadere tamen mihi ipsi non potui, textum ipsum à viro tam erudito confictum fuisse, sed malè citatum esse, & alio loco, quàm citat, reperiri. Textus autem Chrysostomi est: Σύγκλητος Ῥωμαίων. ταύτην εἶχε τὴν ἀξίαν χειροτονεῖν, καὶ ἐγκρίνειν θεούς. ὅταν οὖν τὰ κατὰ Χριστὸν ἀπηγγέλη, πάντα ἔπεμψεν ὁ τῶν ἐθνῶν ἄρχων πυνθανόμενος, εἰ δοκεῖ αὐτοῖς καὶ αὐτὸν χειροτονῆσαι θεόν. *Habuit Senatus Romanus hanc potestatem ordinandi, & decernendi Deos. Quum igitur, quæ de Christo erant, annuntiata essent, omnia ea misit gentis illius præses, vt viderent, an & Christus decernendus esset Deus.* Et eodem fermè tempore cum Chrysostomo Orosius lib. 7. cap. 4. *Postquàm passus est Dominus Christus, atque à mortuis resurrexit, & discipulos suos ad prædicandum dimisit, Pilatus Præses Palæstinæ Prouinciæ ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit de passione, & resurrectione Christi consequentibus virtutibus, quæ vel per ipsum palàm factæ fuerant, vel per discipulos ipsius in nomine eius fiebant; & de eo, quòd, certatim crescente plurimùm fide, Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni fauoris retulit ad Senatum, vt Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non sibi priùs secundum morem delatum esset, vt de suscipiendo cultu priùs ipse decerneret, consecrationem Christi recusauit, edictoque constituit, exterminandos esse Vrbe Christianos, præcipuè cum & Seianus Præfectus Tiberij suscipiendæ religioni obstinatissimè contradiceret. Tiberius tamen edicto accusatoribus Christianorum mortem comminatus est.* Et infrà: *Plurimos Senatorum proscripsit, & ad mortem coëgit. Viginti sibi Patricios viros consilij causa elegerat; horum vix duos incolumes reliquit, cæteros diuersis causis necauit; Seianum Præfectum suum res nouas molientem interfecit.*

4. Inter plura, quæ ex hoc

Orosij testimonio deduci possunt, vnum prę cæteris notandum est, Seianum Præfectum Prætorio obstitisse, ne Tiberij suffragium de Christo inter Deos referendo à Senatu reciperetur, & Seianum post hæc res nouas molientem iussu Tiberij interfectum fuisse. Vltimum hoc confirmat Iosephus lib. 18. Antiquitatum Iudaicarum, cap. 8. dum testatur, Seiani insidias detectas fuisse ab Antonia, *quæ traditis literis Palanti seruorum suorum fidelissimo, misit eum Capreas ad Tiberium, quibus ille cognitis Seianum occidit, & socios consilij*. Dio Cassius lib. 58. refert, hoc accidisse: *Memmio Regulo tum Consule*. Fuit autem Memmius Regulus suffectus Consul Kalendis Octobris, anno æræ vulgaris, non 33. vt putat Possinus, sed 31. vt ex lapide Nolano in epistola consulari ostendit eruditus Norisius, referens hanc eius inscriptionem.

TIB. CAESAR AVG. V.
SVF. VII. IDVS MAI. FAVSTVS CORNELIVS SVLLA.
SEXTIDIVS CATVLL. COS.
SVF. K. IVL. L. FVLCINIVS TRIO COS.
SVF. K. OCTOB. P. MEMMIVS REGVLVS COS.

Ex qua inscriptione constat, grauiter aberrare eruditum Possinum in tertia apud Henschenium epistola, dum Memmij Consulatum alteri anno tribui debere existimat. Huic autem inscriptioni optimè conuenit, quod Labbeus in Chronologia gallica statuit, anno nimirum 31. die 18. Octobris occubuisse Seianum. Quod cum ita esse, ex dictis comprobetur, patet omninò, haud rectè Orosium erroris accusatum fuisse ab Eminentissimo Cardinale Baronio existimante, Seianum occubuisse ante mortem Christi, adeóque Tiberio contradicere non potuisse de Christo inter Deos referendo. Quamuis enim Eminentissimus Annalium parens ad annum 33. ita senserit ob mortem Christi, quam anno 34. accidisse putauit; hæc tamen sententia adeò certa non est, vt obinde erroris arguendus sit Orosius. Quin potiùs cum nos verisimiliùs putemus, Christum non anno 34. sed 29. obijsse, opinionem nostram Dionis & Orosij testimonijs comprobamus, qui Seianum tertio anno post mortem Christi, & 18. imperij Tiberij interfectum fuisse ostendunt.

5. Nunc paucis satisfaciendum est Petro Possino non mediocris eruditionis viro, qui quod frangere telum nequiuit, astu declinare studuit. In tertia namque ad Henschenium epistola congerit quamplurima; & vt probet, hanc Christi Diuinitatis agnitionem à Tiberio tentatam omninò fa-

fabulosam esse, obijcit in primis, verisimile non esse, Seianum, aut Senatum Tiberio circa Christi apotheosim obstitisse. Sed vt verisimile reddatur, Seianum cum Senatu obstitisse Tiberio quoad Christi apotheosim, audiendus est Suetonius in Tiberio: *Quædam*, inquit, *aduersus sententiam suam decerni, ne questus quidem est*. Cur autem questus non sit, quòd Senatus circa Christi apotheosim ipsi obstiterit, Tertullianus his verbis docet: *Senatus, quia in se non probauerat, respuit*. Quæ verba Eusebius haud satìs intellexisse videtur, dum ea ita in græcum sermonem transtulit: ἡ δὲ σύγκλητος ἐπεὶ οὐκ αὐτὴ δεδοκιμάκει, ἀπώσατο: *Senatus, quia non ipse probauerat, respuit*. Vnde Eusebius consequenter dicit, ideò Senatum non approbasse Christi apotheosim, quia non priùs sua authoritate eam approbauerat. Tertulliani verò sensus est, ideò Senatum obstitisse Christi apotheosi, quia Tiberius obstiterat priùs apotheosi propriæ: non enim dixit Tertullianus; *quia non ipse probauerat*: sed *quia in se non probauerat*. Siquidem Senatus Tiberio Diuinitatem obtulerat, quam ille sibi oblatam respuit, vt refert Suetonius. Quia igitur Diuinitatem in se non probauerat Tiberius, sed oblatam respuerat, Senatus alium neminem in Deos suos referre voluit, ne eum Tiberio maiorem efficere videretur. Aliam rationem reddunt Patres, Deum ipsum non permisisse, quòd Diuinitas Filij sui decreto Senatus sanciretur. Alia ratio adferri potest, ex Diaboli scilicet inuidia profectum esse, quòd Christi apotheosis Senatus consulto probata non fuerit; idque inimicum humani generis, qui Pilati vxore vsus fuit, ne Christus morte sua genus humanum redimeret, Seiani & Senatus ope fecisse, ne Christi apotheosi Vrbs Roma, & Orbis Romanus ad veram religionem conuerterentur. Quarè auctor Chronici Alexandrini Gallo & Nonniano Coss. hæc omnia, quæ ad Pilati Acta, & Christi apotheosim spectant, his verbis comprehendit: *Horum Consulatu Pontius Pilatus Tiberium Cæsarem de Christianæ gentis religione edocet, & ille Senatum: quo religionem Christi respuente, decreuit capitis pœnam in Christianorum delatores, vti Tertullianus latiùs literis prodidit*. Vbi in religionem Christianam, quam multi in Iudæa amplexi erant, Senatum odium inuidiamque suam euomuisse affirmat.

6. Vt autem de horum omnium veritate manifestiùs constet, notanda planè sunt Cornelij Taciti verba, quibus Christi Domini, & Christianorum mentionem facit libro XV. Annalium loquens de Vrbis incendio, quod Neroni imputabatur. *Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia inuisos vulgus*

Christianos appellabat. Auctor nominis eius Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat, repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modò per Iudæam originem eius mali, sed per Vrbem etiam, quò cuncta vndique atrocia, aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primò correpti, qui fatebantur, deindè indicio eorum multitudo ingens haud perindè in crimine incendij, quàm odio humani generis conuicti sunt, & pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi: atque vbi defecisset dies, in vsum nocturni luminis vrerentur. An quisquam hunc Taciti locum rectè perpenderit, fateor me ignorare. Ex illo sanè manifestum fit, immeritò Possinum objicere, nullum ethnicum scriptorem de ijs mentionem fecisse, quæ à Tertulliano narrantur. Non enim à Tertulliani testimonio dissentit Tacitus, dum scribit, Christum Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectum fuisse. Vnde namque id scriptor Gentilis cognouisset, nisi de morte Christi à Pontio Pilato ad Tiberium relatum fuisset? Qua ratione scripsisset Tacitus, in præsens repressam fuisse Religionem, nisi ipsi constitisset, ex Senatus Consulto negatam fuisse Christi apotheosim, & eo modo religioni Christianæ aditum in Vrbem occlusum fuisse? Non dixit Tertullianus, non dixit Eusebius, Christianos sub Tiberio Romæ fuisse, sed Tiberium accusatoribus Christianorum mortem comminatum fuisse. Christiani autem illi erant in Iudæa, vbi post mortem Christi persecutio in illos mota est, de qua Pilatus Prouinciæ Præses pro munere suo ad Principem retulit. Tiberius autem accusatoribus potiùs, quàm Christianis mortem inferendam esse statuit. Et hoc Tacitus innuit, dum scribit, cœpisse sub Tiberio Religionem Christi promulgari per Iudæam: addit, per Vrbem etiam irrupisse, quod sub Claudio, & Nerone contigit, quorum vltimus primam persecutionem contra Christianos mouit, vt Tertullianus ex Romanorum annalibus constare ait. Qua de re hoc loco Tacitus in annalibus testimonium reddit, & Traianus Imperator ante huius historici tempora Ignatio Martyri de Christo loquenti respondit: *Illum dicis, qui sub Pontio Pilato crucifixus est.* Quibus satìs Acta S. Ignatij Martyris superque indicat, à Pontio Pilato Acta de Christo Romam transmissa fuisse, ex quibus crucifixionem Christi colligere licebat.

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS.

Quod Apostoli iuxta Apollonij traditionem 12. annis in Iudæa manserint ante diuisionem; idque in nulla alia sententia locum habere possit, quàm in ea, quæ Christi mortem anno 29. æræ vulgaris ponit.

1. *Apostoli Hierosolymis post Christi mortem manserunt duodecim annis, vt habet Apollonij traditio, quam Chronologia de æra 29. mortis Christi optimè conuenire, ostendit Henschenius.*

2. *Loco* duodecim *legendum esse* duos *annos, putat Cl. Papebrochius, cuius correctio minimè probatur. Duodecim annos enim legit Eusebius; & totidem Hierosolymis, ac in vicinis regionibus mansisse Apostolos, credidit Henschenius.*

3. *Apostolos autem plusquàm duobus annis post Christi mortem simul in Iudæa, & Syria versatos fuisse, ac post longum temporis spatium à se inuicem diuisos fuisse, ex D. Chrysostomo constat, cuius testimonium adfertur, quod quidem græcè non reperitur in editione Frontonis Ducæi, sed extat in editione Etonensi Henrici Sauilij.*

1. IN fine præcedentis Articuli mentionem fecimus de persecutione Hierosolymis mota anno post passionem Christi primo, de qua refert S. Lucas Actorum 8. cap. *Quòd omnes fideles in ea dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ præter Apostolos*: Ad quæ verba notat Baronius circa finem anni 34. Christo auctore contigisse, quòd Apostoli vnà cum alijs dispersi non fuerint, *vtpotè qui illis dedit implere, quod iusserat, vt inter infensissimos hostes ad duodecim annos, quemadmodùm habet Apollonij traditio, versarentur*. Apollonius, quem hic commemorat Baronius, vrbis Romanæ Senator fuit sub Commodo Imperatore; & de eo narrat Eusebius lib. 5. hist. cap. 18. *Tanquam ex veterum traditione hæc refert, Dominum Apostolis suis præcepisse, ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent*: id est, inquit Henschenius, *ne vltra Syriam, & vicinas regiones abirent*. Porrò veterum traditionem, quam Apollonius hoc loco allegat, perspectam quoquè habuit auctor Prædicationis Petri, qui initio secundi sæculi scripsisse creditur, & ex quo Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum refert: *Propterea dicit Petrus, Dominum dixisse Apostolis: Si quis ergò velit ex Israël duci pœnitentia, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata. Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat, Non audiuimus*. In editionibus Clementis inter punctio erat post *annos*, cùm deberet statui post *Peccata*: vnde restituta loco suo interpun-

punctione, iam patet vera lectio, quæ alias obscura erat, & constat, diuisionem Apostolorum solummodò fieri potuisse anno post Christi mortem duodecimo, post quem annum Petrus primùm Romam profectus est, vbi Cathedram figens 25. annis sedit, vt infrà ex antiquorum testimonijs ostendemus. His interim positis, concludit Henschenius, XII. annorum tempus, quo Petrus ante diuisionem Apostolorum in Syria, & Palæstina moratus est, nulli alteri Chronologiæ conuenire, quàm illi, quæ anno 29. Christi mortem collocat, cum constet, omnes alias Chronologias multò pauciores annos Apostolis ante diuisionem, & Petro ante Cathedram Romanam tribuere.

2. Fatetur id quidem V. Cl. Daniel Papebrochius Henschenij in Actis Sanctorum edendis indiuiduus socius, nunc verò eruditus successor, qui vt Henschenij chronologiam in nonnullis locis correxit, ita & in hoc loco corrigendam putauit. Ait enim, Henschenium frustrà laborasse, cum ad saluandam Apollonij traditionem pro Hierosolymis totam Palæstinam, & Syriam substituerit, *esseque vel Apollonij, vel ipsius Eusebij errorem hic euidentem, annos* duodecim *pro* duobus *scribentium, quia non multò pluribus videntur Apostoli subsistisse Hierosolymis, quando Paulus Apostolus post tres annos à sua conuersione, id est post annos quatuor à morte Christi, venisse se Hierosolymam, ait, videre Petrum, & mansisse apud eum diebus quindecim, aliorum autem Apostolorum vidisse neminem, præter Iacobum fratrem Domini.* Ex quibus concludit: *Est ergò hic aliquid, quod in sua Diatriba correctum Henschenius vellet, si viueret.* Hæc Papebrochius, cui hac in re minimè suffragari possum, si Apollonius ex maiorum traditione retulisse supponatur, Christum præcepisse Apostolis, ne intrà XII. annos Hierosolymis discederent, Hierosolymas pro Syria, in qua sita est, sumendo. Dum enim ipse prædicta tradidit, imitari potuit morem eorum, qui partem sumunt pro toto, vt necesse non fuerit, quòd Apostoli XII. annis in ipsa Vrbe Hierosolyma commorati sint, cum per Syriæ regionem Euangelium toto illo tempore prædicare potuerint; sicque Paulus anno à passione Christi duos dumtaxat Apostolos Petrum, & Iacobum Hierosolymis reperit. Porrò dici non potest, apud Apollonium, aut Eusebium pro annis duobus positos fuisse duodecim, cum omnes codices M.SS. & typis editi conueniant in numero XII. annorum, quibus ex Christi præcepto Apostoli in Iudæa & Syria versari debebant.

3. Sed nec verisimile est, Apostolos tantùm duobus annis ibidem commoratos fuisse, cum S. Ioannes Chrysostomus affirmet,

Apo-

Apostolos longo temporis spatio in Iudæa permansisse: Διὰ τοῦτο καὶ οἱ Ἀπόστολοι πρὸς τοὺς Ἰουδαίους πρῶτον ἐχώρησαν, καὶ πολὺν ἐν Ἱερουσαλὴμ διατρίψαντες χρόνον, εἶτα ὑπ᾽ αὐτῶν ἐλαθέντες, οὕτω διεσπάρησαν εἰς τὰ ἔθνη. *Propterea & Apostoli primùm Iudæis prædicauerunt, longoque temporis spatio Hierosolymis commorati, deindè ab ipsis propulsi, in Gentes dispersi sunt.* Hæc magnus Chrysostomus homilia 70. in Matthæum, cap. 22. non quidem in textu græco editionis Parisiensis anni 1636. Frontonis Ducæi, sed in editione græca Etonensi anni 1612. Henrici Sauillij. Quod ideò annotare volui, ne in textu græco editionis Parisiensis quisquam frustrà quærat, quod ibidem non reperitur, sed fontem castigatiorem adeat, & textum latinum, qui in Parisiensi reperitur, quoad hunc locum cum Græco editionis Etonensis conuenire videat. Longo itaque tempore Apostoli in Iudæa prædicarunt, antequàm à Iudæis propulsi ad Gentes abierunt, quod tandem duodecimo post Christi mortem anno iuxta præceptum Domini factum est, vt ex Clemente Alexandrino lib. 6. Stromatum, & Apollonio Romanæ Vrbis Senatore apud Eusebium, Cæsarcensem audiuimus. Hæc autem mirùm omninò quàm rectè conueniant ijs, quæ de Petri ad Vrbem aduentu, & 25. annorum Pontificatu Romano traduntur. Si enim Apostoli primùm duodecimo post passionem Christi anno diuisi sunt, iam tempus habebitur, quo Petrus primùm per quinque annos in Iudæa prædicauit, deindè septem annis Antiochiæ sedit, ac demùm initio Claudij Imperatoris profectus Romam, ibidem 25. annis Cathedram tenuit. Quod in nulla alia sententia, quàm quæ Christi mortem æra 29. collocat, defendi potest, vt iam monstrabimus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quòd B. Petrus post diuisionem Apostolorum Romam sub Claudio venerit, & Cathedram ibidem 25. annis tenuerit, idque in sola sententia, quæ Christi passionem æra 29. ponit, locum habere possit.

1. *Quòd Petrus post diuisionem Apostolorum Claudio imperante Romam venerit, ibidemque 25. annis Cathedram tenuerit, ex Eusebio, & Hieronymo probatur, quorum sententia in sola Chronotaxi, quæ mortem Christi æra vulgari 29. collocat, locum habet.*

2. *Papebrochius Chronotaxim illam deserens, 25. annos Cathedræ Romanæ non reperit, & Baluzius ex Lactantij testimonio* Pe-

Petrum nonnisi sub Nerone Romam venisse dicit, quod Pagius quoquè docuit.

3. *Petrum non solùm sub Nerone, sed etiam sub Claudio Romæ fuisse, testimonio Leonis Magni probatur.*

4. *Testimonium Lactantij à Baluzio adductum huic veritati non repugnat: solummodò enim ex eo habetur, Petrum anno 25. post Christi ascensionem, Romam venisse sub Nerone; quod non impedit, quominùs etiam sub Claudio ad Vrbem venerit, vt venisse, ex multis indicijs & antiquorum testimonijs ostendit Eusebius.*

5. *Petrum quoquè 25. annis Romæ sedisse, probatur ex S. Prospero, Beda, auctore libri Pontificalis, & antiquissimis catalogis Romanorum Pontificum M. SS. & typis editis.*

1. DE Petro Apostolorum Principe habet Eusebius in Chronico: *Cum primùm Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, vbi Euangelium prædicans viginti quinque annis eiusdem Vrbis Episcopus perseuerat.* Concinit D. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, vbi scribit de Petro, quòd post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, *secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit: ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit vsq; ad vltimum annum Neronis, id est decimum quartum.* Quæ de anno decimo quarto tradit Hieronymus, de anno duodecimo intelligenda sunt, qui vltimus Neronis fuit, non vitæ, & Imperij, sed in Vrbe mansionis, vt statim videbimus: in reliquis Hieronymus veritatem attingit, & epocham mortis Christi à nobis propugnatam confirmat. Petrum enim initio Imperij Claudij post diuisionem Apostolorum Romam venisse, ibidemque 25. annis sedisse, vt Eusebius, & Hieronymus affirmant, in nulla alia sententia, quàm quæ mortem Christi æra 29. collocat, fieri potuit. Vnde vel necesse est, negare Petrum sub Claudio Romam venisse, ibidemque 25. annis Cathedram tenuisse, vel affirmare, Christum anno 29. æræ vulgaris obijsse.

2. Vidit hæc Papebrochius in suo Conatu historico dissert. 2. de Petri Cathedris Romæ, & Antiochiæ constitutis, ideòque scribit: *Spatium 25. annorum Romani Pontificatus nullum aliud habere fundamentum, quàm hallucinationem Eusebij circa annum morientis Christi, & nescio vnde sumptam notitiam de anno 2. Claudij, quo Romam profectus sit Petrus: inter hunc enim, & vltimum annum Neronis videbatur posse interijci. Porrò subuerso semel fundamento auctoritatis Eusebianæ circa hoc punctum, ecquid supererit causæ ex Scriptura, vel Patribus, quo prohibeamur illi exorbitanti numero etiã integrum decennium subtrahere?* Hactenus Papebrochius, ex cuius sententia quispiam deducere posset, Petrum non venisse Romam sub Claudio: quod ipsum nuper ex Lactantij tractatu de Mortibus Persecutorum probare conatus est eruditus Baluzius. Scribit Lactantius in prædicto opere cap. 2.

Et

Et inde (post ascensionem nimirùm Christi) *Discipuli, qui tunc erant vndecim, assumptis in locum Iudæ proditoris Matthia, & Paulo, dispersi sunt per omnem terram ad Euangelium prædicandum, sicut illis magister Dominus imperauerat, & per annos 25. vsque ad principium Neroniani Imperij per omnes Prouincias, & Ciuitates Ecclesiæ fundamenta miserunt. Cumque iam Nero imperaret, Petrus Romam aduenit*. Hæc Lactantius, ad quæ verba commentatur Baluzius: *Hanc fuisse tunc communem de Petri ad Vrbem Romam profectione opinionem, tametsi aliter post nonnullos veteres senserit Eusebius, valdè probabile est, cum Lactantius nullam de ea re controuersiam moueat. Fortassis ergò ex his viginti quinque annis, qui ad prædicationem omnium Apostolorum, ex æquo pertinent, orta est opinio hęc de viginti quinque annis, quos quidam veteres, & innumerabile recentiorum agmen Sancto Petro Apostolo tribuunt in Sede Romana. Sanè licèt frustrà, ac superuacaneè à nonnullis negari putem aduentum eius ad Vrbem Romam, qui clarissimis veterum testimonijs comprobatus est; de tempore tamen multùm ambigo, cum videam tot, tantasque difficultates habere eorum sententiam, qui illum Romā venisse volunt Claudio imperante, vt coacti sint duplicare profectionem eius in Vrbem, & duplex item eius cum Simone Mago certamen comminisci; primò quidem temporibus Claudij, dein Principatu Neronis. Quæ res quàm absurda sit, cum id à nullo veterum proditum sit memoriæ literarum, peruident istarum rerū periti*. Hęc Baluzius, qui nimis liberè sententiam suam profert, qua & alij in errorem inducuntur. Pagius enim in Critica Baronij ad ann. 43. hanc Baluzij sententiam secutus, statuit ad annum 54. Neronis primum, S. Petrum Apostolorum Principem ante præsentem annum Romam non venisse: *ideòque primus eius Sedis Romanæ annus cum primo Neronis nobis est inchoandus*. Ita Pagius: quod ne alij imitentur, adducenda sunt antiquorum testimonia, qui duplicem Petri in Vrbem aduentum commemorarunt.

3. Id sanè indicauit D. Athanasius Apologia 1. de fuga suā, dum scripsit: *Petrus, qui ob metum Iudæorum in latebris se habuit, & Paulus Apostolus in sporta demissus, & ita fugiens, cum audissent, oportere se Romæ martyrium subire, non abiecerunt eam profectionem, sed potiùs cū gaudio abierunt, & alter etiam anteà cum Iudæos fugeret, gestiebat se mactari; alter verò præsens tempus non exhorruit, sed gloriabatur dicens: Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat*. His enim verbis cum D. Athanasius agat de morte ab Apo-

ſtolis Petro, & Paulo in Vrbe Roma obeunda, affirmat de Petro: καὶ ὁ μὲν ὡς πρὸς τοὺς Ἰουδαίους ἀπιὼν ἐγάννυτο σφαζόμενος: *Et alter etiam anteà cum Iudæos fugeret, geſtiebat ſe mactari*. Quòd nimirùm Petrus, antequàm diuinitùs cum Paulo monitus erat, oportere ſe Romæ martyrium ſubire, quod tempore Neronis contigit, iam dudum anteà mortem in Vrbe Roma obire geſtierit, quando nimirùm teſte Euſebio lib. 2. c. 13. Iudæos fugiens Romã ſub Claudio venit, & Euangelium Romanis prima vice annuntiauit. Quæ clariſſimo quoquè Leonis Magni teſtimonio comprobantur, vtpote qui ſermone 80. in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli affirmat: *Poſtquàm Apoſtoli imbuendum Euangelio mundum diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent; beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur Imperij*. Adiungit proinde, Petrum Romam veniſſe, dum Paulus Eccleſiarum conuerſioni incumbens nondum Romam venerat. Et infrà Petrum alloquens: *Nec mundi dominam times Romam, qui in Caiphæ domo expaueras Sacerdotis ancillam? Nunquid aut iudicio Pilati, aut ſæuitia Iudæorum minor erat vel in Claudio poteſtas, vel in Nerone crudelitas?* Ad quæ vltima verba rectè notat in margine Queſnellus; *Petrus ſub Claudio Romam venit, ſub Nerone moritur*. Enimuerò & ſub Claudio, & ſub Nerone Petrum, non obſtante eorumdem crudelitate, fidem prædicaſſe, clariùs indicare non potuit Leo Magnus: adeò vt à vero alienum eſſe conſtet, quod Baluzius de antiquis ſcriptoribus tradidit, neminem illorum Petri aduentum ad Vrbem ſub Claudio ponere. Eum enim præter alios poſuit Leo & re & nomine Magnus, qui poſt diſtributionem Prouinciarum Petrum ex communi Apoſtolorum voto Romam veniſſe affirmat: quod ipſum eo anno, quo Claudius Imperium adeptus eſt, anno nimirùm vulgari 40. quo Apoſtolorum diuiſionem factam tuemur, accidit; ab illo enim anno vſque ad obitum Petri ſunt anni omninò 25. quot ipſum Romæ ſediſſe conſtat.

4. Neque huic veritati contradicit, ſed patrocinatur Lactantius, dum ſcribit: *Diſperſi ſunt per omnem terram ad Euangelium prædicandum, ſicut illis magiſter Dominus imperauerat: per annos 25. vſque ad principiũ Neroniani Imperij, per omnes Prouincias, & Ciuitates Eccleſiæ fundamenta miſerunt*. His enim verbis Lactantius non negat, Petrum ſub Claudio Romã veniſſe, aut ibi 25. annis ſediſſe, ſed ſolùm dicit, Apoſtolos à morte Chriſti vſque ad principium Neroniani Imperij, per annos 25. prædicaſſe Euangelium. Quod optimè conuenit noſtræ Chronotaxi, quæ anno 29. æræ vulg. mortem Chriſti

sti collocat. Ab illo enim anno vsque ad primum Claudij sunt anni duodecim, quot in Iudæa ante diuisionem prędicarunt Apostoli, & anni tredecim, quot post diuisionem prædicarunt vsque ad primum Neronis annum. Porrò primo Neronis anno nullatenus obijt S. Petrus, sed anno eius duodecimo, adeò vt post secundum ad Vrbem aduentum duodecim ibi annis fuerit: quod ipsum Lactantius non obscurè ibidem innuit. Potuit itaque S. Petrus, saluo Lactantij testimonio, sub Claudio etiam in Vrbe fuisse, vt reuerà fuisse, ex eo colligitur, quòd Marcus Petri discipulus tertio Claudij anno Aegypto, & Alexandriæ Christum annuntiauerit, cum iam primùm Romæ, vt habet Eusebius lib. 2. Historiæ, capite 15. & 16. Euangelium scripsisset, quod Petrus ibidem existens auctoritate sua probauit. Addit Eusebius cap. 15. *Refertur id à Clemente in sexto Institutionum libro; cui testis etiam accedit Papias Hierapolitanus Episcopus. Porrò Marci mentionem fieri aiunt à Petro in priore Epistola, quam Romæ scriptam esse contendunt, idque Petrum ipsum innuere, qui Romam figuratè Babylonem appellat his verbis: Salutat vos Babylonis Ecclesia à Deo perinde, ac vos, electa, & Marcus filius meus.* Quòd si Marcus cum Petro Romæ fuerit, quando Petrus primam suam epistolam scripsit, & tertio Claudij anno à Petro in Aegyptum missus sit; quis negare poterit, Petrum initio Claudij Imperatoris Romæ fuisse? Sanè & sub Claudio Philonem Romæ cum Petro locutum fuisse fama ferebat, vt Eusebius quoquè testatur cap. 17. *Philonem, fama est, Claudij Augusti temporibus Romæ cum Petro, qui verbum Dei illic prædicabat, familiarem congressum habuisse.* Idem indicat D. Hieronymus in Catalogo Virorum illustrium, ita vt vix negari possit, Petrum sub Claudio Romam venisse. Quod præuidens Papebrochius, adiungit: *Vt demus, hæc ad secundum Claudij annum pertinere, solùm tamen conficiet, quòd reuerà Petrus isto anno, vt scribit Hieronymus, Romam excurrerit, & inde Epistolam illam scripserit; non autem, quòd ibi iam habuerit Cathedram constitutam.* Verùm pace Eruditi Viri dictum sit: cum negari non possit, quòd Petrus sub Claudio Romæ fuerit, nulla ratione negari poterit, Cathedram tunc ab eo Romæ constitutam fuisse, præsertim cum id necessarium sit ad 25. annos, quot Petrum Romæ sedisse, ex perpetua Romanæ Ecclesiæ traditione constat.

5. Enimuerò in antiquissimo Romanorum Pontificum Catalogo, qui tempore Liberij Papæ quarto sæculo confectus est, traditur: *Petrus annis 25. mense 1. diebus 9.* Prosper in Chronico integro apud Labbeum: *Romæ Euan-*

uangelium prædicans 25. *annis eiusdem Vrbis Episcopus perseuerat*. In alio antiquo Catalogo tempore Iustini Imperatoris conscripto legitur de Petro: *Ingressus in Vrbem Romam Nerone Cæsare, ibique sedit Cathedram Episcopatus annos* 25. *menses duos, dies tres*. In antiquissimi Catalogi fragmento literis maiusculis conscripto, & in Bibliotheca Vaticana sub num. 5007. asseruato: *Huius* (Claudij) *secundo anno beatissimus Petrus Apostolus, cum primùm Antiochenam fundasset Ecclesiam, & septem annis ibidem Pontificalem Cathedram sedisset, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique Cathedram Sacerdotalem tenuit annos* 25. *menses* 2. *dies* 3. Venerabilis Beda de ratione temporum: *Petrus Apostolus, cum primus Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam pergit, ibique* 25. *annis Cathedram tenet Episcopalem*. Auctor Libri Pontificalis: *Petrus ingressus est in Vrbem Romam Nerone Cæsare, ibique sedit Cathedram Episcopatus annos* 25. *menses duos, dies tres*: Ita Liber Pontificalis correctus à Luca Holstenio iuxta M.S. exemplar Florentinum antiquissimum. Catalogus continens nomina Romanorum Pontificum vsque ad Vigilium Papam ex veteri membrana in Conatu Chronologico à Dan. Papebrochio editus: *B. Petrus præfuit Romę annos* 25. *menses* 2. *dies* 7. Catalogus Romanorum Pontificum tempore Caroli Magni conscriptus agens de Petro; *Ibique*, nimirùm Romæ, *sedit annos* 25. *menses* 2. *dies* 4. Cardinalis Deusdedit in sua collectione Canonum ad Victorem 3. quæ M. S. extat in Bibliotheca Vaticana: *B. Petrus præfuit Romanæ Ecclesiæ annos* 25. *menses* 2. *dies* 7. Catalogus Romanorum Pontificum sub Ioanne VIII. conscriptus, & in Bibliotheca Vaticana sub numero 1353. asseruatus: *Petrus sedit annos* 25. *menses* 2. *dies* 11. Sexcentorum annorum Codex Manuscriptus in eadem Bibliotheca Vaticana sub num. 1358. continens Chronicon S. Iuonis: *Claudij anno secundo Petrus cum discipulis Romam venit*. Et in alio Catalogo Apostolicorum Vrbis Romæ Pontificum: *Petrus Apostolus sedit annos* 25. *mens*. 6. *dies* 8. Hugo Abbas Flauiniaci in Chronico Virdunensi: *Scimus, Petrum* 25. *annis Romæ Vrbis Episcopalem tenuisse Cathedram*. Demùm vt finiã, Catalogus Pontificum tempore Innocentij II. conscriptus in Cod. 1348. Manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ: *Petrus natione Galilæus, sedit annos* 25. *menses* 2. *& dies* 8. *Hic martyriō eodem die cum Paulo coronatur, post passionem Domini anno* 38.

AR-

ARTICVLVS QVINTVS.

Quòd Petrus, & Paulus anno post Christi passionem 37. Neronis 12. passi sint: idque nulli alteri epochæ conueniat, quàm quæ æra 29. Christi passionem collocat.

1. Petrus anno decimo quarto Neronis Romæ martyrio coronari non potuit, cum Nero ante diem 29. Iunij, quo Petrus ad martyrij palmam peruenit, occubuerit.

2. Anno duodecimo Neronis id contigit, cum persecutionem mouisset contra Christianos; in qua iussu Neronis Petrum, & Paulum martyrio coronatos fuisse, Tertullianus, & Eusebius affirmant.

3. Eundem annum duodecimum, quo Consules fuere Vestinus & Nerua, assignat antiquissimus Catalogus tempore Liberij Papæ conscriptus, & concinit Isidorus Hispalensis, qui mortem Petri 37. annis post Christi passionem collocauit.

4. Idem confirmatur ex morte Pauli Apostoli, quem 37. anno post Christi passionem occubuisse, testantur D. Hieronymus, Isidorus Hispalensis, alijque Scriptores. Ex quibus concluditur, Christi mortem æra vulgari 29. contigisse, cum ab illa vsque ad Consulatum Vestini & Neruæ, quo Apostolorum Principes occubuerunt, 37. anni intercesserint.

1. OPinio fuit magni Hieronymi, quòd Apostolorum Princeps Petrus Pontificatum Romanum tenuerit *vsque ad vltimum annum Neronis, id est decimum quartum*: id enim memoriæ prodidit libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Petro. Verùm anno 14. Neronis, qui vltimus vitæ ipsius fuit, Petrum martyrio coronari non potuisse, ex eo cuique constare potest, quòd Nero, qui supponitur Petrum & Paulum Romæ ad mortem condemnasse, anno Imperij sui vltimo non peruenerit ad diem 29. Iunij, quo Apostolorum Principes martyrij palmam adepti fuere. Hoc de die martyrij Petri, & Pauli constat ex perpetua Romanæ Ecclesiæ traditione, ex omnibus Martyrologijs tam Græcis, quàm Latinis, ex omnibus Calendarijs tam manuscriptis, quàm typis editis, ex omnibus Patribus, & Scriptoribus tam antiquis, quàm recentioribus, quorum omnium vna vox est, Petri & Pauli natalitia incidere in diem 29. Iunij. Quæ cum ita sint, consequitur profectò, quòd D. Hieronymus eorum martyrium haud rectè retulerit ad decimum quartum Neronis annum.

2. Porrò decimus quartus Neronis annus cœpit à die 13. Octobris L. Fonteio Capitone & C. Iulio Rufo Consulibus, anno 67. æræ vulgaris, & finem accepit die nona Iunij, C. Silio Italico & M. Galerio Turpiliano, qui Consulatum gesserunt anno 68. dum Nero obijt, ita vt annus eius 14. integer non fuerit, & ad diem 29.

Iunij, quo Petrus & Paulus passi sunt, non peruenerit: adeòque constet, Apostolorum Principes anno 14. Neronis minimè occidi potuisse. Quærendus itaque alius est annus Neronis, quo passi sunt Petrus & Paulus, neque alter occurrere potest, quàm annus eius duodecimus, cuius mense tertio Consulatum inierunt Vestinus, & Nerua. Tunc enim Nero adhuc Romæ fuit, ipsoque præsente Apostolorum Principes trucidari potuerunt. Congruit namque tempus, quod Tacitus scriptor Gentilis motæ contra Christianos Neronianæ persecutioni tribuit, dum testatur, Vrbem Romam C. Lecanio & M. Licinio Coss. qui anno 64. æræ vulgaris respondent, iussu Neronis incensam fuisse, eumdemque Imperatorem abolendo rumori reos subdidisse Christianos. Hac siquidem occasione prima persecutio orta est, vt fidem facit Tertullianus in Apologetico aduersus Gentes, & tunc quoquè Apostoli cum cæteris fidelibus sæuitiam Neronis experti sunt, vt testatur in historia sua Eusebius. Persecutio itaquè moueri cœpit sub Lecanio & Licinio, qui Consules fuerunt anno æræ vulgaris 64. Anno autẽ sequente, quo Nerua & Vestinus Consules fuerunt, Petrus & Paulus occubuerunt die 29. Iunij.

3. Quòd autem anno 12. Neronis, quo Consules fuere Nerua & Vestinus, Apostolorũ Principes passi sint, præclarè confirmat antiquissimus Catalogus tempore Liberij Papæ exaratus, vbi expressè tempus Petri annotatur: *Petrus annis viginti quinque, mense vno, diebus nouem: fuit temporibus Tiberij Cæsaris, & Caij, & Tiberij Claudij, & Neronis, à Consulatu Vinicij & Longini, vsque Neruæ & Vestini: passus autem cum Paulo die tertia Kalendas Iulias, Consulibus supradictis, imperante Nerone.* Passi itaque sunt Petrus & Paulus, Nerua & Vestino Consulibus, hoc est, anno æræ vulgaris 65. die tertio Kalendas Iulias: quod in nulla alia Chronologia locum habere potest, quàm in ea, quæ mortem Christi æra 29. ponit. Vt enim de Petro id monstremus, refert Isidorus, inter mortem Christi, & mortem Petri intercedere annos 37. Et quamuìs Catalogus sub Innocentio II. conscriptus habeat annum post passionem Domini 38. tamen, vt suprà ostendimus, post passionem Christi Petrus duodecim annis in Iudæa mansit cum cæteris Apostolis: post diuisionem Apostolorum 25. annis Romæ Cathedram tenuit. Duodecim cum viginti quinque efficiunt triginta septem annos, quot post Christi mortem intercessere, antequàm Petrus obijt. Cum autem annus, quo Petrus obijt, incidat in Consulatum Neruæ & Vestini, necessariò sequitur, Christum mortuum fuisse Consulatu duorum Geminorum, à quo vsque ad Consulatum Ner-

Neruæ & Vestini sunt anni 37. quot inter mortem Petri & mortem Christi intercedunt.

4. Quòd verò totidem anni intercesserint, ex tempore, quo Paulus passus est, facilè quoquè comprobatur. Cum enim certum sit, quòd Paulus eodem anno, & die Romæ passus sit, quo Petrus, idque perpetua Romanæ Ecclesiæ, & omnium antiquorum traditione constet; sequitur profectò, tot annos inter Petri mortem, & Christi passionem intercessisse, quot inter Pauli obitum, & Christi passionem intercesserunt. Scribit quippe D. Hieronymus libro de Scriptoribus in Paulo: *Eodem die, quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatur, sepultusque est in via Ostiensi; anno post passionem Domini trigesimo septimo.* Idem affirmat Isidorus Hispalensis in libro de vita, & morte Sanctorum noui Testamenti: *Ad vltimum à Nerone gladio cæditur eo die, quo & Petrus crucifixus est: sic enim oportuerat, vt hi, qui simul confessi sunt, vno die coronarentur. Sepultus Romæ in via Ostiensi, anno post passionem Domini 37. tertio ab Vrbe Roma milliario contra orientalem plagam.* Omitto Honorium Augustodunensem, Nicephorum Calixtum, aliosque Scriptores, qui idem affirmant, ex quorum testimonijs habetur; Paulum obijsse Nerua & Vestino Consulibus, anno æræ vulgaris sexagesimo quinto, cum iam Christus Dominus passus esset Consulatu duorum Geminorum, anno æræ vulgaris 29. à quo anno vsque ad Consulatum Vestini & Neruæ sunt anni 37. quot inter Christi passionem, & Pauli martyrium medios fuisse, D. Hieronymus, alijque Scriptores supracitati testantur. Accedit D. Chrysostomi testimonium, qui oratione de Petro & Paulo refert: *Paulus cum triginta quinque annos omni cum alacritate, & studio seruisset Christo, confecto pietatis cursu requieuit, annos natus octo & sexaginta.* Ex illo enim testimonio apertè colligitur, inter Pauli conuersionem, quæ nonnisi vno, alteroue anno post Christi mortem contingere potuit, & inter eius martyrium intercessisse annos 35. adeòque triginta sex, aut triginta septem annis post Christi mortem Paulum martyrij palmam adeptum fuisse. Manet itaque, Christum mortuum fuisse æra 29. & non 33. vt plerique recentiores existimarunt, cum aliàs Petrus & Paulus non anno 37. sed anno 32. post Christi passionem occubuissent.

AR-

ARTICVLVS SEXTVS.

Proferuntur alia temporibus Apostolorum peracta, quæ cum anno passionis Christi collata Chronotaxim nostram confirmant.

1. *Iacobus primo post passionem Christi anno ordinatur Hierosolymorum Episcopus, vt probatur testimonijs Clementis Alexandrini, Eusebij, & Hieronymi.*

2. *Ad martyrium peruenit anno Neronis septimo, vt colligitur ex Iosepho, & probatur ex Eusebio, Hieronymo, & Beda, qui trigesimum Episcopatus annum cum anno Neronis septimo coniungunt. Ex quibus, anno 29. æræ vulgaris Christum obijsse, firmatur: ab illo enim vsque ad septimum Neronis annum triginta circiter anni intercedunt.*

3. *Lactantij testimonium de annis 25. à Christi ascensione ad initium Neroniani Imperij eamdem mortis Christi epocham confirmat, cum ab anno primo Neronis ad æram 29. intercedant anni 25.*

4. *Excidium Hierosolymitanum contigit iuxta Clementem Alexandrinum, & Origenem anno post Christi passionem 42. Vespasiani 2. Eusebius, S. Prosper, & auctor Chronici Alexandrini malè annum 42. à Christi prædicatione desumunt, vt patet ex Hieronymo, qui non à prædicatione, sed à passione illos numerandos esse confirmat. Ex eo autem quòd annus 42. post passionem Christi concurrat cum anno secundo Vespasiani, concluditur, Christum æra 29. mortuum esse.*

1. INter Apostolos plures nomine Iacobi fuerunt, quorum vnus erat filius Cleophæ & Mariæ, ac frater Domini, qui ab Apostolis post passionem Domini die 27. Decembris ordinatus est Episcopus Hierosolymitanus. Meminit huius ordinationis Eusebius in Chronico, qui eodem anno, quo Christi passionem collocat, hæc de Iacobo subiungit: *Ecclesiæ Hierosolymorum primus Episcopus ab Apostolis ordinatur Iacobus frater Domini.* Et lib. 2. hist. cap. 1. ex Clementis Alexandrini sexto Institutionum libro refert: *post Seruatoris ascensum à* Petro, & Ioanne electum Iacobum cognomine Iustum Hierosolymorum Episcopum. Ex quibus alijsque D. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Iacobus...... post passionem Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus vnam tantùm scripsit Epistolam.* Adeò vt rectè Baronius ordinationem eius posuerit anno à passione Domini primo, nullumque hac in re, quod sciam, aduersarium habuerit. Atque hæc quidem de anno, quo Iacobus ordinatus est Hierosolymorum Episcopus.

2. Nunc de anno eius martyrij inquirendum est, cuius mentionem facit Iosephus lib. 20. cap. 8. testatur enim, ab Anano summo Pontifice post mortem Festi, Albino adhuc agente in itinere, Consilium conuocatum fuisse, statutumque, vt frater Iesu Christi Iacobus nomine, & alij nonnulli, qui rei impietatis peragebantur, lapidibus obruerentur. Cum

autem constet ex eodem Iosepho de bello Iudaico lib. 7. cap. 12. Albinum in Prouinciam venisse annis 7. & mensibus 5. ante obsidionē Hierosolymorum, quæ obsidio secundo anno Vespasiani finem accepit; sequitur profectò, ante annum Neronis nonum Iacobum vitam martyrio consummasse, rectèque Hegesippum Apostolicorum temporum scriptorem, & Clementem Alexandrinum scripsisse, non multò post martyrium Iacobi obsidionem Hierosolymæ, & Iudæorum captiuitatem subsecutam fuisse. Habes eorum testimonia apud Eusebium lib. 2. cap. 23. qui indicat cap. 24. hæc contigisse, dum Nero septimum Imperij annum agebat. Quod idem confirmat in Chronico ad eundem Neronis annum his verbis: *Iacobus frater Domini, quem omnes Iustum appellabant, à Iudæis lapidibus opprimitur.* Concinit D. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Iacobo: *Triginta itaque annos Hierosolymis rexit Ecclesiam, idest, vsque ad septimum Neronis annum.* Idem habet Venerabilis Beda de ratione temporum: *Iacobus frater Domini cum 30. annis Hierosolymorum rexisset Ecclesiam, septimo Neronis anno lapidatur à Iudæis.* Septimus itaque Neronis annus iuxta hos scriptores concurrit cum anno trigesimo Episcopatus Iacobi, qui cœpit eodem anno, quo mortuus est Christus. Ab anno igitur Neronis septimo seu æra vulgari 60. retronumerandi sunt anni triginta Episcopatus Iacobi, vt perueniatur ad annum mortis Christi, qui nullus alius statui potest, quàm annus æræ vulgaris 29. Ab anno enim 60. si demas annos triginta completos, quot Iacobus rexit Hierosolymitanam Ecclesiam, hisque triginta annis adiungas nouem menses, quot inter mortem Christi, & Iacobi ordinationem intercesserunt, habebis annum 29. quo Christus duobus Geminis Consulibus in crucem actus emisit spiritum, & morte sua genus humanum redemit.

3. Præclarum est Firmiani Lactantij testimonium de tempore mortis Christi, quod extat in libro ad Donatum Confessorem de Mortibus Persecutorum. Meminerat huius libri D. Hieronymus libro de Scriptoribus in Lactantio, sed in Bibliothecis latitauit vsque ad nostra tempora, quibus eum ex octingentorum annorum Codice Colbertino edidit Stephanus Baluzius Tomo 2. suorum Miscellaneorum. Scribit in eo Lactantius cap. 2. *Extremis temporibus Tiberij Cæsaris, vt scriptum legimus, Dominus noster IESVS Christus à Iudæis cruciatus est post diem X. Kal. Aprilis duobus Geminis Consulibus. Cum resurrexisset die tertio, congregauit discipulos, quos metus comprehensionis eius in fugam verterat, & diebus quadraginta cum his commoratus, aperuit*

ruit corda eorum, & Scripturas interpretatus est, quæ vsque ad id tempus obscura atque inuoluta fuerunt: ordinauitque eos, & instruxit ad prædicationem dogmatis, ac doctrinæ suæ, disponens Testamenti Noui solemnem disciplinam. Quo officio repleto, circumuoluit eum procella nubis, & subtractum oculis hominum rapuit in cœlum: & inde discipuli, qui tunc erant vndecim, assumptis in locum Iudæ proditoris Matthia & Paulo, dispersi sunt per omnem terram ad Euangelium prædicandum, sicut illis magister Dominus imperauerat, & per annos 25. vsque ad principium Neroniani Imperij, per omnes Prouincias, & Ciuitates Ecclesiæ fundamenta miserunt. Cumque iam Nero imperaret, Petrus Romam aduenit, & editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei data sibi ab eo potestate faciebat, conuertit multos ad iustitiam, Deoque templum fidele, ac stabile collocauit. Qua re ad Neronem delata, cum animaduerteret, non modò Romæ, sed vbique quotidiè magnam multitudinem deficere à cultu Idolorum, & ad Religionem nouam damnata vetustate transire, vt erat execrabilis, ac nocens tyrannus, prosiliuit ad excidendum cæleste templum, delendamque iustitiam; & primus omnium persecutus Dei seruos, Petrum cruci affixit, & Paulum interfecit. Hucusque Lactantius, cuius locum integrum referre placuit, eò quòd alij, qui ante Baluzium scripserunt, cum minimè viderint, & ex eo præclarè confirmetur Chronotaxis nostra de anno mortis Christi. Enimuerò notanda sunt hæc Lactantij verba: *Discipuli*, siue Apostoli, *post ascensionem Domini, per annos 25. vsque ad principium Neroniani Imperij per omnes Prouincias, & Ciuitates Ecclesiæ fundamenta miserunt*. Ab ascensione Domini, iuxta Lactantium, vsque ad principium Neroniani Imperij sunt anni 25. Cœpit autem imperare Nero post mortem Claudij à die 13. Octobris, Q. Asinio Marcello, & M. Acilio Auiola Consulibus, quorum Consulatus incidit in annum æræ vulgaris 54. à quo numero si 25. annos detrahas, manet annus vigesimus nonus, quo Christus mortuus est sub Consulatu duorum Geminorum. Quod ipsum præclarè Lactantius affirmat his verbis: *Dominus noster IESVS Christus à Iudæis cruciatus est post diem decimum Kalendarum Aprilis duobus Geminis Consulibus*. Nolim hìc expendere alia, quæ Stephanus Baluzius ex verbis Lactantij deducere conatus est contra Petri viginti quinque annorum Pontificatum Romanum: ea enim suprà refutauimus ostendentes, quòd Lactantius, qui Petrum sub Nerone Romam venisse adfirmat, eum anteà sub Claudio in Vrbe fuisse haùd negat: non enim

enim asserit, Petrum, dum post 25. annos Romam aduenit, à Nerone cruci affixum fuisse, sed plurimum temporis intercessisse, non obscurè indicat. Quarè saluo Lactantij testimonio, Petrus dici potest 12. annis in Oriente fuisse ante primum ad Vrbem aduentum, & 25. annis Romanam Cathedram tenuisse, adeoque anno 37. post mortem Christi, Neronis verò 12. vt suprà probauimus, ad martyrium peruenisse.

4. De tempore excidij Vrbis Hierosolymitanę plura extant Veterum testimonia, quorum primum est Clementis Alexandrini, qui secundo æræ Christianæ sæculo scripsit, lib. 1. Stromatum. *Ex quo autem passus est, vsque ad euersionem Hierusalem, fiunt anni quadraginta duo, menses tres*. Origenes Clementis in cathedra Alexandrina successor lib. 4. contra Celsum: Τεσσαράκοντα γὰρ ἔτη, καὶ δύο, οἶμαι, ἀφ᾽ οὗ ἐσταύρωσαν τὸν Ἰησοῦν, γεγονέναι ἐπὶ τῶν Ἱεροσολύμων καθαίρεσιν. *Nam quadraginta duo anni, vt reor, intercesserunt inter IESV Christi crucem, & euersionem Hierosolymorum*. Eusebius in Chronico ad secundum annum Vespasiani Imperatoris: *Titus Iudæa capta, & Hierosolymis subuersis, sexcenta millia virorum interfecit*. Quòd autem secundo Vespasiani anno contigerit excidium Hierosolymitanum, pro comperto habuit Eusebius, qui tempus 42. annorum à maioribus assignatum mutare ausus non fuit, sed cum illud nequaquam Chronotaxi suæ de anno mortis Christi conueniret, mortis tempus in prædicationis annum commutauit. *Colligitur*, inquit, *omne tempus in secundum annum Vespasiani, & nouissimam euersionem Hierosolymorum à 15. Tiberij Cæsaris anno, & ab exordio Euangelicæ prædicationis quadraginta duo*. Hæc vltima verba Chronico suo inseruit S. Prosper apud Labbeum Tomo 1. Bibliothecæ Manuscriptorum librorum; illudque Auctor fastorum Siculorum in Chronico Alexandrino his verbis exhibuit: *Colligitur tempus totum à XVI. anno Tiberij Cæsaris, & Christi salutari prædicatione vsque ad alterum annum Vespasiani, & hanc vltimam expugnationem Hierosolymorum, anni quadraginta duo*. Similia habentur in antiquissimo fragmento Chronici M. S. Bibliothecæ Vaticanæ, vbi: *Colligitur omne tempus à quinto decimo anno Tiberij Cæsaris, & ab exordio Euangelicæ prædicationis anni* 42. In quibus testimonijs nihil aliud desideratur, quàm quòd loco *prędicationis* ponatur *passionis*; tum enim veritati consona essent. Cæterùm erroris ansam dedit Eusebius, qui ignorans duplicem Tiberij epocham, vt suprà quoquè obseruauimus, Christi passionem anno decimo octauo Tiberij posuit, quam secundùm antiquorum Chronotaxim anno

decimò quinto collocare debuerat. Vti enim crediderunt antiqui, inter passionem Christi, & euersionem Hierosolymorum intercesserunt anni quadraginta duo, vt suprà vidimus ex Clemente Alexandrino, & Origene, quorum sententiam confirmat D. Hieronymus in caput primum Sophoniæ: *Post quadraginta & duos annos Dominicæ crucis circumdata est ab exercitu Hierusalem, & consummatio illius facta est cum festinatione, & non solùm illius, sed cunctis terræ Iudææ habitatoribus*. Contigit itaque euersio Hierosolymorum anno post Christi passionem 42. qui fuit annus Vespasiani 2. quo auctores etiam prophani excidium illud collocant, quorum sententiam secutus Venerabilis Beda scripsit in libro de sex ætatibus, Titum anno Vespasiani secundò templum combussisse, totamque Iudæam debellasse; adeò vt indubitatum sit, annum secundum Vespasiani concurrere cum anno 42. à Christi passione. Fuit autem annus Vespasiani secundus æræ vulgaris septuagesimus, à quo si detrahas annos 42. habebis annum æræ vulgaris 29. quo Christus sub Consulatu duorum Geminorum obijt, vt suprà probauimus. Neque alio anno mors Christi collocari poterit, nisi contradicatur antiquorum Patrum sententiæ, quæ 42. annos inter Christi mortem, & excidium Hierosolymæ intercessisse, constanter affirmat.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Adferuntur cætera antiquorum Scriptorum testimonia, quæ Chronotaxim nostram stabiliunt.

1. *Scriptor anonymus, qui tempore Alexandri Imperatoris vixit, epocham mortis Christi confirmat, dum ab ea vsque ad 13. prædicti Imperatoris annum 206. annos numerat.*
2. *Eadem firmatur ex Eusebii Chronico, in quo annus 2. Probi cum anno 589. Edessenorum componitur.*
3. *Adducitur D. Hieronymi testimonium, qui annos à Christi baptismo vsque ad Consulatum Valentis & Valentiniani ait esse 351. vel iuxta aliam lectionem 352.*
4. *Eadem demùm firmatur testimonijs Sulpitij Seueri, qui annos à morte Christi vsque ad Consulatum Stiliconis ait esse 372. & denique testimonio Quinti Iulij Hilarionis.*
5. *Refert enim Quintus Iulius Hilario à Consulatu Luculli vsque ad mortem Christi intercedere annos 176. & à morte Christi vsque ad Consulatum Cæsarij & Attici annos 369. Ex quibus ostenditur, Christum duobus Geminis passum esse.*
6. *Conclusio huius materiæ de anno mortis Christi, qui sequente Chronotaxi comprobatur.*

1. PRæclarum de anno mortis Christi testimonium exhibet auctor perantiquus, qui tempore Alexandri Imperatoris vixit, & cuius excerpta Auctor Anonymus ante 900. annos sub Ca-

Carolo Magno collegit, prout videre est apud Canisium Tomo 2. Antiquarum lectionum, qui ibidem ea edidit. Scripsit auctor ille, antequàm æra vulgaris in vsu esset, ideoque nullam istius mentionem faciens annos à morte Christi enumerat, eosque cum annis Imperatoris, sub quo viuebat, componit. Tradit itaque lib. 1. cap. 18. *A generatione Christi vsque ad passionem eius anni 30. & à passione eius vsque hunc annum, qui est 13. Alexandri, anni 206.* Et infrà. *A generatione autem Christi post 30. annum, cum passus est Dominus, Pascha celebratur, in se enim erat iustum Pascha. A passione autem Domini vsque in 13. Imperatoris Alexandri Cæsaris, anni 206.* Et iterum: *A Christo autem vsque ad annum 13. Alexandri Olympiades 50. quæ sunt anni 206.* Annus Alexandri 13. concurrit cum anno vulgari 234. à quo si demas annos 206. quot inter Christi mortem, & annum 13. Alexandri intercesserunt, manebit annus 29. quo Consules fuerunt duo Gemini, sub quibus Christum passum esse, antiquissimus ille Auctor nec clariùs, nec manifestiùs significare potuit; qui tamen corrigendus est quoad annum 30. ætatis Christi.

2. Aliud testimonium, ex Chronico Eusebij habetur de secundo anno Probi Imperatoris. Ita enim refert Eusebius: *Secundo anno Probi ..... iuxta Edessenos* 589. Quem locum ita exponit Arnaldus Pontacus Vazatensis Episcopus: *Iuxta Edessenos 589.* Et notat: *Olim prostabat tam in vulgatis, quàm in M. SS. de quibus hìc nulla mentio, 588. Verùm ita repositum est, tum ad imitationem duorum Vaticanorum, & Mariani hac ipsa eodem modo referentis; tum quia ille calculus 549. qui extat in vno Vaticano, licèt prodat manifestè suam maculam in nota illa media 4. exprimit tamen fideliter extremos numeros 5. & 9. Adde, quòd summa illa 588. quæ reperitur in A. P. Fa. V. Lo. duobus Vaticanis. Vi. O. Beda, & Adone, nostrum calculum confirmat in duobus primis numeris, eaque à me reposita fuisset, nisi aduertissem, nostrum calculum veriùs respondere cum primo anno Seleuci, à quo Auctor dixit superiùs Edessenos suos annales numerare. Quod ita facilè demonstrabitur. Cum enim annus 1705. ab Abraham, & primus Seleuci ex aduerso sese contueantur, si illi adiunxeris 589. efficies annos 2294. At hìc annus secundus Probi est iuxta Eusebium annus ab Abraham 2294.* Hactenus Episcopus Vazatensis, cuius sententia accedit epochæ nostræ de morte Christi, prout rectè annotatum fuit in Cenotaphio Pisano dissert. 2. ab erudito Norisio, qui tamen putauit annum secundum Probi Imperatoris incidisse in annum Edessenorum 588. prout olim prostabat tam in vul-

vulgatis, quàm M. SS. Codicibus ab Arnaldo Pontaco allatis. *Itaque*, inquit Norisius, *annus secundus Probi fuit vulgaris epochæ 277. à quo numero si demas annos 248. habebis annum æræ Christianæ 29. duobus Geminis Consulibus, vti ab anno Edessenorum 588. per annos 248. retrocedentes incidimus in annum eorumdem epochæ 340. quo anno post Christi, Domini in cælum ascensum, Abgarus à Taddæo morbo liberatus Christianam fidem amplexus est.* Verùm de his suprà latiùs tractauimus.

3. Inter alia verò antiquorum testimonia, quæ Chronotaxim nostram confirmant, minimè contemnendum puto, quod D. Hieronymus in Eusebiani Chronici supplemento memoriæ tradidit. Cum enim Chronicon Eusebij vsque ad sua tempora deduxisset Hieronymus, sic concludit: *Colliguntur omnes anni vsque in Consulatum Valentis VI, & Valentiniani Iunioris iterum August. à 15. Tiberij anno, & prædicatione Domini IESV Christi, anni 351.* In quibus valdè notandum est, D. Hieronymum annum baptismi, seu prædicationis Christi reijcere in annum 15. Tiberij, non quo solus regnauit, sed quo vnà cum Augusto regnare cœpit. Quod certè demonstrat, eum hoc loco Chronotaxim nostram secutum fuisse, cum in illa omnimodè baptismus Christi incidat in annum 15. Tiberij numerando nimirum epocham Tiberij à tempore, quo vnà cum Augusto regnare cœpit; est autem annus ille æræ vulgaris 26. cui si addas annos 351. habebis annos 377. post quem Valens VI. & Valentinianus Iunior iterum Consules fuerunt. Quod etiam affirmat D. Hieronymus, dum ait, à prædicatione Christi vsque ad Consulatum prædictum numerari annos 351. Et hæc quidem si prædictum Consulatum exclusiuè sumas, prout sumpsisse puto Hieronymum, qui iuxtà plurimos Codices M. SS. ab Arnaldo Pontaco Vasatensi Episcopo adductos scripsit, *Annos 351.* Ita enim notat: *Pro anni 351. vt est in Vi. O. A. P. Sa. Fux. Peta. duobus F. M. SS. Fab. & Marcellino, atque in codice Scaligeri, & quod potius est, in præfatione Eusebij, consentientibus omnibus libris legitur in L. Pi. anni 350. in Mar. 352.* Hæc Pontacus, cuius vltimam lectionem *annorum 352.* si amplecti velimus, ne quidem necesse erit Consulatum Valentis VI. exclusiuè sumere, cum ab æra 26. vsque ad prædictum Consulatum inclusiuè sumptum sint anni 352. Cæterùm vel ex his patet, quantùm à vera chronotaxi alieni sint, qui baptismum Christi in æram 30. cum Pontaco referunt. Si enim triginta annis adijcias 351. habebis æram vulgarem 381. qua Posthumus & Anicius Consules fuerunt, tri-

bus

bus annis post Consulatum Valentis.

4. Vt autem Dissertationi huic finem imponam, audiendus est Seuerus Sulpitius, qui libro 2. Historiæ Sacræ, annos à passione Domini enumerans, scribit: *A quo tempore* (Domini crucifixi) *& Consulatu Geminorum vsque ad Stiliconem, sunt anni* 372. Consulatus Stiliconis, cuius hìc meminit Sulpitius, incidit in annum æræ vulgaris quadringentesimum: ab annis autem quadringentis si demas annos trecentos septuaginta duos, restabunt anni 28. post annum autem 28. Consules fuerunt duo Gemini, sub quibus Christus passus est, vt rectè annotauit Sulpitius. Quod clariori testimonio comprobari non potest, quàm Quinti Iulij Hilarionis, qui in libello de Hebdomadibus Danielis ita scribit: *Exhinc vsque in* 174. *annũ Regni Græcorum, quo tempore Lucius Licinius Lucullus Consul Romanorum, qui fuit de societate & amicitijs, ad Symonem fratrem Iudæ Machabæi literas dedit, anni sunt* 26. *Ex istius namque Consulatu annuos iam Consules requirentes inuenimus vsque ad passionem Domini nostri IESV Christi, vsque ad annum* 16. *Imperij Tiberij Cæsaris* 179. *annos esse completos, ac per hoc à fabrica mundi vsque ad passionem Christi Saluatoris nostri anni sunt* 5530. *Proinde ad conclusionem sex millium annorum debentur anni* 470. *Necesse est enim, vt quomodò filij Israel à pollicitatione Domini Dei facta ad Abraham post* 470. *annos promissionis terram acceperunt: sic etiam nos Christiani post totidem annos primam resurrectionem habebimus.* Error Millenariorum. *Populus enim Iudaicus in omnibus figuram nostram portat, in quos fines sæculorum cucurrerunt. Ergò à passione Domini Christi, & quo tempore fide in se credentibus resurrectionem pollicitus est Dei filius, anni compleantur necesse est* 470., *vt concludatur summa* 6000. *annorum. Septimo & millesimo anno incipiente, fide verè credentes liberabuntur è mundo; tunc enim erit surrectio prima omnium sanctorum.* Dele & *De quadringentis verò & 70. annis à passione Domini, in Consulatu Cæsarij & Attici, die 9. Kalen. Aprilis, anni transierunt* 369. *Restant itaque anni* 101. *vt consumentur anni* 6000.

5. Placuit hoc testimonium integrum referre, prout in octingentorum annorum Codice M.S. Bibliothecæ Regiæ Alexandrinæ reperi: auctor enim antiquissimus est, & vt ex ipsius verbis colligitur, Sulpitio Seuero coætaneus; se enim scripsisse refert Consulatu Attici & Cæsarij: hoc est, anno 397. ad finem quarti sæculi. Porrò duo affirmat, quæ ad Chronologiam nostram stabiliendam apprimè faciunt. Primò enim dicit, à Consulatu Luculli vsque ad mortem Christi, & annum

deci-

decimum sextum Tiberij Cæsaris intercedere annos 179. Lucullus autem iuxta exactam fastorum seriem à Viro Clar. Norisio ex M.S. Codice Cæsareo editam, Consulatum gessit anno Vrbis conditæ 603. cui annorum numero si 179. annos adijciamus, habebimus annum Vrbis conditæ 782. quo anno iuxta nostram Chronologiam Tiberius agebat annum Imperij à morte Augusti 16. & Consulatum obibant duo Gemini, ac Christus iuxta Quintum Hilarionem mortem crucis subijt. Hoc autem ita se habere, comprobatur secundo Hilarionis testimonio, quo refert, à morte Christi vsque ad Consulatum Cæsarij & Attici intercedere annos 369. Consulatus enim ille incidit in annum 397. quocum concurrit annus 369. à morte Christi, vt videre est ex nostra Chronologia, quæ proinde duplici Hilarionis scriptoris antiquissimi testimonio comprobatur.

6. Atque satis hactenus de anno, quo Christus Dominus morte sua genus humanum redemit, de quo adeò manifestè, adeò clarè, adeò perspicuè constat, eum incidere in annum æræ vulgaris 29. vt nullam aliam chronotaxim vitæ Christi reperiri existimem, quæ huic aut argumentorum pondere, aut testimoniorum grauitate præferri meritò possit. Vt autem quę hac Dissertatione de tempore natiuitatis, baptismi, & mortis Christi dicta sunt, vnico quasi intuitu conspiciantur, Chronotaxim vitæ Christi subnectemus, ex qua patebit, quàm grauiter errauerint, qui Euangelium cum historijs Iudæorum, historicos verò Iudæorum cum scriptoribus Romanis perpetuò pugnare crediderunt. Ostendemus namque, historias tam Iudæorum, quàm Romanorum Euangelio consonas esse, & veritatem non multiplicem, sed vnam, eamdemque per horum scripta ad manus nostras peruenisse, adeòque scriptores Hebræos, Romanos, & Christianos, si rectè intelligantur, idem omninò sentire.

SE-

SERIES CHRONOLOGICA

A suscepto per Iulium Cæsarem Imperio adusque post mortem Christi.

Olympiades.	Anni ante æram vulgarem.	Consules iuxta Dionem Nicænum virum Consularem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Reges Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Obseruatu digna.
182. IV.	49.	Cornelius Lentulus. C.Claudius M.F. Marcellus.	Cęsar ex Gallijs rediens Pompeium Italia fugat, Romam intrat, dictaturam obtinet, eaque statim deposita, se ipsum & P. Seruilium Isauricum Coss. declarauit.	Hyrcani Pontificatus & Principatus 7.	Cassiodorus in Chronico: *C. Iulius Cæsar de Gallijs veniens Pompeium fugauit Italia; aurum atque argentum Romæ de ærario sustulit, ac primus Romanorum singulare obtinuit dominium, à quo Cæsares Romani Principes appellati.*
183.	48.	C. Iulius Cæsar II. P. Seruilius P. F. Isauricus.	Cæsaris 1. quo Cæsar prælio Pharsalico Pompeium superat.	Hyrcani 8.	Cassiodorus ad Consulatum sequentem: *His Coss. Cæsar Pompeium Pharsalico prælio superauit: Pompeius fugiens in Ægyptũ occisus est.* Verùm distinguenda sunt tempora. Prelium enim Pharsalicum contigit, cum *segetes propè iam matura* essent, vt scribit Cæsar lib. 3. de bello ciuili. Pompeius autem occisus est initio Consulatus Caleni & Vatinij, vt ex Dione alijsque colligitur.
II.	47.	Q. Fusius Q. F. Calenus. P. Vatinius. P. F.	Cæsaris 2. Pópeius fugiens in Ægyptum iuxta Pelusium occiditur. Cæsar Pōpeij mortem vindicat, & bellum Ægyptijs infert.	Hyrcani 9. Hyrcano iubente, Antipater Iudęorũ gubernator Cæsari suppetias tulit. Hyrcanus à Cæsare in Pōtificatu firmatur. Antipatro dynastia, quamcumq; ipse optaret, offertur, ac Procurator Iudææ	Iosephus lib. 14. Antiq. Iud. c. 16. meminit Senatus consulti *Idibus Decemb. in æde Concordiæ* facti pro Iudæis ob suppetias, quas Hyrcanus per Antipatrum Cęsari in Ægypto bellum gerenti tulerat. Deinde ait: *Hæc acta sunt Hyrcani Pontificatus & Principatus anno 9. mense Panemo.* Et ibid. cap. 17. *Herodi secundo Galilęam curandam commisit etiam admodùm adolescenti, nec excedenti annum quintum decimum.* Ita in textu græco & latino Iosephi. Photius

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni ante æram vulgarem.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Reges Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Obseruatu digna.
					declaratur, qui deducto in Syriam Cæsare, reuertitur, Phasaëlë primogenitum Hierosolymis, Herodem secundogenitum Galilææ præficit.	quoque Cod. 238. Bibl. legit. 10. id est, 15.
III.		46.	C. Iulius Cæsar III. Æmilius Lepidus.	Cæsaris 3.	Hyrcani 10.	Annus confusionis, qui cœpit à mense Octobris anni præcedentis, durauitque toto hoc anno, adeò vt hic annus 445. diebus constiterit. *Quum annorum dies*, inquit Dio Cassius lib. 43. *inuicem sibi non satis congruerent; annum Cæsar ad eum, qui hodieque obseruatur, modum constituit*. Idem affirmat Censorinus de Die natali, cap. 21. Qua de re videndi Petauius in Rationario, & de doctrina temporum, Labbeus, alijque.
IV.	1.	45.	C. Iulius Cæsar IV. solus. Suffecti Q. Fabius ac C. Trebonius. Et vltimo Consulatus die mortuo Fabio, in paucas horas ei suffectus C. Caninius.	Cæsaris 4.	Hyrcani 11.	Dio Cassius lib. 43. *Non autem toto anno Consulatum gessit, sed postquam in Vrbem venit, eo se abdicauit, Consulesque fecit Q. Fabium ac C. Trebonium, Fabioque extrema magistratus sui die mortuo, statim in residuas horas C. Caninium substituit*. Hæc de Cæsare Dio.
184.	2.	44.	C. Iulius Cæsar V. M. Antonius, Suffectus in locum Cæsaris P. Dolabella.	Idibus Martij Cæsar occiditur. Octauianus ad Parthicum bellum cum copijs præmissus obitum eius Apolloniæ percipiens, nomen Cæsaris assumpsit.	Hyrcani 12.	Iosephus refert, Cæsarem occisum fuisse, *exactis in Principatu suo tribus annis cum dimidio*. Computat nimirùm annos à morte Pompeij, a qua Cæsar solus regnauit, scribitque lib. 14. cap. 17. *Post mortem autem Cæsaris, M. Antonio P. Dolabella Coss. aduocato Senatu, & introductis Hyrcani legatis &c.* Ex quibus constat, Dolabellam Cæsari in Consulatu successisse, quod Dio Cassius lib. 43. in fine confirmat his verbis: *Ipse Dolabel-*

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni ante æram vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Reges Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Obseruatu digna.
						Iubellam pro se Consulem esse iussit, Antonio Consulatum ad finem vsquè eius anni gerente.
II.	3.	43.	Aul. Hirtius A. F. C. Vibius Pansa. Iisque in bello cæsis Octauianus Consulatum vi obtinet, addito ei collega Q. Pedio.	Octauiani Cæsaris à morte Iulij Cæsaris 1. & 2. Inuadit Consulatum die 22. Septemb. Triumuiratum init cum Antonio & Lepido die 27. Nouemb.	Hyrcani 13.	Dio Cassius lib. 46. *Hirtius in capiendis Antonij castris, Pansa non multò post, ex vulneribus perierat.* Cæsar Romam armatu manu veniens *à populo Consul factus* est ... *collega addito Q. Pedio.* Cassiodorus: *His Coss. Cæsar Octauianus, Antonius, & Lepidus amicitiæ fœdus inierunt. M. Cicero per Popillium militem Caietæ occisus est annorum 63.* Auctor libri de Claris Oratoribus: *Nam vt de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe & Pansa Coss. vt Tiro libertus eius scripsit, VII. Idus Decemb. occisus est, quo anno Diuus Augustus in locum Pansæ & Hirtij se & Q. Pedium Coss. suffecit.*
III.	4.	42.	M. Æmilius Lepidus II. L. Munatius Plancus.	Octauiani à morte Cæsaris 2. & 3. Triumuiratus & Consulatus 1. & 2. Bellum ciuile post cædem Cæsaris exoritur. Iosephus lib. 14. cap. 18.	Hyrcani 14. Herodes suppetias ferens à Cassio viro Consulari Cœlesyriæ dux creatur: Antipater veneno necatus obit.	*Statuæ sex & quinquaginta annos, quibus mox Diuus Augustus Rempublicam rexit; adijce Tiberij tres & viginti, & propè quadriennium Caij, ac bis quaternos denos Claudij, & Neronis annos, atque ipsum Galbæ, & Othonis, & Vitellij vnum annum, ac sextam iam felicis huius Principatus stationem, qua Vespa-*
IV.	5.	41.	L. Antonius M. F. P. Seruilius Isauricus II.	Octauiani à morte Cæsaris 3. & 4. Triumuiratus & Consulatus 2. & 3.	Hyrcani 15. & vltimus, nam anno sequente à Parthis capitur cum Phasaële Antipatri filio, Herode Phasaëlis fratre sibi fuga consulente.	*sianus Rempublicam fouet: centum & viginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur.* Hæc numero rotundo, cum CXX. pro CXVIII. extremis vtrimque incompletis auctor numeret.
185.	6.	40.	Cn. Domitius M. F. Caluinus II. C. Asinius Pollio. Ex lapide Colotiano. apud Gruter.	Octauiani à morte Cæsaris 4. & 5. Triumn. & Cõs. 3. & 4.	Herodes Antipatri filius, fratre eius Phasaële & Hyrcano à Parthis abductis, Romam venit, & circa autumnum à Senatu Rex Iudææ declaratur. Anti-	Iosephus lib. 14. cap. 26. *Conuocato Senatu Herodes producitur. Antonius Senatum docuit, quòd etiam ad Parthicum bellum pluritàm conduceret, Herodem regnare, idque mox omnium suffragijs approbatum est .... Atq; hoc pacto Herodes regium fastigium*

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni ante æram vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Reges Iudæorum Iuxta Iosephum Hebræum.	Obseruatu digna.
			Suffecti C. Cornelius L. F. P. Canidins P. F.		gonus vero à Parthis Hyrcano substitutus hostis Reipublicę denuntiatur.	*gium adeptus est CLXXXIV. Olympiade C. Domitio Caluino iterum, C. Domitio Pollione Coss.* Hunc Herodem alienigenam fuisse Antipatri Ascalonitæ, & matris
II.	7.	39.	L. Martius Censorinus, C. Caluisius Sabinus.	Octauiani à morte Cæsaris 5. & 6. Triumu. & Cõs. 4. & 5. Hispania per Domitium Caluinum Proconsulem in potestatem Octauiani reducitur. Dio lib. 48.	Herodis 1. & 2.	Cypridis de Arabia filium, tradit Eusebius in Chronico, qui rectè notat, ducem de Israël hoc tempore defecisse, quia Messias venturus erat, iuxta illud Iacobi in Gen. *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.*
III.	8.	38.	Ap. Claudius C. F. Pulcher. C. Norbanus C. F. Flaccus.	Octauiani à morte Cæsaris 6. & 7. Triumu. & Cõs. 5. & 6.	Herodis 2. & 3.	Hispania superiori anno in potestatem Octauiani Cæsaris redacta. A Kal. Ian. huius anni Hispani æram suam deduxere, quæ æram vulgarem 38. annis præcedit. Ea autem Hispani ab hoc tempore vsi sunt, vsque ad 14. sæculum, vt patet ex eorum Concilijs, Chronicis, & Scriptoribus.
IV.	9.	37.	M. Vipsanius L. F. Agrippa. L. Caninius L. F. Gallus.	Octauiani à morte Cæsaris 7. & 8. Triumu. & Cõs. 6. & 7.	Herodis 3. & 4. Hierosolyma capitur ab Herode: Antigonus vinctus ad Antonium à Sosio Romanorum duce mittitur, ac Antiochię securi percutitur, postquàm tres annos & tres menses regnasset. Ita Iosephus.	Licèt Dio mortem Antigoni ponat *Claudio & Norbano Coss.* idque nuper propugnarit V. C. Norisius, eò quòd Dio hoc anno nihil à Romanis in Syria gestum affirmet: tamen vel ex eo, quòd Dio res in Syria hoc anno gestas ignorauerit, colligitur, rectiùs à Iosepho lib. 14. cap. 28. traditum, hoc anno captam ab Herode Rege, & Sosio Romanorum duce Hierosolymam.
186.	10.	36.	L. Gellius L. F. Poblicola. M. Cocceius Nerua.	Octauiani à morte Cæsaris 8. & 9. Triumu. & Cõs. 7. & 8.	Herodis 4. & 5. à capta Hierosolyma & occiso Antigono 1. & 2.	*Clades Hierosolymorum*, inquit, *incidit in Consulatum Agrippæ & Canidij Galli, Olympiade CLXXXV. mense 3. ferus, quibus solemne fit ieiunium.*
II.	11.	35.	Sex. Pompeius. L. Cornificius. L. F.	Octauiani à morte Cæsaris 9. & 10. Triumu. & Cõs. 8. & 9.	Herodis 5. & 6. à capta Hierosolyma & occiso Antigono 2. & 3.	Dio Cassius lib. 49. *Sextus Pompeius iussu Antonij occisus est L. Cornificio & Sexto alio quodam Pompeio Coss.*

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni ante æram vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Reges Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Obseruatu digna.
III.	12.	34.	L. Scribonius. L. F. Libo M. Antonius M. F. iterum, qui primo die Consulatum deposuit suffecto, in locum suum L. Sempronio Atratino.	Octauiani à morte Cæsaris 10. & 11. à Triumu. & Consulatu 9. & 10.	Herodis 6. & 7. à capta Hierosolyma & occiso Antigono 3. & 4.	Dio Cassius lib. 49. *Hoc tempore Antonius eadem die & iuyt Consulatum, & deposuit, substituto in locum suum Semproniano Atratino. Itaque hunc nonnulli, non Antonium, in enumeratione Consulum recensent.* Hæc Dio. Vnde intelligitur, cur Idatius & Cassiodorus *Scribonium & L. Atracinum* simpliciter nominent.
IV.	13.	33.	C. Octauianus II. L. Volcatius L. F. Tullus. *Cæsar Consulatum, quem secundum collega L. Tullo gerebat, statim primo die exemplum Antonij secutus deposuit.* Dio.	Octauiani à morte Cæsaris 11. & 12. à Triumu. & Consulatu 10. & 11.	Herodis 7. & 8. à capta Hierosolyma & occiso Antigono 4. & 5.	Suetonius in Octauiano, cap. 26. *Secundum consulatum post IX. annos, tertium anno interiecto gessit.* Ex quo patet, primum Octauiani Cæsaris Consulatum necessariò in annum ante æram vulgarem 43. Iulianum 3. reijciendum.
187.	14.	32.	Cn. Domitius Ænobarbus. C. Sosius.	Octauiani à morte Cæsaris 12. & 13. à Triumu. & Consulatu 11. & 12.	Herodis 8. & 9. à capta Hierosolyma & occiso Antigono 5. & 6.	
II.	15.	31.	C. Octauianus Cæsar III. M. Valerius Messalla Coruinus M. F. *Quum essent Cōsules ad hunc annum designati Cæsar & Antonius, idque iam olim, quum in octo continuos (ex quibus hic vltimus erat) annos magistratus ordinassent, Antonio deposito, Valerius Messalla quondam ab his proscriptus, cum Cæsare Consul fuit.* Dio lib. 50.	Octauiani à morte Cæsaris 13. & 14. à Triumu. & Consulatu 12. & 13. *Apud Actium M. Antonius à Cæsare superatur.* Cassiodorus in Chronico. A qua pugna Actiaca proficiscitur æra Antiochena.	Herodis 9. & 10. à capta Hierosolyma & occiso Antigono 6. & 7. Card. Baronius ab hoc anno putat numerandos 37. annos Herodis, quod quàm à vero aberret, quisque facilè perspicere potest.	Velleius Paterculus lib. 2. *Cæsare deinde & Messalla Coruino Coss. debellatum apud Actium.* Et Iosephus lib. 15. cap. 6. *Pugna Actiaca, quæ in 187. Olympiadem incidit.* Et cap. 7. *Quo tempore dum maximè apud Actium Antonius confligeret cum Cæsare, septimo Regni Herodis anno, Iudæa terra, quali nunquam antè, motu concussa.* Et quidem rectè; hic enim annus ab occiso Antigono est Herodis septimus, quo pugna Actiaca contigit, de qua Dio lib. 51. *Pugna naualis facta est IIII. Nonas Septembris. Id à me non frustrà commemoratum est, dies annotare alioquin non solito: sed quòd ab ea die primùm Cæsar solus rerum potitus est, Imperijque eius recensio præcisè ab ea sumi-*

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni ante æram vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Reges Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Obseruatu digna.
						mitur. Et Eutropius lib. 7. *Bellis toto orbe confectis, Octauianus Augustus Romam rediit XII. anno postquam Consul fuerat. Ex eo Rempub. per 44. annos solus obtinuit.*
III.	15.	30.	C. Octauianus IV. M. Licinius M. F. Crassus.	Octauiani à morte Cæsaris 14. & 15. Triumu. & Cós. 13. & 14. à pugna Actiaca 1. Capta hoc anno ab Octauiano Alexandria, à quo Ægyptij annos Augustorum dinumerant.	Herodis 10. & 11. à capta Hierosolyma, & occiso Antigono. 7. & 8. Herodes occidit Hyrcanum summum Pontificem, & Octauiano Cæsari apud Rhodum occurrit, ac ab eo in regno confirmatur.	Dionysius Halicarnasseus in proœmio scribit, se venisse in Italiam simul ac Octauianus Cæsar finem bellis ciuilibus imposuisset *media Olympiade 187. anno illius tertio.* Iosephus lib. 15. cap. 9. scribit: *Herodes Hyrcano sublato ad Cæsarem properans.* Et cap. 10. *Properauit Rhodum, vt illic Cæsari occurreret.* Et cum hucusque Antonio adhæsisset, *præter spem acceptum se vidit Cæsari, & ope eius denuò confirmatum in regno. Senatus quoque Consulto per illum impetrato, deduxit eum in Ægyptum.* Vbi teste Dione lib. 51. *His Coss. Antonius à Cæsare prælio peremptus Alexandriæ in Mausoleo cum Cleopatra reconditur.*
IV.	17.	29.	C. Octauianus V. Sex. Apuleius Sex. F. V. Kal. Sept. *Ara Victoria in Curia dedicata est*, vtiu antiquo Kalendario Maphęi apud Gruterum notatur.	Octauiani à morte Cæsaris 15. & 16. Triumu. & Cós. 14. & 15. à pugna Actiaca 2.	Herodis 11. & 12. à capta Hierosolyma & occiso Antigono. 8. & 9.	Suetonius in Octauiano. *Ianum semel atque iterum à Condita Vrbe ante memoriam suam clausum, in multò breuiori temporis spatio terra marique pace parta tertiò clausit.* Primò id factum post pugnam Actiacam & mortem Antonij, testante Velleio Paterc. lib. 2. *Finita vigesimo anno bella ciuilia, sepulta externa, reuocata pax, sopitus vbique armorum furor.*
188.	18.	28.	C. Octauianus VI. M. Vipsanius Agrippa II.	Octauiani à morte Cæsaris 16. & 17. à Triumu. & Consul. 15. & 16. à pugna Act. 3.	Herodis 12. & 13. à capta Hierosolyma & occiso Antigono 9. & 10.	In Monimento Ancyrano habet Augustus: *Censum Populi collega M. Agrippa egi.* Vnde primus census Augusti vel hoc, vel sequente anno, quibus collegam habuit Agrippam, actus est.

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni ante æram vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Reges Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Observatu digna
II.	19.	27.	C. Octauian. Aug. VII. M. Vipsanius Agrippa III.	Octauiani à morte Cæsaris 17. & 18. à Triumu. & Consul. 16. & 17. à pugna Actiaca 4. quãdo etiam Augusti nomen accepit die 17. Ianuarij.	Herodis 13. & 14. à capta Hierosol. & occiso Antigono 10. & 11.	Cassiodorus in Chronico: *His Coss. Cæsar leges protulit, iudices ordinauit, prouincias disposuit, & ideo Augustus cognominatus est.* Eadem haber Dio lib. 53. vbi prouincias enumerat, quarum partem sibi Augustus retinuit; & Censorinus lib. de die natali cap. 21. *Ex sententia M. Planci Octauianus*
III.	20.	26.	C. Octauian. Aug. VIII. T. Statilius Taurus.	Octau. Aug. à morte Cæsaris 18. & 19. à Triumu. & Consul. 17. & 18. à pugna Act. 5.	Herodis 14. & 15 à capta Hierosol. & occiso Antigono 11. & 12.	*Cæsar à Senatu cæterisque ciuibus ante diem XVI. Kal. Febr. nomen Augusti accepit se VII. & M. Vipsanio Agrippa III. Coss.*
IV.	21.	25.	C. Octau. Aug. IX. M. Iunius Silanus.	Octauiani Aug. à morte Cesaris 19. & 20. à Triumu. & Consul. 18. & 19. à pugna Act. 6.	Herodis 15. & 16. à capta Hieros. & occiso Antigono 12. & 13.	
189.	22.	24.	C. Octau. Aug. X. C. Norbanus C. F. Flaccus II.	Octauiani Aug. à morte Cesaris 20. & 21. à Triumu. & Consul. 19. & 20. à pugna Act. 7.	Herodis 16. & 17. à capta Hieros. & occiso Antigono 13. & 14.	Iosephus lib. 15. cap. 11. Herodes *Stratonis turrim dictam ipse Cæsaream appellari maluit.* c. 12. *Eodem anno, qui fuit regni Herodis* 13. fames in terram Iudæam incubuit.
II.	23.	23.	C. Octau. Aug. XI. Cn. Calpurnius Piso Cn. F. C. Octauianus deposito Consulatu sibi suffecit L. Sestium.	Octauiani Aug. à morte Cesaris 21. & 22. à Triumu. & Consul. 20. & 21. à pugna Act. 8.	Herodis 17. & 18. à capta Hierosol. & occiso Antigono 14. & 15.	Dio lib. 53. *Senatus Augusto hos honores decreuit, vt tribunitus plebis perpetuus esset; vt quoties Senatus haberetur, etiamsi Consulatum non gereret, de quibuscumque rebus referre posset; vt Proconsulare Imperium semper haberet, neque id in vrbem intrans deponeret, aut*
III.	24.	22.	M. Claudius M. F. Marcellus Æserninus. L. Aruntius L. F.	Octauiani Aug. à morte Cesaris 22. & 23. à Triumu. & Consul. 21. & 22. à pugna Act. 9.	Herodis 18. & 19. à capta Hierosol. & occiso Antigono 15. & 16.	*renouando opus ei esset; vt maior ipsi in Prouinciis, quàm Præfectis earum semper esset potestas. Inde exortum est, vt Augustus, & qui eum secuti sunt Imperatores, lege quadam reliquis hisce & Tribunitia Potestate vterentur.*

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni ante æram vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Reges Iudæorum iuxta Iosephum. Hebræum.	Obseruatu digna.
IV.	25.	21.	M. Lollius initio anni solus, loco alterius Augusto seruato, sed illo recusante Q. Æmilius Lepidus collega ei datus.	Octauiani Aug. à morte Cęsaris 23. & 24. à Triumu. & Consul. 22. & 23. à pugna Act. 10.	Herodis 19. & 20. à capta Hierosol. & occiso Antigono. 16. & 17.	
190.	26.	20.	M. Apuleius Sex. F. P. Silius P. F. Nerua.	Octauiani Aug. à morte Cęsaris 24. & 25. Triumu. & Cõs. 23. & 24. à pugna Act. 11.	Herodis 20. & 21. à capta Hierosol. & occiso Antigono 17. & 18.	Dio lib. 54. *Augustus vere Asiam perrexit M. Apuleio P. Silio Coss. . . . idemque in Syriam venit.* Venit autem teste Iosepho lib. 15. cap. 13. *cum decimus septimus eius* (Herodis) *regni annus præterisset.* Ita enim textus Græcus.
II.	27.	19.	C. Sentius C. F. Saturninus. L. Lucretius Q. F. ab Augusto solo designatus.	Octauiani Aug. à morte Cęsaris 25. & 26. Triumu. & Cõs. 24. & 25. à pugna Act. 12.	Herodis 21. & 22. à capta Hierosol. & occiso Antigono 18. & 19.	Dio lib. 54. *Augustus primùm in aliud quinquennium suum sibi Principatum prorogauit, quum iam decennium esset in exitu: id enim agebat P. iam & Cn. Lentulis Coss.* Decem hos annos computat Dio à Coss. Augusti 7. & Agrippæ III.
III.	28.	18.	P. Corn. Lentulus Marcellinus. Cn. Corn. Lentulus L. F.	Octauiani Aug. à morte Cęsaris 26. & 27. Triumu. & Cõs. 25. & 26. à pugna Act. 13.	Herodis 22. & 23. à capta Hierosol. & occiso Antigono 19. & 20.	Dio lib. 54. Augustus *Agrippa cum alia fere eadem, quæ sibi, tum Tribunitiam potestatem itidem ad quinquennium dedit.*
IV.	29.	17.	C. Furnius. C. F. C. Iunius C. F. Silanus.	Octauiani Aug. à morte Cęsaris 27. & 28. Triumu. & Cõs. 26. & 27. à pugna Act. 14.	Herodis 23. & 24. à capta Hierosol. & occiso Antigono 20. & 21.	Censorinus de Die natali cap. 17. *Quintos ludos C. Furnio C. Iunio Silano Coss. an. 737. Cæsar Augustus & Agrippa fecerunt.*
191.	30.	16.	L. Domitius Ahenobardus P. Cornelius Scipio.	Octauiani Aug. à morte Cęsaris 28. & 29. Triumu. & Cõs. 27. & 28. à pugna Act. 15.	Herodis 24. & 25. à capta Hierosol. & occiso Antigono 21. & 22.	Chronicon Alexandrinum: *His Coss. Deipara ex Ioachim & Anna est nata.* Cardinalis Baronius in annum antecedentem B. Virginis natiuitatem reijcit. Dio autem *Agrippam* his Coss. *in Syriam* missum asserit; Iosephus verò addit: *Inuitauit eum Herodes in Regnum suum.*

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni ante æram vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Reges Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Obseruatu digna.
II.	31.	15.	M. Liuius Drusus Libo. L. Calpurnius Piso.	Octauiani Aug. à morte Cęsaris 29. & 30. Triumu. & Cōs. 28. & 29. à pugna Act. 16.	Herodis 25. & 26. à capta Hierosol. & occiso Antig. 22. & 23.	Iosephus lib. 15. cap. 3. scribit, Herodem post hiemem domi peractam Agrippam secutum ad bella Pontica, quæ Dio. lib. 54. sequenti Consulatu peracta refert.
III.	32.	14.	M. Licinius M. F. Crassus. Cn. Cornelius Cn. F. Lentulus.	Octauiani Aug. à morte Cęsaris 30. & 31. Triumu. & Cōs. 29. & 30. à pugna Act. 17.	Herodis 26. & 27. à capta Hierosol. & occiso Antig. 23. & 24.	
IV.	33.	13.	Tib. Claudius T. F. Nero. P. Quinctilius Varus.	Octauiani Aug. à morte Cęsaris 31. & 32. Triumu. & Cōs. 30. & 31. à pugna Act. 18.	Herodis 27. & 28. à capta Hierosol. & occiso Antig. 24. & 25.	Dio lib. 54. *Post Agrippam ex Syria reuersum tribunitia potestate in aliud quinquennium prorogata cohonestauit.*
192.	34.	12.	M. Valerius Messalla Barbatus. P. Sulpicius Quirinus.	Octauiani Aug. à morte Cęsaris 32. & 33. Triumu. & Cōs. 31. & 32. à pugna Act. 19.	Herodis 28. & 29. à capta Hierosol. & occiso Antig. 25. & 26.	Agrippa in Campania moritur, ex Liuio, & Dione lib. 54. addente, Tiberium in eius locum fuisse substitutum etiam inuitum. De Quirinio huius anni Consule habet Tacitus lib. 3. an-
II.	35.	11.	Paullus Fabius Q. F. Maximus. Q. Ælius Q. F. Tubero.	Octauiani Aug. à morte Cęsaris 33. & 34. Triumu. & Cōs. 32. & 33. à pugna Act. 20.	Herodis 29. & 30. à capta Hierosol. & occiso Antig. 26. & 27.	nal. cap. 48. *Consulatum sub Diuo Augusto: mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium Castellis, insignia triumphi adeptus, datusque rector C. Cæsari Armeniam obtinenti.* Quæ post Consulatum de Quirinio refert Tacitus, suis singula annis videbimus.
III.	36.	10.	Iulius Antonius M. F. Q. Fabius Q. F. Africanus.	Octauiani Aug. à morte Cęsaris 34. & 35. à Triumu. & Consulatu 33. & 34. à pugna Act. 21.	Herodis 30. & 31. à capta Hierosol. & occiso Antig. 27. & 28. Titium in Præfęctura Syriæ Sentius Saturninus excepit, vt ex Iosepho colligitur.	Vsserius in annal. *Cæsareæ Stratonis* structura perfecta est anno Regni Herodis post Antigoni mortem inchoati 28. Olympiade 192. anno illius III.
IV.	37.	9.	Cl. Nero Tib. F. Drusus Germ. Quinctius Crispinus.	Octauiani Aug. à morte Cęsaris 35. & 36. à Triumu. &	Herodis 31. & 32. à capta Hierosol. & occiso Antig. 28. & 29.	

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni ante æram vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Reges Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Obseruatu digna.
				Consulatu 34. & 35. à pugna Act. 22.		
193.	38.	8.	C. Martius Censorinus. C. Asinius C.F. Gallus.	Octauiani Aug. à morte Cæsaris 36. & 37. à Triumu. & Consulatu 35. & 36. à pugna Act. 23.	Herodis 32. & 33. à capta Hierosol. & occiso Antig. 29. & 30. C. Sentius Saturninus hoc quidem tempore Syriæ Præses fuit, vt ex varijs Iosephi locis demonstrari potest. Quirinius contra Homonadenses in Prouinciam Ciliciam mittitur.	Dio Cassius lib. 55. affirmat, Germanos omnes subactos per Tiberium, qui Caium secum habebat, *peragrataque tamquam victoribus Germania*, Romam reuersi sunt. *Et sic*, inquit Suetonius lib. 4. cap. 12. *vbique cuncta atque continua humani generis aut pax fuit, aut pactio; ausus que tandem Caius Augustus 700. ab Vrbe Condita anno Ianum geminum claudere.* In annum Vrbis error irrepsit, *Ianus tamen hoc anno clausus, quod certa pacis argumentum est*, inquit Velleius Paterculus, & lustrum Augustus fecit iuxta illud Monumenti Ancyrani: *Nuper lustrum solus feci .... Censorino & Asinio Coss.*
II.	39.	7.	Ti. Claudius Nero II. Cn. Calpurnius Piso II.	Octauiani Aug. à morte Cæsaris 37. & 38. à Triumu. & Consul. 36. & 37. à pugna Act. 24.	Herodis 33. & 34. à capta Hierosol. & occiso Antig. 30. & 31. Dum Præses Syriæ præerat Saturninus, Quirinius expugnatis Homonadensium Castellis in Syriã mittitur Procurator ad lustrũ superiori anno ab Augusto institutum peragendum, quod proinde hoc anno in Syria, sequente in Palæstina incipit.	Lustrum ab Augusto superiori anno Romæ institutum, est illud omnino, de quo S. Lucas cap. 2. *Factum est in diebus illis, exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Quirino.* In Græco, loco *Præses*, habetur ἐπίτροπος, *Procurator*, quòd nimirum sub Saturnino Syriæ Præside Quirinus procurator eiusdem regionis factus sit ad lustrum peragendum, vt in alijs regionibus contigit, sicut videre est apud Pagium de Gallijs, quibus cũ teste Tacito lib. 1. Annal. Germanicus præesset, tamen missi sunt duobus post annis *ad Censum Galliarum P. Vitellius, & Cantius*. Ita lib. 2.

III.

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni ante æram vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Reges Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Anni Christi.	Obseruatu Digna.
III.	40.	6.	D. Lælius Balbus C. Antistius Vetus.	Octauiani Aug. à morte Cæsaris. 38. & 39. à Triumu. & Consul. 37. & 38. à pug. Act. 25. Caius & Lucius Augusti Nepotes Tiberio patri succensent, quód Tribunitiam potestatem in quinquenniũ accepisset, seque negligi putarent.	Herodis 34. & 35. à capta Hierosol. & occiso Antigono. 31. & 32. Hoc anno ante mensem Septembris Varus succedit Saturnino Syriæ Præsidi, siquidem extat nummus Antiochenus cum Vari nomine, anno EK. id est 25. à pugna Actiaca cusus.	Hoc anno nascitur Christus Dominus die 25. Decembris in Bethleem Iuda, in diebus Herodis Regis. Auctor anonymus in Cod. Græco Biblioth. Vrbinatis affirmat, id factum *anno Regni Herodis Antipatri* 32. Idem auctor tribuit Herodi annos Regni 36. & Archelao post eum annos 9.	S. Lucas cap. 2. de descriptione orbis, cuius tempore natus est Christus in Bethleem Iuda, sic habet: *Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino*. Tertullianus libro 4. contra Marcionem ait: *Sed & census constat actos sub Augusto tunc in Iudæa per Sentium Saturninum, apud quos genus* (Saluatoris) *inquirere potestis*. Porrò neque Quirinus hoc anno Syriæ Præses fuit, sed Saturninus, neque Saturninus ad mensem Decembris Syriæ præfuit; sed ante mensem Septembris ei in Syriæ Præfectura Varus successit. Quæ omnia ne tempori natiuitatis Christi obesse credantur, notandum, tam Quirinum Syriæ Procuratorem, quam Sentium Saturninum Syriæ Præsidem eo tempore in Syria versatos fuisse, quo lustrum Augusti institui cępit: & licèt ex Syria discessissent, antequàm in Iudæa absolutum esset; id tamen non oberit, quò minùs hęc descriptio prima facta dicatur à Procuratore Syriæ Cyrino, & sub Saturnini Præsidis Syriæ nomine Acta istius Census, vt Tertullianus ait, in Archiuis Romanis ad sua vsque tempora custodirentur.
IV.	41.	5.	C. Octauianus Augustus XII. L. Corn. Sulla.	Octauiani Aug. à morte Cæsaris 39. & 40. à Triumu. & Consul. 38. & 39. à pugna Actiaca 26. Zonaras ex Dione lib. 55. Hoc anno *Augustus Cõsul XII. Caium virili toga data, in curiam adductũ Principem iuuentutis designat*.	Herodis 35. & 36. à capta Hierosol. & occiso Antigono 32. & 33. Extant nummi Antiocheni, quibus Varus Syrię pręfuisse dicitur anno à pugna Actiaca 26.	Christi 1. vsque ad 25. Decembris, quo anno Magi veniunt Hierosolymã die 5. Ianuarij. Post quadraginta dies pręsentatur in templo, & fugit in Ægyptum, vbi manet vsque ad Herodis mortem.	
194.	42.	4.	C. Caluisius Sabinus II. L. Passienus Rufus. Seuerus Sulpitius lib. 2. cap. 39. ait. *Christus natus est Sabino & Rufino Coss.*	Octauiani Aug. à morte Cæsaris 40. & 41. à Triumu. & Consul. 39. & 40. à pugna Actiaca 27. Extat huius	Herodes moritur 7. mensis Caslen seu 25. Nouemb. eique succedit Archelaus, qui thronum patris post septem ab eius	Christi 2. quo Ioseph monetur ab Angelo in somnis, redire in terram Israël; qui cũ in itinere percepisset, quòd Archelaus re-	Iosephus lib. 17. cap. 8. narrat, Herodem circa Pascha iam ægrum iussisse aliquos seditiosos Iudæos comburi, & in eamdem noctem incidisse eclipsim Lunæ, quam Keplerus & Petauius ostendunt hoc anno contigisse tribus horis ante

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni ante æram vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Tetrarchæ Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Anni Christi.	Obseruatu digna.
				anni 27. nũmus Antiochenus Vari Syriæ Præsidis, qui Iosepho lib. 17. cap. 7. testante, *per idem tempus Hierosolymis erat .. . successor Saturnino missus in Syriam,* quo de Antipatri filij perfidia castiganda Herodes consultabat. Habito autem Consilio *Antiochiam profectus est, vbi plurimum solebat degere, quòd illic esset Syrorum regia.*	obitu dies ascendit. Extant numi Antiocheni, quibus Varus Syriæ præfuisse dicitur anno à pugna Actiaca 27.	gnaret in Iudæa, pro patre eius, timuit illò ire, & secessit in Galilæam, quæ Antipæ Tetrarchæ suberat, & habitauit in Nazareth.	solis ortum die 13. Martij, & fuisse digitorum penè sex. Mortuus autem est *die 7. mensis Casleu*, vt habetur in Iudæorũ Ieiunij volumine, eum ab occiso Antigono trigesimumquartum, & ab obtento Romæ Principatu annum trigesimum septimum ageret, vt testatur Iosephus lib. 1. de bello Iudaico cap. 21. & lib. 17. Antiq. cap. 10. Post dies verò 7. ab obitu Herodis thronum ipsius conscendit Archelaus, cumque omnis populus pro Rege salutauit, vt ibidem narrat Iosephus.
II.	43.	3.	Cn. Cornelius Lentulus. M. Valerius Messalla. *His Coss. Dominus noster Iesus Christus Filius Dei in Bethleem nascitur anno Imperij Aug. 41.* inquit Cassiodorus in Chronico.	Augusti à morte Cæsaris 41. & 42. Triumu. & Consul. 40. & 41. à pugna Act. 28. Anno 42. Augusti ponunt Christi natiuitatem Eusebius in Chronico iuxta M. SS. Codd. à Miræo lectos & nonnullos Codd. Arnaldi Pontaci: item Epiphanius hær. 41. Orosius lib. 1. cap. 1. quos secutus est	Archelaus post Pascha Romam proficiscitur, & ab Augusto confirmatur non quidem Rex, sed Ethnarcha super Iudæam, Idumæam, & Samariam. Philippus verò constituitur Tetrarcha super Trachonitidem, Bataneam, & Auranitim. Herodes autem Antipas super Galilæam & Trãsamnanã Regionem. Ita	Christi 3. Hoc anno Christus nascitur iuxta Card. Baronium die 25. Decemb.	Archelaus Romæ accusatur à fratribus de inuaso sine Augusti licentia Iudæorum throno, ideoque Romam contendit, vbi Augustus eum *non Regem declarat, sed dimidia parte ditionis, quæ Herodis fuerat, ei concessa, Ethnarcham eum constituit* supra Iudæam, Idumæã, & Samariam. Ita Iosephus lib. 17. Ant. cap. 13. Romæ autem vidit Caium Cæsarem primum locum in Consistorio habentem, vt ibidem Iosephus, nullam Lucij mentionem faciens, quia hic nondum Caio fratri honoribus æquatus erat.

Io-

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni ante æram vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Tetrarchæ Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Anni Christi.	Obseruatu digna.
				Card. Baronius.	Iosephus, qui non meminit Lisaniæ Abilinæ, vt potè extra Iudæã positæ.		
III.	44.	2. Hoc anno incipit æram Card. Baronius.	C. Octau. Augus. XIII. M. Plautius Siluanns. Cui suffectus est C. Caninius Gallus, & Kal. Octob. Augusto suffectus est Q. Fabricius. Alexander Monacbus Orat. de cruce ait, Christum natum esse, *dum Augustus Consul esset XIII. collega Siluano die 25. Decemb.*	Augusti à morte Cæsaris 42. & 43. Triumu. & Consul. 41. & 42. à pugna Act. 29. Inscriptio apud Gruter. p. 199. 3. IMP. CAES. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XXI. CONS. XIII. PAT. PATR. TERM. AVG. INTER LANC. OPP. ET IOAEDIT.	Herodis Antipę, Philippi, & Archelai à morte Herodis 2. & 3. à confirmato Romæ Principatu 1. & 2.	Christi 4. Hoc anno præter Alexandrum Monachum Christi natiuitatẽ collocant, Victor Tunon. ad calcem Chronici, Ado Viennensis, alijque, quorum sententiam secuti sunt Onuphrius Panuinius & Aub. Miræus in adm. ad Chronic. Eusebij.	Baronins Tomo 1. Annal. ad annum Augusti 42. scribit: *Kal. Ianuarij Augusto 13. & Plautio Siluano Consulatũ gerentibus, eodem in quo natus est loco, circumciditur.* Addit, quòd eodẽ anno Magi eum adorarint, ac fugerit in Ægyptum.
IV.	45.	1. Hoc anno ponit æra vulgaris initium Onuphrius Panuinius.	Cornelius Lentulus. L. Calpurnius Piso.	Augusti à morte Cæsaris 43. & 44. à Triumu. & Consul. 42. & 43. à pugna Act. 30. Caius ab Augusto aduersus Parthos mittitur, cuius ad iter apparatum describit Ouidius lib. 1. de arte amandi.	Herodis Antipæ, Philippi, & Archelai 3. & 4. à confirmato Romæ Principatu 2. & 3.	Christi 5.	S. Prosper in Chronico hoc anno ponit Christi natiuitatem, ita enim ibi: 44. *Augusti anno Quirinus ex consilio Senatus ad Iudæam missus census hominum possessionesque describit. Eodem anno Christus Filius Dei in Bethleem Iudæ nascitur.* Fauet Apollinarius Laodicenus, ac sequuntur Burgensis, Tostatus, Genebrardus, alijque, quibus subscribit Labbeus.

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Tetrarchæ Iudeorum iuxta Iosephum Hebræum.	Anni Christi.	Obseruatu digna.
195.	46.	Hoc anno incipit æra Vulgaris, Dionysij Exigui.	C. Cæsar. L. Æmilius Paulus. Fasti quidam antiqui apud Cuspinianũ: Christus nascitur *Cæsare & Paulo Coss. die VIII. Kal. Ian.*	Augusti à morte Cæsaris 44. & 45. à Triumu. & Consul. 43. & 44. à pugna Actiaca 31.	Herodis Antipæ, Philippi & Archelai 4. & 5. à confirmato Romæ Principatu 3. & 4.	Christi 6.	Eminen. Card. Baronius, qui Caium ante triennium defunctum putabat, cum Tomo 10. Annalium obseruasset, se hoc anno Caium inter Consules retulisse, fastos corrigendos credidit, & loco Caij, Consulatum Augusti 14. substituit. Verum Caium cum Æmilio Paulo Consulatum egisse, testantur fasti antiqui apud Onuphrium, & Cuspinianum, & apud Dionem antiquitùs legebatur: γ. Αὐγούστου υἱός. *Caius Augusti filius*. Prout etiamnum legitur in antiqua inscriptione apud Gruterum pag. 1075. 2. *C. Cæsare Aug. fil. . . . Paulo Coss. lares Augustos Q. Numisius Q. L. Legio L. Sassinius L. L. Hilarus Sodalis C. Modi. Cimbri. Ser. Æscinus M. Octaui M. Ser. Magister de suo F. C.* Alia extat inscriptio Arimini in foro, vbi: *C. Cæsar Augusti F. Consul.* dicitur. Extant nummi antiqui, in quibus *Caij Cæsaris Consulatus* exprimitur: & Cenotaphium Pisanum *Ceu postconsulatus* meminit: adeò vt de eius Consulatu ne quidem ambigere liceat. Notanda autem Cenotaphij Pisani verba: *Post Consulatum, quem vltra fines extremos Populi Romani bellum gerens feliciter peregerat*. Ex ijs enim constat, Caium Consulatum peregisse, dum bellum pro Romanis gerebat in vltimis Imperij oris, & iam tum Iani portas rursus apertas fuisse.
II.	47.	2.	P. Vinitius. P. Alfenius Varus. Lucius Cęsar hisCoss. *Massiliæ decessit*.	Augusti à morte Cæsaris 45. & 46. à Triumu. & Consul. 44. & 45. à pugna Act. 32.	Antipæ, Philippi, & Archelai 5. & 6. à confirmato Romæ Principatu 4. & 5.	Christi 7.	
III.	48.	3.	M. Seruilius Gemma. L. Ælius Lamia.	Augusti à morte Cæsaris 46. & 47. à Triumu. & Consul. 45. & 46. à pugna Act. 33.	Antipæ, Philippi, & Archelai 6. & 7. à confirmato Romæ Principatu 5. & 6. Posuit hoc anno Pagius Syriæ Præsidem Saturninum ex numismate eius, in quo annus Antiochenus ΕΑ. seu 35. exprimitur, ad quẽ annũ referendum est numisma.	Christi 8.	
IV.	49.	4.	Sex. Ælius Catus. C. Sentius Saturninus. In Cenotaphio Pisano: *Sex Ælio Cato, & Caio Sentio Saturnino Coss.* Augusti *Trib. Pot. XXVI. quarto Non.*	Augusti à morte Cæsaris 47. & 48. à Triumu. & Consul. 46. & 47. à pugna Act. 34.	Antipæ, Philippi, & Archelai 7. & 8. à confirmato Romæ Principatu 6. & 7.	Christi 9.	

Apri-

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Tetrarchę Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Anni Christi.	Obseruatu digna.
			Aprilis nuntius adfertur, Caium Cæsarem Augusti. .... Filium post Consulatum ... vulneribus pro Repub. exceptis ex eo casu crudelibus fatis ereptum.				
196.	50.	5.	Cn. Cornelius Cinna. L. Valerius Messalla Volusus.	Augusti à morte Cæsaris 48. & 49. à Triumn. & Consul. 47. & 48. à pugna Act. 35.	Antipæ, Philippi & Archelai 8. & 9. à confirmato Romæ Princip. 7. & 8.	Christi 10.	
II.	51.	6.	M. Æmilius Lepidus. L. Arruntius.	Augusti à morte Cæsaris 49. & 50. à Triumn. & Consul. 48. & 49. à pugna Act. 36.	Herodis Antipę, Philippi, & Archelai 9. & 10. à confirmato Romæ Principatu 8. & 9. quo Archelaus à fratribus accusatus apud Augustum, ab eo in exilium relegatur anno à morte Herodis decimo, à confirmato Romæ Principatu 9.	Christi 11.	Iosephus lib. 17. Antiq. cap. 15. *Decimo principatus Archelai anno primates tam Iudęorum, quàm Samaritanorum non ferentes eius tyrannidem, detulerunt eum ad Cæsarem ... Cæsar autem auditis eius accusatoribus & ipsius defensione, misit eum Viennam in exilium, quæ est vrbs Galliæ.* Libro 2. de bello Iudaico dicit, id contigisse nono Principatus anno, quod Eusebius in Chronico confirmat his verbis: *Archelaus nono anno regni sui in Viennam vrbem Galliæ relegatur.* Idem habet S.
III.	52.	7.	Q. Metellus Creticus. A. Licinius Nerua Silanus.	Augusti à morte Cæsaris 50. & 51. à Triumn. & Conf. 49. & 50. à pugna Act. 37. quo anno Quirinius in Iudæā missus *cēsum peregit* teste Iosepho.	Herodis Antipæ, & Philippi 10. & 11. Quirinius fit Syriæ Præses	Christi 12. S. Lucas cap. 2. *Factus annorum 12. remansit puer Iesus in Hierusalem.*	Prosper in Chronico integro: *Archelaus in Viennam Vrbem Galliæ relegatur anno Regni sui 9.* Neque hæc differunt à priori testimonio Iosephi: nam annus, qui à confirmato Archelai Principatu fuit nonus, à morte Herodis fuit decimus, ideoque præclarè Dio lib. 55. *Lepido & Arun-*

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Tetrarchæ Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Anni Christi.	Obseruatu digna.
IV.	53.	8.	M. Furius Camillus. Sex. Nonius Quinctilianus.	Augusti à morte Cæsaris 51. & 52. à Triumu. & Consul. 50. & 51. à pugna Act. 38.	Herodis Antipæ, & Philippi 11. & 12.	Christi 13.	*runtio Coss. Herodes* (qui & vocatur Archelaus) *Palæstinus à fratribus accusatus trans alpes relegatur*. Parte autem ditionis Archelai Syriæ contributa, Herodes Galilææ Tetrarcha euasit, vt habet Iosephus lib. 18. cap. 2.
197.	54.	9.	C. Poppæius Sabinus. Q. Sulpitius Camerinus.	Augusti à morte Cæsaris 52. & 53. à Triumu. & Consul. 51. & 52. à pugna Act. 39.	Herodis Antipæ, & Philippi 12. & 13.	Christi 14.	
II.	55.	10.	P. Cornelius P. F. Dolabella. C. Iunius Silanus.	Augusti à morte Cæsaris 53. & 54. à Triumu. & Consul. 52. & 53. à pugna Act. 40. quo anno Proconsulare Imperium accipit Tiberius, qui Imperij consors efficitur.	Herodis Antipæ, & Philippi 13. & 14.	Christi 15. Auctor Historiæ Chronicę tempore Iustini Imperatoris scripsit: *Regnauit Tiberius Cæsar, cum esset D. Iesus Christus inter homines habens ætatis annos 15.* Ita in M. S. Cod. Bib. Palatinę.	Velleius Paterculus. His Coss. Tiberius ob rem Romani Imperij contra Germanos præclarè gestam, *perpetuus Romani Imperij Patronus habitus est*. Et Dio lib. 56. adiungit: *Victoriæ ergo Augusto & Tiberio nomen Imperatorium auctum, ac triumphus decretus*. Vnde apud Clementem Alexandrinum aliqui Tiberio 26. annos Imperij tribuunt; & ab hoc anno eius Imperium numerauit Sulpitius Seuerus lib. 2. Historiæ, vt alibi videbimus.
III.	56.	11.	M. Æmilius Lepidus. T. Statilius Taurus. Concordiæ ædes his Cõsulibus à Tiberio dedicatur *XVII. Kal. Febr.* teste Ouid. lib. 1. Fastorum.	Augusti à morte Cæsaris 54. & 55. à Triumu. & Consul. 53. & 54. à pugna Act. 41. Tiberij Imperij Procõsularis 1.	Herodis Antipæ & Philippi 14. & 15.	Christi 16.	Suetonius in Tiberio cap. 21. *Dedicauit Concordiæ ædem. Ac nec multo post (lege per Consules lata, vt prouincias cum Augusto communiter administraret, simulque censum ageret) condito lustro in Illyricum profectus est.* Dio Cassius lib. 56. *Tiberius ædem Concordiæ sacrauit inscripto suo & fratris Drusi vita pridem functi nominibus, M. Æmilio Lepido, Statilio Tauro Coss.* Postquam igitur Con-

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Tetrarchæ Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Anni Christi:	Obseruatu digna.
							Consules ad finem eræ vulg. 10. legem tulerant, quòd Tiberius Prouincias cum Augusto cômuniter ministraret. Dedicauit anno sequenti Concordiæ ædem, & biennio postquàm in Germania res feliciter peregerat, & consors Imperij Augusto volente, vt Velleius testatur, lib. 2. cap. 121. à Senatu declaratus erat, *in Vrbem reuersus, iam pridem debitum, sed continuatione bellorum* (vindicatione hostium) *dilatum egit triumphum*. Vnde corrigendus Vsserius, qui id factum refert anno 12. quo Germanicus Consulatum obibat.
IV.	57.	12.	Germanicus Cæsar. C. Fonteius Capito. Suetonius in Caio Caligula cap. 8. *Caius Cæsar natus est pridie Kalend. Sept. patre suo & C. Fonteio Capitone Coss.*	Augusti à morte Cæsaris 55. & 56. à Triumu. & Consul. 54. & 55. à pugna Act. 42. Tiberij Imp. Procons. 2.	Herodis Antipæ, & Philippi 15. & 16. Quirinio in Syriæ Præpositura successit Q. Cæcilius Silanus.	Christi 17.	Plinius lib. 14. cap. vlt. & Suetonius cap. 42. Tiberium *Principem* vocant, dum *Pisonem in potatione pernoctantem ad Præfecturam Vrbis confestim delegit*, qui teste Tacito l. 6. Ann. cap. 2. *viginti per annos pariter probatus obijt* Cn. Domitio, & Scriboniano Coss. Hi Coss. fuere æra 32. à qua si detrahas 20. annos, anno 12. Tiberius iam Prin-
198.	58.	13.	C. Silius. L. Munacius Plancus.	Augusti à morte Cæsaris 56. & 57. à Triumu. & Consul. 55. & 56. à pugna Act. 43. Tiberij Imp. Proc. 3.	Herodis Antipæ, & Philippi 16. & 17. Extant duo nummi, vnus in gaza Medicea, alter penes me, in quorum antica caput Iouis, in postica legitur: ΕΠΙ ΣΙΛΑ-ΝΟΥ ΑΝ-	Christi 18.	ceps siue Imperij collega erat, collegæ enim Imperij *Principes* vocantur, vt colligitur ex Spartiano in vita Ælij Veri, vbi tria personarum genera distinguit, *Cæsarum, Principum, ac Augustorum*. *Qui*, inquit, *Cæsares appellati sunt, nec Principes, aut Augusti fuerunt*. Vbi Principes Cæsarum auctoritatem superasse monstrantur, vtique Collegæ Imperij constituti.

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Tetrarchæ Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Anni Christi.	Obseruatu digna.
					ΤΙΟΧΕΩΝ Γ Μ. id est an. 43. quo Silanus Syriæ præfuit.		
II.	59.	14.	Sex. Pompeius. Sex. Apuleius.	Augustus obijt die 19. Augusti, eiq; succedit Tiberius, qui à prædicto die solus Imperium tenuit. Imp. Proc.4. Annus à pugna Act. 44.	Herodis Antipæ, & Philippi 17. & 18. Extant vero penes me duo nummi ærei omninò similes prioribus, cum eisdem verbis, & anno Δ Μ. id est 44.	Christi 19.	Augustus hoc anno lustrum peregit, de quo inscriptio olim Mausoleo suo Romæ inserta, & in Monimento Ancyrano seruata: *Nuperrimè lustrum conlega Tiberio Sex. Pompeio & Sex. Apuleio Coss.* Conlegam vocat Tiberium, non Consulatus, nam hunc duo Sexti gerebant, sed Imperij, ad cuius consortium ante tres annos & menses Tiberium assumpserat.
III.	60.	15.	Drusus Cæsar. C. Norbanus Flaccus.	Tiberij Imperij Proc.5. à morte Augusti 1. vsque ad 19. Augusti; & inde 2. Annus à pugna Act. 45.	Herodis Antipæ, & Philippi 18. & 19. Extat in Gaza Medicea nummus, in cuius antica caput Tiberij, cum inscriptione ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡ. & in postica hæc inscriptio Α ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ Ε Μ. Nota superior A. primum Tiberij annum: nota inferior annum 45. pugnæ Actiacæ, designant.	Christi 20.	Lustro autem Romæ peracto, in Campaniam proficiscitur, vbi circumfusus amplexibus Tiberij, teste Velleio Paterculo cap. 123. *in sua resolutus est initia, Pompeio Apuleioque Coss. 76. anno.* Addit Dio Cassius lib. 56. ad eumdem Consulatum: *Vita excessit XIV. Kal. Septembris, qua die quondam primum Consulatum inierat. Vixit annos 75. menses 10. dies 26. siquidem natus est 9. Kalend. Octobris. Solus summum Imperium gessit à victoria apud Actium annos (quibus tamen 13. dies desunt)* 44. Quæ omnia tam manifestè Chronotaxim nostram confirmant, vt nihil ampliùs. Obseruat autem Petauius lib. 4. Rationarij Parte 2. c. 5. testibus Tacito & Dione, *paulò post Augusti exitum lunam defecisse*, quæ eclipsis accidit *anno Christi 14. cyclo lunæ 15. Solis 23. Septembris* 27.

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Tetrarchæ Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Anni Christi.	Obseruatu digna.
IV.	61.	16.	T. Statilius Sisenna Taurus. L. Scribonius Libo.	Tiberij Imperij Proc. 6. à morte Augusti 2. & 3. à pugna Act. 46. vsque ad quartum Nonas Sept. à quo annus 47. initium ducit.	Herodis Antipæ, & Philippi 19. & 20. Extat alius Silani nummus cum anno Tiberij tertio, quem inijt hoc anno 16. à die 19. Aug. & anno Antiochensi Z M seu 47. qui à hoc anno à quarto Nonas Sept. cœpit.	Christi 21.	17. hora circiter 3. matutina, quadragesimo die post Augusti mortem. Quare non potest aliud in tempus, quàm illum ipsum communis æræ 14. annum conferri obitus Imperatoris Augusti Coss. Sextis duobus, Iuliano 59. Hactenus Petauius.
199.	62.	17.	C. Cælius Rufus. L. Pomponius Flaccus.	Tiberij Imp. Procon. 7. à morte Aug. 3. & 4.	Herodis Antipæ, & Philippi 20. & 21. Piso fit Syriæ Præses successor Silano datus.	Christi 22.	
II.	63.	18.	Tib. Aug. III. Germanicus Cæsar Tib. F. II.	Tiberij Imp. Proc. 8. à morte Aug. 4. & 5.	Herodis Antipæ, & Philippi 21. & 22.	Christi 23.	
III.	64.	19.	M. Iulius Silanus. L. Norbanus Balbus. Germanicus Cæsar veneno excessit Antiochiæ Syriæ.	Tiberij Imp. Proc. 9. à morte Aug. 5. & 6.	Herodis Antipæ, & Philippi 22. & 23. Pisoni succedit C. Sentius Saturninus Syriæ Præses.	Christi. 24.	Tacitus ad annum ab V. C. 772. qui est æræ vulg. 19. narrat, Germanicum scelere Pisonis ex hac vita ereptum: *Consultatum inde inter legatos, quique alij Senatorum aderant, quisnam Syriæ præficeretur, & cæteris modicè nisis inter Vibium Marsum, & Cn. Sentium diù*

 qua-

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Tetrarchæ Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Anni Christi.	Observatu digna.
IV.	65.	20.	M. Valerius Messalla. M. Aurelius Cotta.	Tiberij Imperij Procós. 10. à morte Aug. 6. & 7.	Herodis Antipæ, & Philippi 23. & 24.	Christi 25.	*quæsitum*. *Dein Messus seniori, & acriùs tendenti Sentio concessit*. Cn. Sentius itaque Pisoni successit.
200.	66.	21.	Tib. Aug. IV. Drusus Cæsar II.	Tiberij Imp. Proc. 11. à morte Aug. 7. & 8.	Herodis Antipæ, & Philippi 24. & 25.	Christi 26.	
II.	67.	22.	D. Haterius Agrippa. C. Sulpitius Galba.	Tiberij Imp. Proc. 12. à morte Aug. 8. & 9.	Herodis Antipæ, & Philippi 25. & 26.	Christi 27.	Iosephus lib. 18. Antiq. Iud. cap. 8. de Agrippa loquens: *Ad Flaccum*, inquit, *virum consularem, & tum Syriæ Præsidem se contulit*. Quod circa hunc annum contigisse creditur.
III.	68.	23.	C. Asinius Pollio. C. Antistius Vetus.	Tiberij Imp. Proc. 13. à morte Aug. 9. & 10.	Herodis Antipæ, & Philippi 26. & 27.	Christi 28.	
IV.	69.	24.	Sex. Cornelius Cethegus. L. Vitellius Varro.	Tiberij Imp. Proc. 14. à morte Aug. 10. & 11.	Herodis Antipæ, & Philippi 27. & 28.	Christi 29.	
201.	70.	25.	Cn. Cornel. Lentulus Isauricus. M. Asinius Agrippa.	Tiberij Imp. Proc. 15. à morte Aug. 11. & 12.	Herodis Antipæ, & Philippi 28. & 29. *Gratus Romam repetit, in Iudæa exactis annis XI. cui deinde Pontius Pilatus successor missus est*. Ita Ioseph. lib. 18. cap. 8.	Christi 30. Ioannes anno 15. Tiberij cœpit prædicare baptismum pœnitentiæ.	S. Lucas cap. 3. *Anno autem quintodecimo Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituraæ, & Trachonitidis regionis & Lysania Abilenæ Tetrarcha, sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem re-*

gio-

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Tetrarchæ Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Anni Christi.	Obseruatu digna.
							gionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ &c. Quod factum hoc anno.
II.	71.	26.	Cn. Cornel. Lentulus Getulicus. C. Caluisius Sabinus.	Tiberij Imp. Proconſ. 16. à morte Aug. 12. & 13.	Herodis Antipæ, & Philippi 29. & 30. Iosephus apud Euſebium lib. 1. cap. 9. refert *Pilatum à Tiberio anno regni eius 12. Iudæâ præfectum fuisse.*	Christi 31. Baptizatur expleto anno trigesimo, die 6. Ianuarij, & incipit primus annus prædicationis.	S. Lucas cap. 3. *Factum autem est, cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato.... Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta.* D. Ignatius epist. ad Trallian. *Et expletis tribus annorum decadibus verè baptizatus est à Ioanne.* Factum id 6. Ian. æra 26. anno Iuliano 71. Olymp. 201. anno 2. cum Tiberius annum 16. Proconſularis Imperij ageret, qui annus idem est cum 12. à morte Augusti; vnde Tertullianus nullatenùs
III.	72.	27.	M. Licinius Crassus. L. Calpurnius Piso.	Tiberij Imp. Proconſ. 17. à morte Aug. 13. & 14.	Herodis Antipæ, & Philippi 30. & 31.	Christi 32. prædicationis eius 2.	contra Euangelium ſententiæ, dum annos Tiberij computando à morte Augusti, anno 12. Tiberij baptiſmum Christi collocat.
IV.	73.	28.	Ap. Iunius Silanus. P. Silius Nerua.	Tiberij Imp. Proconſ. 18. à morte Aug. 14. & 15.	Herodis Antipæ, & Philippi 31. & 32.	Christi 33. prædicationis eius 3.	
202.	74.	29.	C. Rubellius Geminus. C. Fufius Geminus. Suffecti Kal. Iul. A. Plautius. L. Nonius Aſprenas.	Tiberij Imp. Proconſ. 19. à morte Aug. 15. & 16.	Herodis Antipæ, & Philippi 32. & 33.	Christi 34. quo & obijt duobus Geminis Coſſ. cum vixiſſet annos 33. menſes 3.	Tertullianus lib. contra Iudæos; *Christi paſſio perfecta est sub Tiberio Cæsare, Conſulibus Rubellio Gemino & Fufio Gemino, menſe Martio, temporibus Paſchæ, die VIII. Kal. Aprilim.* Lactantius lib. 4. Institut. cap. 10. Christus crucifixus est *Tiberij anno 15. Geminis Coſſ.* Et libro de Mortibus perſecutorum; *Post diem X. Kalendarum Aprilis duobus Geminis Coſſ.* Sulpitius Se-
II.	75.	30.	M. Vinicius. L. Caſſius Longinus. Suffecti Kal. Iul.	Tiberij Imp. Proconſ. 20. à morte Aug. 16. & 17.	Herodis Antipæ, & Philippi 33. & 34.	Christi 35.	

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Tetrarchæ Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Anni Christi.	Obseruatione digna.
			C. Cassius Longinus. L. Neuius Surdinus.				Seuerus lib. 2. cap. 40. *Dominus crucifixus est Fusio Gemino & Rubellio Gemino Coss.* D. Augustinus lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 54. *Mortuus est Christus duobus Geminis Coss.*
III.	76.	31.	Ti. Aug. V. L. Ælius Seianus. Suffecti VII. Idus Maij. Faustus Cornel. Sulla. Sextidius Catullinus. Suffectus Kal. Iul. L. Fulcinius Trio. Suff. Kal. Oct. P. Memmius Regulus.	Tiberij Imp. Proconf. 21. à morte Aug. 17. & 18. Seianus hoc anno, postquam Memmius Regulus suffectus erat, iussu Tiberij occiditur.	Herodis Antipæ, & Philippi 34. & 35.	Christi 36.	*VIII. Kal. Aprilis*. Fasti Idatij: *His Coss.* (Rufo & Rubellio) *passus est Christus die X. Kal. April. & resurrexit VIII. Kal. eiusdem*. Victor Aquitanus: *Crucifixio Christi duobus Geminis Rufo & Rubellione*. Ita quoquè procemium antiquissimi Catalogi tempore Liberij Papæ conscripti, Auctarium Chronici S. Prosperi, & alia antiquitatis monimenta. Quibus accedit M. S. Cod. Bibliothecæ Vat. ex Africano scriptore antiquissimo referens Imperij Romanorum vsque ad Saluatoris resurrectionem esse annos 74. Ab anno enim 1. Iuliano, à quo Africanus initium sumit, totidem anni intercedunt.
IV.	77.	32.	C. Domitius Ahenobardus. M. Furius Camillus Scribonianus. Suffect. Kal. Iul. A. Vitellius.	Tiberij Imp. Proconf. 22. à morte Aug. 18. & 19.	Herodis Antipæ, & Philippi 35. & 36.	Christi 37. Baronius in hunc annum, quem 34. æræ vulgaris credidit, refert mortem Christi Aenobarbo, & Scriboniano Coss.	Phlegon lib. 13. scripsisse fertur: *Quarto autem anno 202. Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis facta. Dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, vt stellæ in cœlo visæ sint; terraque motus in Bithynia Nicenæ Vrbis mul-*

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Tetrarchæ Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Anni Christi.	Obseruatu digna.
203.	78.	33.	Ser. Sulpitius Galba. L. Sulla Felix.	Tiberij Imp. Proconſ. 23. à morte Aug. 19. & 20.	Herodis Antipæ, & Philippi 36. & 37.	Chriſti 38. hoc anno ponit Labbeus mortem Chriſti.	*multas ædes ſubuertit.* Euſebius in Chronico citat hoc Phlegontis teſtimonium pro morte Chriſti, quo tempore iuxta Euangelium Matth. cap. 27. *à ſexta horâ tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vſque ad horam nonam.* Et prout habet S. Lucas cap. 23. *obſcuratus eſt Sol:* vel vt refert Dionyſius epiſt. ad Theophanem: *Sol horribiliter ſubeunte Luna obſcuratus eſt.* Ex quibus concludit Labbeus, Chriſtum mortuum hora 9. anno vulgari 33. In quo tamen vir ille à Phlegontis teſtimonio deflectit, cum iuxta Phlegontem id acciderit anno 4. Olympiadis 202. qui annus cum æra vulgari 32. concurrit, non cum æra 33.
II.	79.	34.	Paullus Fabins Perſicus. L. Vitellius.	Tiberij Imp. Proconſ. 24. à morte Aug. 20. & 21.	Herodis Antipæ 37. & 38. Philippi vltimus, quo obijt.	Chriſti 39.	Ioſephus lib. 18. cap. 6. *Philippus Herodis frater diem ſuum obijt anno Tiberij Principatus 20. quum ipſe præfuiſſet 37. annis Trachonitidi, & Gaulanitidi, ac Batanææ.*

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Tetrarchæ Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Anni Christi.	Obseruatu digna.
III.	80.	35.	C. Cestius Gallus. M. Seruilius Nonianus.	Tiberij Imp. Procons. 25. à morte Aug. 21. & 22.	Herodis Antipæ 38. & 39.	Christi 40.	
IV.	81.	36.	Q. Plautius Plautianus. Sex. Papirius Allenius.	Tiberij Imp. Proconf. 26. a morte Aug. 22. & 23.	Herodis Antipæ 39. & 40. Pilatus decem annis exactis in Iudæa, quum necesse haberet Vitellio parere, ad Vrbem iter suscepit, quò priusquam perueniret, vita excessit Tiberius. Ita Ioseph, lib. 18. cap. 5.	Christi 41.	
204.	82.	37.	Cn. Acerronius Proculus. C. Pontius Nigrinus.	Tiberius moritur die 16. Martij, postquàm regnasset à morte Augusti annos 22: menses 6. dies 26. à quo autem consors Imperij factus est, annos 26. & sex menses; eique succedit Caligula.	Herodis Antipæ 40. & 41. Agrippa constituitur Rex à Caio Tiberij successore, & in Iudæam Marcellus Præses mittitur.	Christi 42.	Clemens Alexandrinus libro 1. Stromatum versus finem, cum Tiberio tribuisset annos 22. & aliquot menses, *Quidam*, inquit, *Imperatorum tempora sic describunt .... Tiberius annis 26. mēsibus 6. diebus 19.* Quem secundum computum sequi potuit S. Lucas, dum scripsit: *Anno 15. Tiberij verbum Domini factum est super Ioannem Baptistam.*

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Reges Iudęorum iuxta Iosephum Hebræum.	Anni Christi.	Obseruatu digna
II.	83.	38.	M. Aquillius Iulianus. P. Nonius Asprenas.	Caij Caligulæ 1. & 2.	Herodis Antipæ 41. & 42. Agrippæ Regis 2.	Christi 43.	Iosephus lib. 18. cap. 8. *Altero deinde anno Principatus Caij Cæsaris Agrippa petijt veniam nauigandi in suum regnum ordinandi eius gratia .... Quod vbi Imperator annuit, præter omnium spem Rex apparuit.*
III.	84.	39.	Caius Augustus II. L. Apronius Cæsianus. Suff. Kal. Feb. M. Sanguinius Maximus II. Suff. Kal. Iul. Cn. Domitius Corbulo.	Caij Caligulæ 2. & 3.	Herodes perpetuo damnatur exilio apud Lugdunum Galliæ Vrbem, fuga tamen elapsus in Hispaniam secessit. Agrippæ Regis 3.	Christi 44.	Iosephus lib. 18. cap. 9. Caius Cæsar *ademptam Herodi Tetrarchiam ad Agrippæ regnum adiecit. ... Herodem verò perpetuo damnauit exilio apud Lugdunum Vrbem Galliæ.* Ita ibi Iosephus, qui lib. 2. de bello Iudaico cap. 8. refert Herodem venisse *ad Caium, à quo ob auaritiam vehementer increpitus, ad Hispaniam fugit. Atque ita quidem Herodes in Hispania peregrinante secum etiam vxore decessit.*
IV.	85.	40.	C. Augustus III. solus, eiq; suffecti M. Cocceius Nerua. L. Gellius Publicola.	Caij Caligulæ 3. & 4.	Agrippæ Regis 4. quo Romæ cum Caio versatus, ab ipso & Herodis Tetrarchiam obtinet.	Christi 45.	Herodes itaque licèt exilio damnatus esset apud Lugdunum Galliæ, non tamen in Gallias profectus est, sed in Hispaniā aufugit, ibique peregrinando obijt, diuersus omnino ab Herode Palæstino, cuius Dio meminit Consulatu Arruntij, & Lepidi, quo Viennam Galliæ in exilium missus est. Hic enim fuit Herodes Archelaus Rex Iudeæ, ille autem fuit Herodes Tetrarcha Galilææ.

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni ante æram vulg.	Consules iuxta Dionem.	Imperatores iuxta Scriptores Latinos.	Reges Iudæorum iuxta Iosephum Hebræum.	Anni Christi.	Obseruatu digna.
205.	86.	41.	Caius Augustus IV. eique suffecti Cn. Sentius Saturninus. Pomponius Secundus.	Caius Caligula interimitur, eique succedit Claudius.	Agrippæ Regis 5. Agrippa à Claudio confirmatur, & Iudæa ac Samaria eius ditioni additis, Hierosolymam rediijt.	Christi 46.	Caius Caligula occiditur nono Kal. Februarias, cum *vixisset annos XXIX. Imperauit triennio & 10. mensibus, diebusque VIII.* vt habet Suetonius in Caligula cap. 59.
II.	87.	42.	Ti. Claudius Aug. II. C. Cecina Largus.	Claudij 1. & 2.	Agrippæ Regis 6.	Christi 47.	
III.	88.	43.	Ti. Claudius Aug. III. L. Vitellius II.	Claudij 2. & 3.	Agrippæ Regis 7. quo & obijt, ac prætermisso ob iuuentutem Agrippæ filio Romæ commorante, Cæsar Præsidem Iudææ totiusq; Regni misit Cuspium Fadum, sicq; Iudæa deinceps contributa est Syriæ, ac proprios Reges habere desijt.	Christi 48. quo Petrus Romam venit, quidquid nonnulli recentiores de hoc primo Petri in Vrbem aduentu dubitare cœperint.	Iosephus lib. 19. cap. vlt. Agrippa occubuit, *annum natus quartum supra quinquagesimum, postquàm regnasset per septennium; quatuor enim annos sub Caio Cæsare regnauit. primum in Philippi Tetrarchia per triennium, cui quarto demum anno accessit Herodis Tetrarchia. Tribus insuper annis sub Claudio Cæsare in Iudæa quoque, & Samaria, ac Cæsarea regnauit.*

DIS-

DISSERTATIO SECVNDA DE CHRONOTAXI ROM. PONTIFICVM.

1. *Difficile est, defectu monimentorum Chronotaxim antiquorum Pontificum stabilire. Vnde in prima Antiquitatis illustratæ editione malui trium primorum seculorum Chronologiam Pontificiam cum variorum sententijs adferre, quàm propriam assignare.*

2. *In hac secunda editione mutato consilio placuit, nonnullorum Pontificum Chronotaxim ex ijs scriptis, quæ nobis hac de re supersunt, eruere, & ad illam cæterorum tempora meliori modo, quo fieri potuit, accommodare.*

EGIMVS superiori Dissertatione de Chronotaxi vitæ Christi, cuius occasione assignauimus tempus, quo Apostolorum Princeps Petrus, Christi in terris Vicarius sub Nerone occubuit. Nunc agendum est de Chronotaxi Romanorum Pontificum Petri successorum, quæ tot tantisque difficultatibus implexa est, vt tribus primis sæculis difficulter admodùm stabiliri posse videatur. Cum namque innumera antiquitatis monimenta, ex quibus Chronotaxis primorum Pontificum firmari posset, temporum iniuria perierint, cæteraque veterum testimonia, quæ hac de re supersunt, inter se plerunque differant, & contraria ac pugnantia tradant: cogimur nonnunquam in doctrina illorum temporum iudicium suspendere, & coniecturis potiùs, quàm testimonijs vti. Quæ omninò causam præbuere, quòd in prima Antiquitatis illustratæ editione maluerimus circa Chronotaxim primorum Pontificum varias antiquorum scriptorum, trium veterum Catalogorum, & plurimorum recentiorum sententias proponere, quàm propriam stabilire.

2. Cæterùm cum nonnullis visum sit, hunc scribendi modum nihil conferre ad soluendas difficultates, sed eas potiùs augere;

 pla-

placuit demùm, primorum Pontificum tempora ex ijs scriptis, quæ supersunt, eruere, & post immensos labores, ac longi temporis studia certam nonnullorum Pontificum Chronotaxím proferre, quod ad cæterorum tempora stabilienda plurimùm facere, existimo. Ad illa enim nihil rectiùs excogitari potest, quàm quorundam Pontificum tempora figere, quibus antecessorum, & successorum anni respondere debent: sic namque integra Chronotaxis propiùs ad veritatem accedet. Quarè Clementis, Alexandri, Eleutherij, Pontiani, Cornelij, Stephani, Xysti, aliorumque ætatem inuestigabo, & vbi eos sub certis Consulibus, aut Imperatoribus ad Pontificatum promotos, vel martyrio coronatos fuisse demonstrauero, certum quoquè videbitur, nullos alios Pontifices illis temporibus sedisse, & successores, antecessoresque eorum non nisi ante, vel post illorum tempora Pontificatum gessisse. Ex quibus demùm ostendam, cæterorum Chronologias à vero aberrare, quæ in assignandis horum Pontificum temporibus non concordant. Antequàm igitur Chronotaxim nostram exhibeamus, hac Dissertatione prædictorum Pontificum tempora inquiremus, ijsque stabilitis, de alijs opinionem nostram in medium adferemus, lectoribus iudicium relinquentes.

CAPVT PRIMVM.

De Pontificatu Clementis: quo tempore, & ordine sederit.

1. *Adducuntur variæ Patrum sententiæ, quarum altera ponit Clementem ordine secundum post Petrum, altera ordine tertium post Linum, altera ordine quartum, vel post Cletum, vel post Anacletum.*

2. *Primarium erroris fontem ostendimus fluxisse ex Clementis ad Iacobum epistola, qua traditur, Clementem à S. Petro ordinatum fuisse Episcopum.*

3. *At mirum videtur, præstantissimos viros ex supposititia Clementis ad Iacobum epistola tam variè errasse. Clementem à Petro ordinatum esse, in dubium vocat Epiphanius, negat verò Eusebius, aliique veteres scriptores, quibus subscribit Petauius.*

4. *Secundus erroris fons ex eo profluxit, quòd credebantur à Petro plures simul ordinati fuisse Romani Pontifices, id quod excogitatum fuit contradicentibus fidelibus, & pro quo, auctor præfationis, qui latet sub nomine Ruffini, testimonia supposititia profert.*

5. *Perplexam de pluribus simul Episcopis difficultatem nonnulli defendere nituntur ex sessione Clementis, quam non æra 68. post mortem Petri, sed æra 77. post nouem annorum Pontificatum contigisse, malè à Vendelino excogitatum est.*

6. *Quamuis autem antiqui discrepent, an consecrati sint plures simul Romani Episcopi; conueniunt tamen, quòd Clemens quartus Pontifex fuerit. Ita Irenæus, fragmentum Chronici M. S. Sanctus Prosper, fasti Siculi, Isidorus, Martyrologium Romanum, Vsuardus, Acta S. Clementis, Catalogi M. SS. & typis editi, series Pontificum in parietinis Ecclesiæ S. Pauli, S. Iuo Carnotensis, Cardinalis Deusdedit, aliique scriptores tam Orientales, quàm Occidentales.*

7. Obijt

7. *Obijt Clemens sub Traiano, idque tertio Imperij illius anno, vt habet communis traditio antiquorum, Eusebij, D. Hieronymi, S. Prosperi, auctoris Catalogi tempore Iustini Imperatoris conscripti, auctoris Chronici Alexandrini, Actorum Clementis, Martyrologiorum, & Catalogorum, quorum sententiam secutus est auctor libri Pontificalis. Porrò ex his testimonijs deducit Baronius, Clementem non fuisse secundum Pontificem.*

8. *Concinunt Acta antiquissima Clementis, quæ in varijs codicibus Vaticanis M. SS. asseruantur. Innuunt enim, Clementem initio Imperij Traiani in exilium missum, ibidemque post tres annos martyrio coronatum, quod confirmat illorum sententiam, qui Clementem tertio Traiani anno obijsse referunt.*

9. *Neque repugnat locus Clementis ex eius epistola ad Romanos, vbi agit de sacrificijs Hierosolymis oblatis.*

10. *Non enim de suo tempore ante destructum à Vespasiano templum, sed de tempore Veteris legis loquitur, vt ex verbis ipsius monstratur.*

1. VAriæ sunt circa Clementem, & alios tres primos Pontifices, qui Petro successerunt, veterum sententiæ. Alij enim Clementem statuunt ordine secundum; alij eum tertium ponunt cum antiquiore Catalogo; alij quartum à S. Petro collocant cum Hieronymo. Acquè magna est veterum dissensio de alijs tribus Pontificibus, qui post Petrum sederunt. Optatus enim Mileuitanus lib. 2. successionem quatuor primorum Romanorum Pontificum recensens, primò ponit Petrum, *cui*, inquit, *successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus &c.* Idem planè habet S. Augustinus epistola 165. *Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus.* Aliter S. Irenæus lib. 3. cap. 3. nam hoc modo Pontificum ordinem recenset: *Petrus, Linus, Anacletus, Clemens, Euaristus, Alexander, Sixtus, Telesphorus, Hyginus.*
Cap. 28. Et in primo sui Operis libro scribit, *Hyginum* fuisse *nonum Pontificem.* Quod idem habet S. Cyprianus in literis ad Pompeium Sabratensem Episcopũ affirmans, Marcionem Romam venisse sub Ep. 74.
Hygino Episcopo, qui *in Vrbe nonus fuit.* Et post Cyprianum Eusebius libro 3. Historiæ cap. 2. scribens, post Petrum primò Romanæ Ecclesiæ Episcopatum obtinuisse *Linum, & tertium Episcopum fuisse Clementem*, quod nimirùm Anacletum ponat secundum, vt constat ex cap. 3. *Cum Anacletus Romanam Ecclesiam annos 12. Episcopus administrasset, eum secutus est Clemens.* Ad quæ Photius in Bibliotheca Cod. 113. in Clemente: *Hunc Clementem alterum à Petro Vrbis Romæ Episcopum quidam autumant, alij verò quartum; Linum enim & Anacletum inter vtrumque Pontifices intercessisse, ac tertio demùm Traiani anno vitam finijsse.* Epiphanius demùm alium Hær. 27.
ordinem exhibet: *Romanorum Pontificum ista successio est*, inquit. *Petrus & Paulus, Linus, ac Cletus, Clemens, Euarestus &c. Hyginus, Pius, Anicetus.* Vbi nullam mentionem facit Anacleti. Ex quibus omnibus patet, veteres scriptores, & antiquos Pa-

Patres circa ordinem quatuor primorum Pontificum mirum in modum differre: quod qua ratione factum sit, paucis inquirendum est, & suus Clementi locus vindicandus.

2. Vt autem clariori, quo fieri poterit, modo procedamus, notandum est, ex duobus fundamentis nonnullos statuisse, Clementem fuisse secundum à Petro Episcopum. Illorum primum est, quòd putarint, Clementem à S. Petro ordinatum fuisse Episcopum, id quod ab ipso Clemente traditum existimant in epistola eius prima ad Iacobum fratrem Domini, vbi narrat, se à S. Petro morti proximo inuitum fuisse ordinatum Romanæ Ecclesiæ Episcopum: *In ipsis autem diebus, quibus vitæ finem sibi imminere præsensit, in conuentu fratrum positus, apprehensa manu mea repentè consurgens, in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba: Audite me fratres, & conserui mei, quoniam vt edoctus sum ab eo, qui misit me, Domino, & magistro meo IESV CHRISTO, dies mortis meę instat, Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis, & doctrinæ cathedram trado*. Ita epistola Clementi tributa, cui concinit Tertullianus libro de præscriptionibus hæreticorum, capite 32. *Romanorum Clementem à Petro ordinatum*. Et hoc quoquè in scholijs ad hunc locum propugnat Christianus Lupus. Liber Pontificalis in Petro: *Hic B. Clementem Episcopum consecrauit, cui & Cathedram, & Ecclesiam omnem disponendam commisit, dicens: Sicut mihi gubernandi tradita est à Domino meo IESV Christo potestas ligandi, & soluendi; ita ego tibi committo &c.* Quæ omnia desumpta sunt ex epistola præfata Clementis ad Iacobum, prout idē auctor libri Pontificalis in vita Clementis innuit. Idem planè tradit Onuphrius Panuinius in Chronico, & in notis ad Platinam, ac in manuscripta Historia Ecclesiastica, quæ in Bibliotheca Vaticana asseruatur, vbi Acta Lini his verbis incipit: *Beatissimo Petro vita functo Clemens quidem ex eius ordinatione Pontificatum Romanum suscepit*.

3. Attamen mirari lubet, præstantissimos viros in eam sententiam ire, fundamento non modò dubio, sed etiam supposititio nixos. Totius equidem erroris fons, & origo est epistola sub nomine Clementis, quæ Iacobo *fratri Domini* inscribitur, & adeò certò supposititia est, vt Ioanni Patriarchæ Antiocheno lib. de potestate generalis Concilij supra Papam, ex illa probanti, Pontificem posse deponi, Ioannes de Turrecremata responderit in secūdo Ecclesiasticę Summę volumine, cap. 101. epistolam esse supposititiam. *Reijcit omnem prorsus epistolæ huius auctoritatem*, inquit de Turrecremata Sixtus Senensis in

in Bibliotheca, lib. 2. in Clemente, *vt obscuram, & dubiam, negans omninò fieri posse, vt Clemens epistolam hanc post mortem Petri editam scripserit ad Iacobum fratrem Domini, quem Eusebius in Chronicis testatur decem ferè annis ante obitum Petri occubuisse à Iudęis lapidatum*. Eadem planè de relatione mortis Petri, quæ in duabus epistolis ad Iacobũ legitur, scribunt Cardinalis Bellarminus lib. de Scriptoribus, & Antonius Posseuinus Tomo 2. Apparatus sacri, additque Philippus Labbeus in margine epistolæ editæ Tom. 1. Conciliorum: *Hæc & sequentes quatuor epistolæ Baronio, Bellarmino, Perronio, alijsque eruditis Catholicis* νοθείας *multis nominibus suspectæ sunt*. Cum autem ruat fundamentum, ex quo antiquiores pro ordinato per Petrum Clemente argumentum sumpsere, eorum auctoritatem desuper stabilitam ruere etiam necesse est, vt non immeritò hæsitare olim cœperit S. Epiphanius hæresi 27. cap. 6. *Num Clemens impositis manibus à Petro Episcopus consecratus sit, eaque detrectata prouincia ab omni administratione vacauerit (ita enim in quadam scripsit epistola: Recedo, exeo, instet populus Dei: nonnullis videlicèt hoc modo consulens, nam in quibusdam Commentarijs ita scriptum reperimus) an potiùs secundum Apostolos ab Episcopo Cletò sit constitutus; liquidò non constat*. Vbi in primis Epiphanius ostendit, se nequaquam credere, indubitatæ fidei esse monumenta illa, quibus Clemens à Petro ordinatus dicebatur. Cum autem inter monumenta illa præcipuum esset Clementis ad Iacobum epistola, illam in primis dubiæ fidei esse censuit, & de Clementis ordinatione iudicium suum suspendit. Quod quàm rectè ab Epiphanio factum sit, colligi potest ex Eusebio Cæsareensi in Palæstina Episcopo, qui lib. 3. historiæ, cap. 2. iuxta versionem Christophorsoni, testatur: *Post Pauli & Petri martyrium primus Romanæ Ecclesiæ Episcopatum Linus sortitò capit*. Et capite 12. *Cum post Linum Anacletus Romanam Ecclesiam annos 12. Episcopus administrasset, eum secutus est Clemens*. Nec Linus itaque, nec Cletus viuente Petro Pontificatum obtinuerunt, vt testis est Eusebius. Cui concinit auctor Apostolicarum Constitutionum libro 7. capite 47. dum scribit, Clementem primum post Lini mortem fuisse consecratum Romanum Episcopum, quod malè Christianus Lupus in scholio ad caput 32. Tertulliani de præscriptionibus asserit, à nullo admitti. Sanè cum Eusebio, & auctore harum Constitutionum id innuit Prædestinatus libro 1. de hæresibus, hæresi 2. vbi Linum Episcopum vocat secundum à Petro, & habet Eutychius Patriarcha Alexandrinus disertè affirmans: *Erat verò post Petrum* Ex vers. Seldeni.

Li-

Linus Patriarcha Romæ, qua functus dignitate 12. annos obijt. Clarè verò Annalium parens Baronius ad annum 69. numero 42. ex antiqua Romanæ Ecclesiæ traditione, quæ Romano martyrologio exhibetur: *Nam*, inquit, *in Lino hæc habet: Romæ S. Lini Papæ & martyris, qui primus post S. Petrum Apostolum Romanam Ecclesiam gubernauit. Et in Cleto: Natalis B. Cleti Papæ, qui secundus post Petrum rexit Ecclesiam in persecutione Domitiani. Ac denique in Clemente: Natalis S. Clementis Papæ, qui tertius post B. Petrum Apostolum Pontificatum tenuit.* Hæc & alia Baronius, cuius opinioni consentiunt Labbeus, & plerique recentiores, inter quos hæc est eruditi Petauij sententia lib. 5. Rationarij, cap. 5. *Petro ab Nerone interfecto, Romanam Ecclesiam Linus regendam suscepit, vt antiqui scriptores asserunt, quibus suffragatur vetus Indiculus Romanorum Pontificum, Liberij tempore contextus, quem penes nos habemus. Huic annos 11. menses 2. cum diebus aliquot assignant, vt anno Christi 78. decesserit, cui Cletus deindè successit ...... ac 12. annis sedit mensibusq; 7. & martyrium fecit anno Christi 91. ac successorem habuit Clementem.*

4. Secundus erroris fons est, quia credebatur, à Petro plures simul constitutos Episcopos Romanos, quod canonibus Apostolicis repugnat, ac adeò praxi primitiuæ Ecclesiæ aduersatur, vt exinde garriant hæretici cum Salmasio, ab Apostolis Ecclesiæ præfectum fuisse Collegium Episcoporum & Presbyterorum: *Sic*, inquiunt, *Linus, Cletus, Clemens, simul ab Apostolis instituti Episcopi. Scriptores sequentis æui, dum ad suum morem respiciunt, eos, quos legebant Episcopos fuisse, sibi inuicem successisse existimabant, cum simul fuissent eiusdem ordinis, & pares.* Scio, hæreticorum hæc commenta facilè solui à Catholicis; attamen hanc de plurium Romanorum Episcoporum ordinatione sententiam fuisse cum magna fidelium contradictione excogitatam, testis est in præfatione Auctor, qui latet sub nomine Ruffini: *Quidam requirunt*, inquit, *quomodò, cum Linus & Cletus in Vrbe Roma ante Clementem hunc fuerint Episcopi, ipse Clemens ad Iacobum scribens, sibi dicat à Petro docendi cathedram traditam.* Fundamentum, quo Clemens, Cletus, & Linus simul dicuntur Episcopi consecrati fuisse, ortum est ex eadẽ superiùs ponderata Clementis ad Iacobum epistola, quam adeò contemnendam credidit Epiphanius loc. cit. vt eius authoritate neglecta, pro Vicariatu Lini, & Cleti epistolã Clementis ad Corinthios citauerit, & ex illa Clementẽ Pontificatu ad tempus cessisse collegerit, ac Linum, & Cletum simul à Petro ante Clementẽ ordinari potuis-

tuisse existimarit. *Vtrùm*, inquit, *Clemens illis adhuc superstitibus impositis manibus Episcopus à Petro consecratus, eaque detrectata prouincia ab omni administratione vacauerit (ita enim in quadam epistola scripsit: Recedo, exeo, instet populus Dei: nonnullis videlicet hoc modo consulens, nam in nonnullis commentarijs ita scriptum reperimus) an potiùs secundum Apostolos ab Episcopo Cleto sit constitutus; liquidò non constat*. Quod sub dubio de Clemente per Petrum ordinato refert Epiphanius, ex epistola ad Corinthios desumpsit, subditque, potuisse Linum & Cletum, cedente Pontificatum Clemente, ante ipsum priùs sedere. Post Epiphanium id amplexus est auctor latens sub nomine Ruffini, qui testatur in præcitata præfatione ad Clementis epistolam, se ex aliorum ratione statuere de Lino, & Cleto, additque pro exemplo illud Petri Apostolorum Principis: *Sicut inuenitur etiam apud Cæsaream fecisse, vbi cum ipse esset præsens, Zachæum tamen à se ordinatum habebat Episcopum*. Errat tamen auctor, dum scribit, Zachæum Cæsareensem Episcopũ fuisse Sancti Petri Vicarium: *Hic Zachæus fuit publicanus à Christo Domino conuersus* (inquit Christianus Lupus in caput trigesimum secundum Tertulliani de præscriptionibus) *& ipsum fuisse primum Cæsareæ in Palæstina Episcopum, affirmat etiam auctor Apostolicarum Constitutionum. Verùm Sanctus Petrus istic non fuit Episcopus, adeòque nec Zachæus fuit eius Vicarius*. Et tamen ex his fontibus paulatim irrepsit illa de plurium Episcoporum ordinatione sententia, cui nonnihil contribuerunt Catalogi, quorum antiquior Consules, sub quibus Petrus Romæ sedit, Lini temporibus immiscuit, dumque Clementem statuit secundum à Petro Episcopum, miram circa primos Pontifices confusionem induxit. Alter verò Catalogus tempore Iustini Imperatoris exaratus, quem secundum vocabimus, eosdẽ Consules retinens paulò fusiùs acta Pontificum recensuit, & in Petro addidit: *Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros decem, Episcopos tres, Diaconos septem per mensem Decembrem*. Quæ iterùm clariùs tradidit alius Catalogus tempore Caroli Magni conscriptus, in quo expressè dicitur: *Et ordinauit Episcopos tres, Linum, & Cletum, & Clementem*. Vndè Godefridus Henschenius ad secundi Catalogi verba: *Quòd tres dicatur S. Petrus ordinasse Episcopos, intelligendum pro Ecclesia Romana, vt successiuè illi præficerentur, & sunt Linus, Clemens, & Cletus*. At aliter intellexit secundum Catalogum auctor libri Pontificalis, qui ita scribit in Petro: *Hic ordinauit duos Episcopos, Linum, & Cletum; qui præsentialiter omne ministerium sacerdotale in Vrbe Ro-*

Roma populo, vel ad se venientibus exhiberent. Et infrà: *Hic Petrus beatum Clementem Episcopum consecrauit, cui & Cathedram vel Ecclesiam omnem disponendam commisit dicens: Sicut mihi gubernandi tradita est &c.* Demùm concludit: *Hic fecit ordinationes per mensem Decembrē presbyteros decem, Diaconos septem, Episcopos per diuersa loca numero tres.* Hæc verba, *per diuersa loca*, indicant, secundum Catalogum non intelligendum de Episcopis Romanis. Vnde auctor libri Pontificalis suum fundamentū ex supposititia Clementis ad Iacobū epistola desumpsit, & de Episcopatu Clementis ex testimonijs Epiphanij, & incerti cuiusdam Auctoris nomen Ruffini sibi assumentis: adeò vt post tantam horum elucidationem pateat, ex quibus fontibus hodierno tempore statuatur, Linum, Cletum, & Clementem à Petro ordinatos fuisse Romæ Episcopos, quem non tres, sed plurimos per Occidentem vniuersum ordinasse Episcopos scribit Innocentius I. & plusquàm tres ordinasse, indicauit quoquè auctor libri Pontificalis, nam à Petro sex Episcopos creatos fuisse, affirmat.

5. Cum iam monstratum sit, duo fundamenta, quibus nituntur, qui Clementem secundum à Petro Romanum Pontificem statuunt, omni prorsùs ratione destitui; videndum restat, quid dici debeat de Pontificatu Lini, & Cleti, quos veros Romanos Pontifices fuisse, nemo, qui traditionem Romanæ Ecclesiæ veneratur, negare poterit. Admittunt itaque, ante Clementem fuisse Linum, & Cletum, sed affirmant cum Epiphanio hæresi 27. cap. 6. Clementem in quadam epistola scripsisse: *Recedo, exeo, instet populus Dei.* Quibus verbis eum innuisse aiunt, quòd Pontificatu cesserit, donec post Lini, & Cleti mortem iterum compulsus fuerit Pontificatum assumere. At notanda sunt verba S. Epiphanij: *Ac fieri sanè potuit, vt primum Clemente constituto cum is defugeret, (si ita tamen contigit, quod ego opinando potiùs, quàm asseuerando dixerim) posteà Lino Cletoque mortuis, qui duodecim annorum spatio singulatim Episcopatum obtinuerunt, post Apostolorum Petri, ac Pauli necem, quæ in annum Neronis duodecimum incurrit, tum demùm Pontificatum capessere sit compulsus.* Ex quibus patet primò, S. Epiphanium valdè anxiè, & potiùs diuinando, quàm asseuerando hac de re locutum fuisse: asserit enim, liquidò non constare, an Petrus Clementem ordinarit, an potiùs Episcopus post Cletum sit constitutus. Secundò tam Cletum, quàm Linum duodecim sedisse annos, vt post annos viginti quatuor ab ordinatione Lini Clemens tantùm potuerit assumere Pontificatum. Quibus recentiorum sententia accedit. Ita siquidem Epi-

pha-

phanium secuti Bellarminus, Baronius, & Binius asserunt, Clementem à Petro quidem designatum Episcopum, at oblatum sibi Pontificium post obitum Petri recusasse, quoadusque Linus, & Cletus viuebant. Concordant quidem plura testimonia, sed non conueniunt de modo. Vndè id vlteriùs explicat Gottifredus Vendelinus in Diuinatione sua de Clementis, & eius epistolarum tempore, quæ edita est Tomo 1. Conciliorum, apud Philippum Labbeum: putat enim, Petrum post Claudij tempora Romam reuersum illic Linum constituisse Episcopum Consulatu Neronis & Veteris, æra vulgari 55. cumque exactis 11. annis cum mensibus 4. & diebus 12. vt etiam habent membranæ Bucherianæ, fuisse mortuũ. Hinc Petrum, cum ex partium Occidentalium itinere Romam redux esset, inuenisse Linum iam mortuũ iuxta illud Anonymi scriptoris de Certaminibus, peregrinationibus, vita, & morte Petri & Pauli: *Duodecimo Neronis anno iterum Romam rediit, vbi Linum iam mortuum inueniens, Clementem loco illius ordinauit inuitum, dignitatemque istam recusantem.* Factum hoc existimat Vendelinus anno vulgari 67. quo circa Pascha Clemens Pontificatũ assumpsit, seditque annos 9. menses vndecim, dies 12. vt habet Indiculus. Sicque anno 77. cum Romæ inter fideles orta esset magna dissensio super honore Pontificatus; ne quasi ex testamento Petri successisse videretur Clemens, & ne hæc principatus ambitio apud posteros perniciosi exempli esset, censet, eum vltrò se Pontificatu abdicasse, & post 4. dies, 16. Februarij à Clero electum fuisse Cletum. Et hæc est Vendelini illius sententia, quam probat Henschenius in notis ad suos Catalogos in Clemente. At quàm verè scripsit Labbeus, hanc esse diuinationem, & non solidum aliquod antiquitatis documentum. Si enim Clemens annis nouem Pontificatum pacificè tenuisset, quis, quæso, primorum fidelium post tot annos quæstionem instituisset circa Clementis Pontificatum? Profectò si huic rei aliquid mali exempli subesse potuisset, de eo non post nouem annos, sed initio post mortem Petri disputatum fuisset, vt antè Vendelinum credebant periti. Deinde si successio hæreditaria in subsequentium sæculorum scandalum, aut destructionem disciplinæ vergebat, vt repetito Vendelini testimonio insinuat Godefridus Henschenius; quis credet S. Petrum hoc non præuidisse, & S. Clementem ad eam suo exemplo firmandam induci potuisse? Prohibitum sanè à sacrosancto Nicæno Concilio scribunt magnus Augustinus, & in Augustini vita Possidius, ne Episcopus sibi viuenti alium successorem substitueret. Cum autem constet, sanctum Nicænum Concilium renouasse Apostolicos

S 2 Ca-

Canones, adeòque hoc iuxta illos statuisse censendum sit; quis credet, Apostolorum Principem Petrum suo exemplo Apostolicos canones euertisse, sibique substituisse successorem cum tanta fidelium oblocutione, vt post nouem annorum Pontificatum ad sedandam contentionem cedere Pontificatu coactus fuisset Clemens?

6. Quid igitur sentiendum sit de cessione Clementis, rectè colligitur ex Baronio ad annum 69. referente omnes Patres, qui quantumuis in alijs factis inter se discrepent, in hoc tamen conueniunt, quòd Clemens sit quartus Pontifex Romanus, post Petrum verò ordine tertius: ita enim D. Irenæus lib. 3. cap. 3. *Post eum* (nimirùm Petrum) *tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens*. Antiquissimum Chronici fragmentũ, quod extat in Bibliotheca Vaticana Codice 5007. Clementem quarto loco collocat; primo enim Petrum, secundo Linum, tertio Cletum, quarto Clementem ponit cum Hieronymo scribente: *Quartus post Petrum Romanus Episcopus*. S. Prosper in Chronico: *Tertius Romanæ Ecclesiæ Episcopus præfuit Clemens*. Chronicon Alexandrinum, seu quod idem est, fasti Siculi: *Clemens tertius Sedi Romanæ Ecclesiæ præsidet annis nouem*. S. Isidorus in hymno Breuiarij Toletani, quo laudes S. Clementis continentur: *Romanæ Sedis tertium Antistitem, quem Christus sibi consecrauit Martyrem*. Martyrologium Romanum ad diem 23. Nouembris: *Natalis S. Clementis Papæ, qui tertius post Beatum Petrum Apostolum Pontificatum tenuit*. Vsuardus ad eumdem diem; *Qui quartus à Beato Petro Apostolo Romanæ Ecclesiæ Pontificatum tenuit, & sub persecutione Traiani in mare præcipitatus ligata ad collum eius anchora martyrio coronatur*. Acta antiquissima Clementis in varijs M.SS. Codicibus Vaticanis reperta, & à Mombritio typis descripta; ita incipiunt: *Tertius Romanæ Ecclesiæ Episcopus præfuit Clemens*. Anastasius Bibliothecarius, & antiqui Catalogi, quorum vnus sub Iustino Imperatore, duo Corbeienses sæculo sexto & octauo, Palatino-Vaticanus tempore Caroli Magni, duo Vaticani sæculo nono conscripti sunt, omnes hunc ordinem exhibent; *Petrus, Linus, Cletus, & Clemens*: qui ordo etiam traditur in Canone Missæ secundum vetera diptycha, quæ in auctoritatem iam inde à primis sæculis recepta sunt ab Occidentali Ecclesia. Idẽ habetur in Romanorum Pontificum serie, quæ ante 500. annos depicta fuit in parietinis Ecclesiæ S. Pauli: cui concinunt S. Iuo Carnotensis in serie Romanorum Pontificum, quæ post suam Panormiam manuscripta seruatur in quingentorum annorum codice Vaticano; Cardinalis Deusdedit initio suæ canonum Collectionis ha-

hactenus ineditæ, & auctor anonymus in M.S. Chronico Romanorum Pontificum, quod in Paschali Secundo desinit. Hi enim omnes prædictum ordinem retinent: *Petrus*, *Linus*, *Cletus*, *Clemens &c.* Eundem ordinem in M.S. Chronico seruat Hugo de Sancto Victore, qui Iuonis deflorator fuit, & Gulielmus de Nangis in Chronico suo disertè affirmans: *Quartus Ecclesiæ Romanæ præfuit Clemens natione Romanus*. Et vt testium enumerationi finem imponam, Nicephorus Calistus lib. 3. Historiæ, capite 2. vbi Græcorum auctoritatem secutus Anacletum cum Cleto confundit, Clementem tamen post Petrum, Linum, & Anacletum ponit.

7. Cum itaque ex dictis satis supèrque constet, iuxta communem Occidentalium, & Orientalium Scriptorum sententiam Clementem fuisse quartum Romanum Pontificem, vel si post Petrum à Lino enumerare incipias, ordine tertium; videndum nunc est, quo anno passus sit, & Cathedram Romanam successori suo reliquerit. Ac præclara quidem hac de re extat antiquorum traditio: Eusebius enim lib. 3. capite 34. agens de Traiani temporibus: *Ex Romanis autem Pontificibus*, inquit, *Clemens anno supradicti Imperatoris tertio abijt è vita*. Idem planè testatur D. Hieronymus libro de Scriptoribus in Clemente: *Obijt tertio Traiani anno, & nominis eius memoriam vsque hodie Romæ extructa Ecclesia custodit*. Nec dissentit S. Prosper in Chronico integro, vbi quidem in fastis Consularibus exhibendis minùs exactus videtur, Clementem tamen tertio Traiani anno obijsse affirmat. Auctor secundi Catalogi, tempore Iustini Imperatoris conscripti, neglectis Consulibus à priori Catalogo indicatis secutus est Eusebium & Hieronymum disertè affirmans: *Obijt martyr tertio Traiani*. Auctor quoquè Chronici Alexandrini, qui sub Heraclio vixit, mortem Clementis in septimum Traiani annum reijcit; ita enim habet ad Consulatum Surani & Marcelli: *Hoc item anno Clemens Pontifex Romanus decessit*. Verùm reliqui scriptores aut solùm innuunt, Clementem sub Traiano occubuisse, aut martyrium eius tertio Traiani anno contigisse affirmant. Acta Clementis antiquissima testantur, eum *ex præcepto Traiani* in exilium missum esse. Venerabilis Beda in Martyrologio, quod M. S. extat in duobus antiquissimis M. SS. codicibus Bibliothecæ Palatino-Vaticanæ, ad IX. Kalen. Decembris: *Romæ Natale S. Clementis Episcopi, qui iubente Traiano missus in exilium trans Pontum mare*. Eadem omninò verba repetit in Martyrologio suo Rabanus Maurus, & post Rabanum Vsuardus, qui tamen alijs verbis vsus est, scribit enim: *Sub persecu-*

cutione Traiani in mare præcipitatus ligata ad collum eius anchora martyrio coronatur. Eadem indicat auctor in Catalogo Palatino-Vaticano temporibus Caroli Magni conscripto; adiungit namque, Clementem sedisse sub *Domitiano, Nerua, & Traiano*; ac si diceret, sub Domitiano cœpisse, & sub Traiano obijsse. Quod auctor libri Pontificalis disertè asserit his verbis: *Obijt Martyr Traiano III*. Et Photius in Clemente asserens à multis traditum: Τελευτῆσαι δὲ αὐτὸν τρίτῳ ἔτει Τραϊανοῦ: *obijsse ipsum tertio Traiani anno*. Ex quibus omnibus Eminentissimus Cardinalis Baronius concludit ad annum 69. numero 37. *Insuper cum Eusebius ac cæteri omnes tam Græci, quàm Latini auctores testentur, Clementem subijsse martyrium tertio anno Traiani Imperatoris, idque Hieronymus firmiter asseueret, imò & ipse liber de Romanis Pontificibus apertè doceat; qua ratione dicere possumus, Clementem sedisse statim post Petrum, cum ab eo tempore vsque ad tertium Traiani annum intercurrat triginta trium annorum spatium?*

8. Præclara est hæc Annalium parentis obseruatio, rectè enim statuit annum, quo Clemens sub Traiano passus est, vt confirmatur ex Actis ipsius Clementis, quæ in varijs codicibus Vaticanis manuscripta asseruantur, & planè antiquissima sunt. Enimuerò postquàm in illis narrasset auctor infidelium seditionem contra Clementem Romæ excitatam, dicit, quòd Mamertinus Vrbis Præfectus de ea retulit ad Neruam, & Traianum: *Et missa relatione ad Neruam pariter, & Traianum*, dixit, *Clementem hunc ad seditiosam vociferationem populi Romani impetitum, cum nihil iure possit eorum accusatio inuenire, edictis vestris nos instruite, quid agere debeamus. Tunc Imperator Traianus rescripsit, debere Clementem Episcopum aut sacrificijs consentire, aut trans Pontum mare, quod adiacet Ciuitati Chersonæ, subire exilium*. Notanda sunt Actorum verba, quibus innuitur, de Clemente relatum fuisse ad Neruam, vltimo nimirùm ipsius vitæ tempore, ipsoque mortuo Traianum respondisse, eodemque iubente Clementem missum fuisse in Chersonesum, vbi plurimos ad fidem conuertit, & post annos tres martyrium subijt: *Post autem annos tres*, inquiunt Acta, *paganis insistentibus tam inuidia Sancti relatio cucurrit ad Imperatorem Traianum, vt dicerent, ibi per Clementem innumerabilem Christianorum populum adcreuisse: & missus est dux Arfidianus nomine, qui multos Christianorum diuersis pœnis occideret*. Inter illos itaque martyrio consummatus est S. Clemens. Quod mirum in modum confirmant testimonia antiquorum, quæ ad tertium Traiani

ni annum eiusdem Pontificis martyrium referunt.

9. Restat tamen, vt obiectioni cuidam ex ipsius Clementis epistola desumptæ satisfiat: Clementem enim non Traiani, sed Vespasiani temporibus Pontificatum obtinuisse, deducit Pagius ex epistola Clementis ad Corinthios: *Patet namque*, inquit ad annum 78. *eam exaratam esse stante templo Hierosolymitano, ac durantibus eius sacrificijs: scripta itaque ante annum 71. quo templum euersum. Et hinc constat* (inquit Isaacus Vossius in epistola 2. ad Andream Riuetum scripta, & à Pearsonio in fine Vindiciarum epistolarum S. Ignatij relata) *quantùm errauerit Eusebius, qui initium Episcopatus Clementis contulit ad annum Christi 93. & quàm rectè in Chronico Damasi statuatur anno Christi 67.* Locus Clementis, qui ab his scriptoribus citatur, extat post medium epistolæ, quam Clemens Romanæ Ecclesiæ nomine ad Corinthios misit, & hic integer adferendus est, antequàm de eius sensu iudicemus: *Debemus omnia ritè, & ordine facere, quæ Dominus præstitutis temporibus peragere nos iussit, oblationes scilicet, & alia munia obire. Neque temerè, & inordinatè voluit ista fieri, sed statutis temporibus, & horis. Vbi etiam, & à quibus peragi vult, ipse excelsissima voluntate sua definiuit, vt religiosè omnia secundum eius beneplacitum adimpleta, grata, & accepta ipsius voluntati essent. Qui igitur præfinitis temporibus oblationes suas faciunt, accepti, & beati sunt, Domini enim mandata sequentes non aberrant. Summo quippè Sacerdoti sua munera tributa sunt, Sacerdotibus locus proprius assignatus est, & Leuitis sua ministeria incumbunt. Laicus præceptis laicis constringitur. Vnusquisque vestrum fratres in suo ordine, & statione manens, Deo in bona conscientia gratias agat, & cum decore intra præscriptum ministerij sui canonem se contineat. Non in omni loco, fratres, offeruntur sacrificia perpetua, & diuina, vel pro gratiarum actione, vel pro peccatis, & delictis, sed Hierosolymis tantùm: neque illic in quouis loco fit oblatio, sed in atrio templi ad altare diligenter priùs inspecto sacrificio à summo Sacerdote, & prædictis ministris. Qui igitur præter id, quod voluntati eius consentaneum est, aliquid admittunt, mortis supplicio puniuntur.* Hactenus Clemens Romanus, qui vt Corinthios oblationes, & munia ritè & ordine obire doceat, oblationes, & sacrificia veteris Testamenti in exemplum adducit; dicitque, non in omni loco, sed Hierosolymis tantùm ex mandato Dei debuisse sacrificia perpetua, & diuina offerri, idque in atrio templi ad altare, diligenter priùs inspecto sacrificio à summo Sacerdote.

10.

10. Atque hunc esse Clementis Romani sensum, non verò quòd etiam tunc, dum scribebat, hæc sacrificia Hierosolymis offerebantur, vel ex eo patet, quòd vbiq; agat de sacrificijs ritè & ordine iuxta voluntatem Dei oblatis: quod certè Clementis Romani temporibus, etiamsi sub Vespasiano vixisse diceretur, locum habere non potuit: Iamdudum enim cessauerat lex illa vetus; nouaque, vt Clemens statim subiungit, per Apostolos toto terrarum Orbe prædicata, iuge sacrificium omni loco, qui Deo consecratus erat, offerri poterat, sicque vmbram veterum sacrificiorum fugarat veritas Euangelij, quę neminem sub pœna mortis ad legalium obseruantiam obstringebat. Non loquitur igitur Clemens de sacrificijs Hierosolymis suò tempore oblatis, adeòque ex verbis eius deduci non potest, epistolam ipsius scriptam esse ante euersionem Hierosolymæ, sed neę quidquam in ea reperitur, quod Pontificatum Clementis annum 70. præcessisse ostendat.

CAPVT SECVNDVM.

De Pontificatu Anacleti: & an diuersus fuerit à Cleto?

1. Referuntur tres diuersæ sententiæ circa Cletum & Anacletum, quarum prima vnum ex duobus Pontificibus conficit, secunda duos Pontifices statuit, tertia tempore quidem diuersos Pontificatus, vnum tamen Pontificem agnoscit. Pro prima sententia facit Irenæus, qui solius Anacleti meminit.

2. Irenæum secutus est D. Cyprianus, vt patet ex verbis Irenæi, quæ Cyprianus transcripsit.

3. Horum sententiæ concinunt Eusebius, & D. Hieronymus, quorum primus Anacleti solummodò meminit, secundus Anacleti in Cleti nomen mutauit.

4. Accedunt D. Optatus, & D. Augustinus, qui solum Anacletum agnoscunt.

5. S. Prosper admitit Cletum, omisso Anacleto, & vnum è duobus omittendum esse putarunt Victor Tunonensis, Idacius, & Marcellinus Comes, qui ideò Hilarum, quem alij quadragesimum septimum vocant, quadragesimum quartum fuisse affirmant, quia cum Cleto vel Anacleto alios duos omittunt.

6. Eiusdem sententiæ fuerunt Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, & Georgius Syncellus, solius Anacleti mentionem facientes, prout fit in Canone Missalis Francorum, quamuis in Canone Romano Cletus nominetur, cuius quoquè meminerunt duo antiqui Catalogi Corbeienses.

7. Adducuntur demùm Acta S. Alexandri, Martyrologium Bedæ, & Martyrologium quod Rosweydus Vetus Romanum vocat, in quibus Cletus, vel Anacletus omittitur.

8. Pro alia sententia, quæ Cletum ab Anacleto distinguit, duosque diuersos Pontifices fuisse statuit, faciunt Auctor Carminum contra Marcionem, tres antiquissimi Catalogi, & Auctor libri Pontificalis.

9. Pro eadem sententia faciunt antiqua Martyrologia Adonis Viennensis, Notkeri, Vsuardi, & aliud, quo ante plura sæcula vsa est Ecclesia Romana.

10. Fauent quoquè antiquissima Vrbis Calendaria, iuxta quæ etiamnum in præcipuis Basilicis, Cleti, & Anacleti festa diuersis temporibus celebrantur.

11. Ex his duabus sententijs orta est tertia recentiorum, qui diuersos quidem tempore Pontificatus agnoscunt, Cletum tamen, & Anacletum nonnisi diuersa vnius Pontificis nomina statuunt.

12. Expenditur tertia hæc sententia, quæ

qua infirmis fundamentis nititur, ostenditurque dubium de secundo, aut quarto loco Clementi tribuendo, ex Cleti, & Anacleti difficultate ortum non esse.

13. *Nullum de Cleto & Anacleto auctoris coaeui testimonium reperitur, & quamuis Ignatij Martyris testimonia adducantur pro Anacleto, omisso Cleto, ostenditur tamen, incertum esse, an testimonia illa Ignatio tribuenda sint, cum ex nonnullis antiquissimis Codicibus pateat, non vnam, eandemque lectionem in epistolis Ignatij reperiri.*

14. *Cum itaque ex praedictis constet, magnam esse antiquorum circa Cleti, & Anacleti Pontificatum discrepantiam, & error ex vnius Irenaei testimonio obrepsisse videatur, Ecclesiae Romanae potiùs, quàm alteri cuiquam hac de re credendum videtur.*

1. SEcunda difficultas circa successionem Romanorum Pontificum est illa, quae mouetur de Pontificatu Anacleti, quem alij vnum, eumdemque putant cum Cleto, alij diuersum existimant. Horum sententiae referendae sunt, vt prudens lector, perpensis vtriusque partis testimonijs iudicet, quaenam alteri praeferenda sit. Vtque ab illa incipiam, quae Anacletum cum Cleto confundit, audiendus in primis est D. Irenaeus, qui sub Eleutherio Papa Romam venit, & cum illis locutus est, qui Anacletum per aetatem videre potuerunt; scribit namque sanctus ille Antistes lib. 3. contra Valentinum, cap. 3. *A gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romae fundatae, & constitutae Ecclesiae .... Lino Episcopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt .... Succedit autem ei Anacletus: post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens .... Clementi autem succedit Euaristus, & Euaristo Alexander; ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus, & ab hoc Telesphorus ... ac deinceps Hyginus, pòst Pius, post quem Anicetus. Cum autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Episcopatū ab Apostolis habet Eleutherius.* Hęc D. Irenęus, qui dum Anacleti meminit, nullam Cleti mentionem fecit, Cletum, vel vnum, eumdemque cum Anacleto credidit, vel nunquam Apostolicam cathedram obtinuisse putauit: hoc vltimum autem existimasse D. Irenaeum, ex eo colligitur, quòd enumeratis caeteris Pontificibus, qui vsque ad sua tempora Romae sederant, subiunxerit: *Nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius.* His enim verbis indicat D. Irenaeus, se Cletum non agnouisse inter Petri successores, cum aliàs Eleutherius fuisset ordine decimus tertius.

2. D. Irenęum subsequutus est tertio Christi saeculo gloriosus fidei athleta, & magnus Carthaginiensis Antistes Cyprianus, qui epistola 74. ad Pompeium agens de haereticis, quos Apostoli tamquam *Antichristos* damnauerant: *Et hoc*, inquit, *cum nondum haereticae pestes acriores prorupissent, necdum quoquè Marcion de Ponto emersisset, cuius magister Cerdon sub Hygino tunc Episcopo, qui*

in Vrbe nonus fuit, Romam venit. Hoc enim loco cum Hyginum dicat fuisse nonum Episcopum, ipse quoquè Cletum cum Anacleto confundere, vel alterutrum omittere debuit; nam si illos pro duobus Pontificibus habuisset, Hyginum decimum in Vrbe Episcopum fuisse scripsisset. Quòd si quisquã inquirat, quemnam è duobus, Cletum, an Anacletum Cyprianus agnouerit; facilè inueniet, eum cum Irenæo solum Anacletum agnouisse: quod namque suprà de Cerdone dixit, desumpsisse videtur ex ipso Irenæo, qui lib. 3. cap. 4. scripsit: *Cerdon verò, qui Marcionem antecessit, ipse quoquè sub Hygino, qui nonus erat Episcopus, cum ad Ecclesiam venisset &c.* Ita Irenæus apud Eusebium lib. 4. capite 11. ex cuius testimonio manifestum est, errorem irrepsisse in vulgata Irenæi exemplaria, vbi non *nonus*, sed *octauus* legitur, quem errorem corrigere licet ex alio Irenæi loco lib. 1. capite 28. vbi habet: *Cerdon autem quidam ab ijs, qui sunt erga Simonem, occasionem accipiens, cum venisset Romam sub Hygino, qui nonum locum Episcopatus per successionem ab Apostolis habuit.* Vbi D. Irenæus à Petro successionem Romanorum Episcoporum incipiens Cletum omisit, & Hyginum nono loco posuit; cumque Cyprianus hunc Irenæi locum ferè descripserit, nullum omninò dubium esse potest, quin Hyginum nono loco constituens, Cletum quoquè & ipse omiserit. Cypriani autem & Irenæi sententiam sequitur Epiphanius, qui in hæresi 41. Cerdonianorum ita scribit: Οὗτος τοίνυν ὁ Κέρδων ἐν χρόνοις Ὑγίνου γέγονεν ἐπισκόπου, τοῦ ἐνάτου κλῆρον ἄγοντος ἀπὸ τῆς τῶν περὶ Ἰάκωβον καὶ Πέτρον καὶ Παῦλον ἀποστόλων διαδοχῆς. *Igitur Cerdo Hygini Papæ temporibus, qui in Apostolorum Iacobi & Petri, Paulique successione nonum locum tenebat.* Atque hæc Epiphanius Constantiensis in Cypro Episcopus, qui nonum locum Hygino tribuens Anacletum omisit, vt patet ex alio eius loco hæresi 27. Carpocratianorum, vbi: Ὅμως ἡ τῶν ἐν Ῥώμῃ ἐπισκόπων διαδοχὴ ταύτην ἔχει τὴν ἀκολουθίαν. Πέτρος καὶ Παῦλος, Λῖνος καὶ Κλῆτος, Κλήμης, Εὐάρεστος, Ἀλέξανδρος, Ξύστος, Τελέσφορος, Εὐάρεστος, Ὑγῖνος, Πῖος, Ἀνίκητος. *Romanorum Pontificum ista successio est: Petrus & Paulus, Linus, ac Cletus, Clemens, Euaristus, Alexander, Xystus, Telesphorus, Euaristus, Hyginus, Pius, Anicetus.* Ita Epiphanius, qui nescio quo fundamento Euaristum bis nominans, Anacletum tamen omisit.

3. Horum Patrum sententiæ concordant Eusebius, & D. Hieronymus, dum in Chronico scribunt: *Romanæ Ecclesiæ Episcopatum VIII. suscepit Hyginus.* Eusebius enim in Chronico numerare incipit Episcopos Romanos post Petrum, adeòque primo

mo loco ponit Linum, qui tamen secundus est, si Petrum comprehendas: vndè qui Irenæo, Cypriano, ac Epiphanio, incipientibus numerare à Petro fuit ordine nonus, Eusebio, & D. Hieronymo incipientibus numerare à Lino est ordine octauus. Quòd autem in Chronico Eusebij numerentur Episcopi Romani à Lino, constat ex his eius verbis: *Post Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit Linus*. Et infrà: *Romanę Ecclesiæ II. Episcopus constituitur Cletus ...... Romanæ Ecclesiæ Episcopus III. præfuit Clemens .... Romanæ Ecclesiæ Episcopatum IV. suscepit Euaristus*. Ex quibus Chronici verbis patet, Eusebium enumerasse Episcopos à Lino, qui post Petrum cathedram obtinuit, & Cletum cum Anacleto confudisse, & ex his duobus vnum Pontificem confecisse. Quamuis autē Cleti nomen in Chronico reperiatur, notandum tamen est, in historia Eusebij haberi nomen Anacleti, & non Cleti: sic enim legitur lib. 3. cap. 13. *Linus Anencleto regendam tradidit Ecclesiam*. Quæ cum ita in omnibus Græcis Eusebij exemplaribus reperiantur, nullum mihi dubium est, quin olim in Græco Eusebij Chronico Anacleti nomen extiterit, illudque in Cleti nomen mutatum sit à S. Hieronymo, qui Eusebij Chronicon ex Græco Latinum fecit, & in eo nonnulla mutauit, adiunxitq; vt ipse Hieronymus fidem facit in præfatione his verbis: *A Troia, nimirum destructa, vsque ad vicesimum Constantini annum nunc addita, nunc mixta sunt plurima*.

4. D. Hieronymum ferè secuti sunt duo præstantissimi Africanæ Ecclesiæ scriptores D. Optatus Mileuitanus, & S. Augustinus Hipponensis Episcopus: prior enim lib. 2. contra Parmenianum, hanc Romanorum Pontificum successionem constituit: *Sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus &c.* Augustinus verò epist. 165. ad Generosum ita successionem incipit: *Ordo Episcoporum sibi succedentium .... à Petro. Petro successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, Euaristo Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Telesphorus, Telesphoro Iginus &c.* Vbi & videre est, Higinum fuisse nonum in Vrbe Episcopum, & Anacletum, non verò Cletum, notum fuisse magno Augustino, & Sancto Optato, quorum hic sub Siricio, ille sub Anastasio ad finem quarti sæculi scripserunt.

5. A SS. Augustino, & Optato non differt S. Prosper, nisi quòd loco Anacleti Cletum commemoret, quem inter Linum, & Clementem medium posuit: *Post Petrum*, inquit S. Prosper in Chronico, *primus Romanam Ecclesiam tenuit Linus .... Romana Ecclesiæ secundus constituitur*

Episcopus Cletus .... Romæ tertius Ecclesiæ præfuit Episcopus Clemens .... Romanæ Ecclesiæ quartus Episcopus præest Euaristus. Omitto cæteros Pontifices, quos excepto Marcello refert omnes vſque ad tempora Leonis Magni, ſub quo ſcripſit, & quem 43. Romanum Pontificem vocauit: *Quadrageſimus tertius*, inquit, *Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur Leo.* Eundem planè numerum ſeruauit Victor Tunnonenſis in Chronico: *Leo 43. Papa creatus, vixit annos 21.* Et de Hilaro Leonis ſucceſſore: *Hilarus 44. Pontifex factus vixit annos ſex.* Quod idem legitur in Chronicis Idacij incertæ nobis Ciuitatis in Hiſpania Epiſcopi, & Marcellini Comitis Illyriciani; primus enim expreſsè tradit: *Romanæ Eccleſiæ 44. præſidet Epiſcopus Hilarus*; alter verò, nimirùm Marcellinus Comes: *Romanæ Eccleſiæ Hilarus 44. Pontifex factus vixit annos VI.* Ex quibus omnibus liquidò apparet, communem fuiſſe illis temporibus Chronologorum ſententiam, vel Cletum, vel Anacletum ex Catalogo Romanorum Pontificum expungendum eſſe. Quòd ſi quiſquam petat, quemnam è duobus retinendum duxerint? facilè colligitur, à S. Proſpero, qui integrum Chronicon concinnauit, Cletum ſeruatum fuiſſe: à Victore Tunnonenſi, & Marcellino Comite, qui Hieronymi Chronicon proſecuti ſunt, Anacletum inter Romanos Pontifices numeratum non fuiſſe, indèque factum, quòd Hilarus Papa, qui iuxta antiquos Catalogos eſt quadrageſimus ſeptimus, iuxta iſtorum ſcriptorum ſententiam tantùm ſit quadrageſimus quartus. Cum enim Hieronymus Pontifices enumerare incipiat à Lino, quem primum poſt Petrum nominat, & Anacletum, ac Marcellum omittat, Hilarus vnus ex Marcelli ſucceſſoribus, qui iuxta Catalogos Petrum, Anacletum, & Marcellum in ſerie Pontificum comprehendentes eſt ordine quadrageſimus ſeptimus, debet iuxta aſſeclas Hieronymi eſſe ordine quadrageſimus quartus.

6. Concinunt hiſce antiquorum teſtimonijs complures ſcriptores Græci. Nicephorus enim Patriarcha Conſtantinopolitanus in Chronographia compendiaria ponit primò Petrum, ſecundò Linum, tertiò Anacletum, quartò Clementem, & quinto loco Euariſtum, nullamque Cleti mentionem facit. Eodem modo Georgius Monachus, Taraſij Patriarchę Syncellus, qui anno 792. ſcripſit, primum Petri ſucceſſorem nominat Linum, *poſt quem*, inquit, *fuit Epiſcopus Anacletus*. Aſſeritque, ei ſucceſſiſſe quartum Romanæ Eccleſiæ Pontificem Clementem, quintum Euariſtum, ita vt nullam quoquè Cleti mentionem faciat, quem licèt Canon Romanus in miſſa exhibeat, Canon tamen Miſſalis Francorum

in Codice M.S. Bibliothecæ Alexandrinæ omninò prætermittit. Ita enim in Codice illo vncialibus, & quadratis literis ante 900. annos conscripto legitur circa finem: *Communicantes, sed & memoriam venerantes ..... Lini, Anacleti, Clementis, Systi, Cornili, Cypriani, Laurenti, Chrisogoni, Ioannis, & Pauli, Cosmæ, & Damiani, Helarij, Martini, & omnium Sanctorum tuorum.* Vbi videre est, quòd loco Cleti mentio fiat Anacleti, quamuis in duobus antiquissimis Catalogis Corbeiensibus omisso Anacleto Cletus dumtaxat inter Pontifices numeretur. Hoc enim ordine in Catalogo Corbeiensi tempore Vigilij Papæ conscripto Romani Pontifices exhibentur: *Petrus, Linus, Cletus, Clemens, Euaristus.* Et in alio Corbeiensi tempore Ioannis, Sergij primi successoris, concinnato: *Linus, Cletus, Clemens, Euaristus.* Et ad Pontificatum Gregorij Magni addit: *Fiunt vsque hic 63.* quòd nimirùm à Lino incipiens Anacletum & Marcellinum omittat, sicque Gregorius sexagesimus tertius Pontifex existat, qui iuxta alios, qui Petrum, Anacletum, & Marcellinum in serie Romanorum Pontificum numerant sexagesimus sextus dicendus erat.

17. Vtque testimonijs pro ea sententia facientibus, quæ vel Cletum, vel Anacletum de serie Romanorum Episcoporum expungit, finem imponam, adducenda sunt B. Alexandri Acta, quæ olim in Romana, alijsque Occidentis Ecclesijs publicè legi consueuerunt, & ita incipiunt: *Quinto loco à B. Petro Apostolo Romanæ Vrbis Cathedram sedit Alexander.* Ita in pluribus M.SS. Codicibus Vaticanis Acta istius Pontificis, ex quibus manifestum fit, eorumdem compilatorem vel Cletum, vel Anacletum omisisse. Enimuerò si vtrumque inter Pontifices numerasset, Alexander non quintus sed sextus Romanus Pontifex dicendus esset. Post Petrum enim primo loco Linus, 2. Cletus, 3. Clemens, 4. Anacletus, 5. Euaristus, & 6. Alexander sedisset. Hunc eumdem ordinem ante 1000. annos secutus videtur Venerabilis Beda, in cuius M.SS. Martyrologijs ad VI. Kal. Maij reperitur: *Natale S. Cleti Papæ & Martyris*; nulla tamen mentio fit Anacleti, cum è contra in antiquissimo Martyrologio, quod Rosvveidus vetus Romanum credidit, ad VI. Kal. Maij habeatur: *Romæ Anacleti Papæ & Martyris*, nullaque in eo Cleti mentio fiat. Atque hactenus quidem de antiquorum testimonijs, iuxta quæ vel Cletus, vel Anacletus in serie Romanorum Pontificum omittendus est.

18. Nunc proponenda est aliorum sententia, quæ Cletum, vel Anacletum inter successores Petri enumerat, eósque diuersos Pontifices fuisse affirmat. Ac primus quidem illorum est Auctor carmi-

minum contra Marcionem, libro enim 3. ita scribit:

Ex quibus, electum, magnum, plebique probatum
Hac Cathedra, Petrus qua sederat ipse, locatum
Maxima Roma Linum, primum considere iussit:
Post quem Cletus & ipse gregem suscepit Ouilis.
Huius Anacletus successor sorte locatus:
Quem sequitur Clemens.

Sic Auctor ille, qui finem facit cum Aniceto, sub quo Marcion Romam venit. Cumque contra Marcionis discipulos hoc carminum opus conscripserit, circa Tertulliani tempora, quibus Marcionitarum hæresis serpebat, eum vixisse, adeò exploratum nonnullis fuit, vt Tertullianum ipsum horum carminum auctorem fecerint, & Pamelius ea inter certa, & indubitata Tertulliani opera ediderit. Hunc auctorem subsecutus est antiquus scriptor, qui Catalogum Romanorum Pontificum sub Liberio Papa concinnauit. Ita enim habet: *IV. Cletus annis 6. mensibus 2. diebus 7. Fuit temporibus Vespasiani, & Titi, & initio Domitiani; à Consulibus Vespasiano VIII. & Domitiano VI. vsque Domitiano IX. & Rufo. V. Anacletus annis 12. mensibus 10. diebus 3. Fuit temporibus Domitiani à Consulibus Domitiano X. & Sabino vsque Domitiano XVII. & Clemente.* Eadem hæc habet auctor secundi Catalogi, qui sub Iustino Imperatore scripsit, sed ordine parùm mutato: vbi enim auctor prioris Catalogi refert tertio loco Clementem, quarto Cletum, & quinto Anacletum; ibi auctor secundi Catalogi ponit tertio loco Cletum, quarto Clementem, & quinto Anacletum, additque: *quòd Cletus fuerit Romanus de Regione Vico Patricij, patre Aemiliano natus; Anacletus verò natione Græcus de Athenis ex patre Antiocho.* Quæ omnia iisdem verbis exhibet Catalogus Palatino-Vaticanus tempore Caroli Magni concinnatus, in illo enim hæc leguntur: *III. Cletus natione Romanus de Regione Vico Patricij, patre Aemiliano. Sedit annos 12. mensem 1. dies 11.* Et post Clementem: *V. Anacletus natione Græcus de Athenis, ex patre Antiocho. Sedit annos 9. mens. 2. dies 10.* Quibus consentit auctor, qui sæculo septimo librum Pontificalem ex prædictis Catalogis, aliisque monimentis Ecclesiasticis composuit, vt patet ex his eius verbis: *III. Cletus natione Romanus de Regione Vico Patricij. Sedit annos 12. mensem 1. dies 11. Fuit autem temporibus Vespasiani, & Titi à Consulatu Vespasiani VII. & Domitiani V. vsque ad Domitianum IX. & Rufum Consules.* Et post Clementem: *V. Anacletus natione Græcus de Athenis, ex patre Antiocho. Sedit annos 9. menses 2. dies 10. Fuit autem*

tem temporibus Domitiani & Sabini, vsque Domitianum XVII. & Clementem Coss. Hæc enim omnia ex Catalogorum verbis superiùs relatis desumpta esse, nemo non videt.

9. Catalogis accedunt Martyrologia antiqua, quæ inter Cletum & Anacletum quoquè distinguunt. In vetustiori Occidentis Martyrologio Lucæ edito anno 1668. à Francisco Maria Florentinio, habetur ad 10. Kal. Ianuarij: *Romæ natalis Sanctorum Egeni, Eleutheri, Vrbani, Corneli, Traiani, Euaristi, Metelli, Victoris, Ticiani, Cleti, Siriani, Brassilini, Niceti, Flauiani, Felicis, Pullij, Ancleti &c.* Hic mentio fit Cleti, & Ancleti, qui an ijdem sint, de quibus in præsenti quæstio instituitur, haud facilè dixerim; nullibi enim in Martyrologijs legi ad prædictum diem, memoriam Cleti, & Anacleti in Ecclesia celebratam fuisse. Habet Ado Viennensis Episcopus ad VI. Kal. Maij: *Romæ natalis S. Anacleti Papæ, qui secundus post B. Petrum cum rexisset Ecclesiam ann. 12. persecutione Domitiani martyrio coronatus est.* Et ad IV. Idus Iulij: *S. Cleti Papæ, qui Romæ sedit annos 12.* Vbi videre est, ad alios planè dies festa Cleti, & Anacleti referri. Illud insuper notandum, quòd cum Ado putet Anacletum fuisse post B. Petrum ordine secundum, Cleti tamen mentionem faciat, prout etiam fecit in Martyrologio suo Notkerus, qui ad VI. Kal. Maij habet de Anacleto: *Romæ natiuitas S. Anacleti Papæ, qui 2. post B. Petrum cum Ecclesiam rexisset annis 12. persecutione Domitiani martyrio coronatur.* Et ad III. Idus Iulij: *Romæ S. Cleti Papæ, qui sedit in Episcopatu annos 12.* Eadem habet Vsuardus, qui tamen ad VI. Kal. Maij ponit Cletum ijsdem verbis, quibus Notkerus Anacletum. Et ad III. Idus Iulij: *Romæ depositio Anacleti Papæ.* Eadem omninò habentur in antiquo Martyrologio Romano, quod manuscriptum asseruatur in Bibliotheca Vaticana sub num. 5415. alijsque. Quamobrem mirum non est, quòd in recentiori Martyrologio Romano Cletus ab Anacleto distinguatur; & sub diuersis diebus vtriusque Pontificis memoria celebretur.

10. Etenim Romana Ecclesia non recèns vtriusque Pontificis festum instituit, sed ab antiquissimis temporibus vtrumque celebrauit, vt patet ex vetustioribus Vrbis Calendarijs, quorum vnum etiamnum reperitur in Antiphonario membranaceo Basilicę Principis Apostolorum de Vrbe, quod nuper editum est à Viro Erudito Iosepho Thomasio. In illo enim ad VI. Kal. Maij legitur: *Cleti Papæ & Martyris.* Et ad III. Idus Iulij: *Anacleti Papæ & Martyris.* Eadem reperiuntur in Calendario Sacrosanctæ Basilicæ Lateranensis, & in serie Pontificum,

quæ

quæ à 500. & pluribus annis depicta est in parietinis Ecclesiæ S. Pauli extra muros, in qua post Petrum ponitur Linus, post Linum Cletus, post Cletum Clemens, post Clementem Anacletus, cuius anni Pontificatus etiamnum distinctè leguntur, quamuìs in plerisque alijs temporum diuturnitate adeò obsoleti sint, vt ampliùs legi non possint. Ex his autem, alijsque antiquis Ecclesiæ Romanæ monimentis, si quæstionem de Cleti, & Anacleti Pontificatu decidere velimus, cum Annalium parente Baronio Cletum ab Anacleto distinguemus, duosque diuersos Pontifices fuisse, & diuersis temporibus Ecclesiam Dei gubernasse dicemus: quæ Baronij sententia omnibus ferè recentioribus scriptoribus placuisse videtur.

11. Dixi *omnibus ferè recentioribus*; excipiendi enim sunt nonnulli, qui duos quidem Pontificatus agnoscunt, ex duobus tamen Pontificibus vnum eundemque efficere contendunt. Pro qua opinione nullum aliud antiquitatis monimentum adducere possunt, quàm quod ex diuersis Patrum testimonijs desumitur. Cum enim plerique Patres supracitati Cletum vocent, quem alij Anacletum nominant, & nonnisi alterutrum in serie Romanorum Pontificum collocent; deduxerunt ex illorum testimonijs, sub duobus nominibus vnum eundemque Pontificem expressum fuisse. Ita nuper Natalis Doctor Sorb. in suis Selectis historiæ Ecclesiasticæ, seculo 1. & hisce diebus V. Cl. Papebrochius in Conatu Chronico-historico ad Catalogum Pontificum pag. 217. vbi habet anamnesim de Cleto, & Anacleto, in qua rationem reddere studet suæ opinionis, quam post publicatos à V. Cl. Ioanne Mabillonio duos Catalogos Corbeienses vnius Cleti mentionem facientes, Parisijs communiter receptam fuisse refert. Dicit itaque, Cletum post Linum electum fuisse, & anno 73. cum Philosophis, quos Vespasianus suadente Musonio ex Vrbe expulit, coactum fuisse exulare, seque Clementi Pontificatum cessisse, qui sub Domitiano etiam abire compulsus necessariũ duxit, Pontificatum Cleto, à quo eum acceperat, restituere, ideòque hunc à Christianis appellari cœpisse Anacletum, vel Anencletum, quod verbum græcum est, & *Reuocatum* in sedem significat. Hæc pluribus indicat Papebrochius, qui iterum Clementem ad Vrbem redijsse, & tandem sub Traiano martyrem obijsse affirmat.

12. Verùm pace Viri Clarissimi dictum sit, quòd pro similibus factis asserendis adduci deberent certiora antiquitatis testimonia; nec solis coniecturis, aut diuinationibus innitendum sit. Clementem bis Pontificatu cessisse, bis in exilium eiectum fuisse, nulla Ecclesiasticæ historiæ monimen-

menta testantur, nulla veterum, aut recentiorum scripta comprobant. Et si ex diuersis Patrum testimonijs Cletum, vel Anacletum in serie Romanorum Pontificum referentibus argumentum pro huius difficultatis solutione desumendum esset, potiùs crederem, ex Cleto & Anacleto vnum Pontificem factum ob nominum similitudinem, quàm quòd vni Pontifici duo nomina tributa sint, & ob nominum pluralitatem duo Pontifices conflati fuerint. Referunt plures antiqui Patres, Cletum fuisse verum Pontificem; alij Anacletum in serie Romanorum Episcoporum collocant. Duo autem illi Pontifices in antiquissimis Romanæ Ecclesiæ diptychis & Catalogis reperiebantur hoc ordine: *Petrus*, *Linus*, *Cletus*, *Clemens*, *Anacletus*. Fidem huic veritati facit Canon Missæ Romanæ, in quo eo ordine reperiuntur vsque ad Clementem, adeòque scriptores antiqui, qui loco Cleti Anacletum posuerunt, nominum similitudine decepti fuerunt, sicque Anacletum ante Clementem, qui post Clementem poni debuit, collocarunt. Sanè à Cleto diuersum fuisse Anacletum, auctor carminum contra Marcionem, & Catalogus tempore Liberij Papæ scriptus præclarè testantur. Neque admitti potest, quod nuper ab erudito Papebrochio obseruatum est, quòd Cletus, & Anacletus vnus, idemque Pontifex fuerit. Etenim ex Cleti ab Anacleto distinctione non potuit vlla differentia oriri, nisi de vno Pontifice in duos diuiso, adeòque de vno ex serie auferendo quæstio mota fuisset. Dubium autem Latinorum erat de duobus ex serie Pontificum auferendis. Dubium igitur illud non prouenit ex Pontificatu Cleti, & Anacleti, sed ex Vicariatu Lini, & Cleti. Qui enim Linum, & Cletum Petri Vicarios statuerunt, Clementem secundum Pontificem dixerunt cum Tertulliano, Ruffino, alijsque. Qui verò Linum, & Cletum veros Pontifices fuisse existimarunt, Clementem quartum Pontificem fuisse asseruerunt, vt capite superiori ostendimus.

13. Cæterùm cum Tertulliani æuo iam dubitari cœperit de ordine quatuor priorum Pontificũ; nihil omninò obest, quò minùs & dubitari ab aliquibus potuerit de Anacleti Pontificatu, cum nullum coæui auctoris testimonium hac de re supersit, & posteriores scriptores non solùm quoad Cleti, & Anacleti, sed etiam quoad aliorum Pontificatum à vero aberrarint. Vnum coæui auctoris testimonium adducitur ex illis epistolis Ignatij Martyris, quæ an Ignatio tribuendæ sint, etiamnum controuertitur. Epistola ad Mariam Cassobolitē in antiquissimo exemplari Vaticano, alijsque quamplurimis desideratur, neque vllam de ea mentionem facit D. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in S. Ignatio: ex il-

V la

la tamen testimonium profertur pro hac difficultate à recentioribus non animaduertentibus, eam nuper græcè editam ab Isaaco Vossio, qui veterem latinam versionem adiunxit, cuius tamen lectio cum testimonio Ignatij superiùs adducto non conuenit: Ἔτι ὄντος σου ἐν τῇ Ῥώμῃ παρὰ τοῦ μακαρίῳ Πάπᾳ Λίνῳ, ὃν διεδέξατο τὰ νῦν ὁ ἀξιομακάριστος Κλήμης ὁ Πέτρου καὶ Παύλου ἀκουστής. *Adhuc existente te in Roma apud B. Papam Cletum, cui successit ad præsens dignè B. Clemens Petri, & Pauli auditor.* Ita græca, & latina lectio apud Vossium, quarum neutra cum altera concordat, cum in græco habeatur nomen Lini, & in textu latino loco Lini Cletus, eique dicatur successisse Clemens. Audiendus etiam est Martialis Mestræus Doctor Theologus in notis ad epistolas S. Ignatij à se anno 1608. Parisijs editas: cum enim ipse in textu græco, & latino, loco Lini posuisset nomen Anacleti, obseruat in notis: *Vetus Codex Pacæi pro* Ἀνακλήτῳ *habet* Ἀνεγκλήτῳ, *quæ vox irreprehensum, inculpatum, & innocentem sonat, epithetum Episcopo dignius, quàm* Ἀνάκλητος, *id est Reuocatus. Turrianus in lib. 7. Constitutionum Apostolic. pro* Ἀνακλήτῳ *legendum esse* Λίνῳ *contendit, sicque scriptum asserit in vetustissimo exemplari græco Bibliothecæ Florentinæ Medicææ. At Baronius Tomo I. Annalium ad annum Christi 69. pro* Κλήτῳ *facit.* Ita auctor ille, quem rectè obseruasse constat, an hìc legendum sit Ἀνακλήτῳ, an Κλήτῳ, an demùm Λίνῳ, non ita omnibus fuisse obuium. His adiungi potest, non omnes M. SS. Codices circa lectionem Anacleti conuenire, licèt id putarit Halloixius, qui alium locum Ignatij ex epistola ad Trallianos adducit, de quo tamen dubium quoquè oritur, eò quòd in prædicta epistola ad Trallianos nulla mentio reperiatur Anacleti, Cleti, Lini, & Clementis, vt patet ex editione Vossiana. Cum itaque ipsi Ignatiani codices sibi inuicem non consentiant, facilè quis videbit, desiderari auctoris coæui testimonium de Pontificatu Cleti, & Anacleti, quod cum desit, solùm Irenæi testimonium vrgeri potest pro Anacleto, quod tamen traditioni Romanæ Ecclesiæ repugnat, quæ Cletum agnoscit. Porrò Eusebius κατὰ πόδας Irenæum secutus est quoad duodecim priores Pontifices; neque mirum videri debet, quòd Cletum, qui 260. fermè annis ante sua tempora vixit, prætermiserit, cum Marcellum, qui tempore suo Romæ sedit, omiserit. Sicut enim Marcellum cum Marcellino confudit Eusebius, ita Cletum cum Anacleto confundere potuit. Similis error reperitur in serie Romanorum Pontificum apud S. Optatum: in illo enim desideratur Alexander I. quem omnes pro vero Pontifice agnoscunt. Alium errorem commisit

D.

D. Epiphanius, vtpote qui duos Euaristos posuit, cũ nonnisi vnus eius nominis Pontifex extiterit.

14. Cum igitur ex ipsis Patrum testimonijs appareat, diuersas opiniones fuisse circa Cleti, & Anacleti Pontificatum; in tanta antiquorum discrepantia credimus, locum habere præclaram Baronij regulam, quòd in his, quæ sunt Romanæ Ecclesiæ, maior adhibenda sit fides eius alumnis, quàm cæteris. Dicimus proindè, persecutionum temporibus facilè contingere potuisse, quòd Actorum defectu, ex quibus de Romanorum Pontificum successione constare debebat, nonnulli in errorem inducti sint, sicque Irenæus natione Græcus à Græcis Cletum cum Anacleto confundentibus hac de re edoctus sit, ipsiusque error etiam Cypriano, Eusebio, D. Optato, S. Augustino, Nicephoro Constantinopolitano, Georgio Syncello, alijsque obrepserit ob nominum similitudinem, quæ inter Anacletum, & Cletum intercedit. Nondum enim Irenæi temporibus canon Missæ Romanæ eo modo, quo nunc legitur, confectus erat. Cum namque in eo mentio fiat plurimorum Martyrum, qui in Diocletiani persecutione occubuerunt, longè verisimile est, post eandem persecutionem primùm commemorationem Sanctorũ & Martyrum, ex qua de quatuor primorum Pontificum ordine constabat, canoni adiunctum fuisse: indeque D. Hieronymum quidem, Epiphanium, & Prosperum inter Romanos Pontifices Cletum loco Anacleti tertio loco posuisse; auctores verò Catalogorum à tempore Liberij Papæ Anacletum post Clementem quinto loco constituisse, prout à pluribus sæculis constituit Romana Ecclesia, quæ in suis Martyrologijs, Calendarijs, & alijs publicis monimentis vsque in hodiernum diem Cletum ordine tertium, & Anacletum ordine quintum recenset, vt in superioribus demonstratum est.

CAPVT TERTIVM

De Actis S. Alexandri, & tempore, quo Pontificatum obtinuit.

1. *Acta S. Alexandri, quæ nonnullis nimia antiquitate mendosa videntur, in medium adferuntur, probanturque in eo, quòd Alexandrum quintum Vrbis Romæ Episcopum statuunt.*

2. *Deindè in ijs, quæ de ritibus baptismi, ac Hermetis Vrbi Præfecti martyrio tradunt: Hermetem enim, vt Martyrem colit Ecclesia, eiusque martyrij notitiam ex solis Alexandri Actis habemus.*

3. *Tertiò vbi Aurelianum Comitem ex Seleucia Isauriæ ad Vrbem Romam à Traiano missum referunt, Traianum enim illo tempore, quo Hermes cum familia Romæ baptizatus est, Seleuciam Isauriæ peruenit; vt ex Dione constat.*

4. *Quartò in ijs, quæ traduntur de miraculosa Quirini Tribuni conuersione, & ver-*

bis, quibus eum catechizauit Alexander, quæ Apostolicorum virorum ætatem spirant.

5. *Quintò vbi S. Alexander dicitur disciplinam Arcani in occultandis fidei Christianæ mysterijs obseruasse, illamque regulam custodisse, quam Christus Dominus discipulis suis tradidit.*

6. *Sextò in ijs, quæ adducuntur de martyrio SS. Euentij, & Theodoli, quæ ex his Actis desumpta Martyrologijs suis inseruerunt Beda, Rabanus Maurus, Ado Viennensis, & Notkerus.*

7. *Martyrologium Romanum affirmat sub Hadriano Principe Alexandri martyrium contigisse, quod Baronius in notis fatetur mutatum, cum prius legeretur,* Traiano Principe, *quæ lectio Actis est consona, & antiquis Catalogis, ac Martyrologijs comprobatur.*

8. *Henschenius ex Consulibus in antiquissimo Catalogo adductis putauit, Alexandri Pontificatum cœpisse anno 109. Consulatu Palmæ, & Tulli, & desijsse post Consulatum Æmiliani, & Veteris.*

9. *Circa Consulatum Palmæ, & Tulli recentiores, & antiquiores scriptores dissentiunt: vndè forsan ab auctore secundi Catalogi, & auctore libri Pontificalis omissus est Consulatus, quo Pontificatum suum iniit S. Alexander.*

10. *Quamuis autem non in priori Consulatu, quo Alexander cœpit, in posteriori tamen, quo desijt, Catalogi, & auctor libri Pontificalis conueniunt, quibus Acta consentiunt, dum eodem anno, quo Traianus decessit, Alexandri obitum ponunt.*

11. *Quæ adducuntur in Actis de sepultura horum Martyrum, & de Episcopatu Numentano, non solùm in Actis latinè, sed etiam græcè repertis exhibentur, vndè nonnulli deducunt, sæculo tertio conscripta fuisse.*

12. *Diluuntur obiectiones Pearsonij, aliorumque, qui minùs rectè omnia Acta reijciunt, quia in ijs nonnulla corrupta sunt.*

1. Antequàm Acta Alexandri Primi Pontificis, & Martyris in medium adferamus, distinguenda sunt plura Actorum genera. Alia enim sunt sincera, & antiqua, ab auctoribus coæuis conscripta; alia interpolata, quibus nimirùm ab auctoribus recentioribus quædam adiuncta sunt; alia demùm recentiora ab auctoribus dudùm, postquàm contigerunt, exarata. His suppositis, agendum est de S. Alexandro, qui initio nascentis Ecclesiæ floruit, & cuius Acta in plerisque M.SS. Codicibus supersunt, quæ quidem à nonnullis tanquam recentiora & falsa reijciuntur; ab alijs pro interpolatis habentur; à cæteris demùm tanquam sincera, & antiqua proponuntur. Inter has variantes scriptorum sententias, media valdè arridet, non quia nimia antiquitate mendosa sunt, vt credidit Eminentissimus Cardinalis Baronius, sed quia à recentiori aliquo scriptore, quem V. Cl. Pagius quarto sæculo vixisse putat, antiquis Alexandri Actis nonnulla adiecta sunt, de quorum veritate meritò quis ambigere poterit. Alia igitur in his Actis reperiuntur, quæ interpolata censentur, alia quæ ex primæuis Alexandri Actis desumpta sunt: quæ vltima hoc capite examinabimus. Porrò incipiunt Acta his verbis: *Quinto loco à B. Petro Apostolo Romanæ Vrbis Ecclesiæ cathedram sedit Alexander.* Quibus consentiunt antiqui Patres, & veteres scriptores, qui ante quintum sæculum catalogum Romanorum Pontificum concinnarunt. Irenæus enim, Eusebius, Epiphanius, Optatus Mileuitanus, & D. Augustinus scripserunt, Alexandrum post Petrum

trum fuisse quintum, & si à Petro numerare incipias, sextum Romanum Pontificem.

2. Sequitur in Actis, *quòd Hermem Præfectum baptizarit cum vxore, sorore, filijs, seruis suis, & vxoribus quoquè eorum, & filijs, quos omnes, inquit, in die sancto Paschæ priùs fecit fieri ingenuos, & ita baptizari posteà.* Duo sunt his in verbis notatu digna: ac primum quidem, quòd S. Alexander iuxta antiquissimum Ecclesiæ vsum, Hermetis familiam priùs catechizauerit, & posteà sacro fonte baptismatis abluerit circa festum Paschatis, quo tempore antiquitùs Ecclesia baptismum conferebat. Secundum ad Hermetem pertinet, quem & Vrbis Præfectum fuisse, in Catalogo de Præfectis Vrbi agnoscit Contelorius, & Sanctum ac Martyrem extitisse, fatetur Ecclesia, dum eius nomen in Martyrologijs suis exhibet, vt in Martyrologio Rabani, in quo ad V. Kalen. Septemb. legitur: *Eodem die natale S. Hermetis Martyris*: & Martyrologio Notkeri ad eumdem diem: *Beatissimi Hermetis Martyris, qui cum esset Præfectus, ab Alexandro Pontifice, & Martyre baptizatur, filijque eius, & familia cum illo. Deinde ab Aureliano Imperatore trusus in carcerem, Tribunum Quirinum cum omni domo sua ad fidem conuertit. Quod audiens Aurelianus, Beatum Hermen decollari præcepit.* Hæc Notkerus in Martyrologio apud Canisium, errans in Aureliano, quem Imperatorem vocat, cum vtriusque militiæ Comes extiterit. Cæterùm desumpta hæc sunt ex Actis S. Alexandri, ex quibus de Hermetis martyrio constat, sicuti ipsum Martyrologium Romanum agnoscit ad eumdem diem: *Romæ natalis S. Hermetis Viri Illustris qui (vt in Actis B. Alexandri Papæ legitur) primò carcerali custodiæ mancipatus, deinde cum alijs plurimis gladio cædente martyrium compleuit sub Aureliano Iudice.*

3. Aurelianum non Imperatorem, sed iudicem fuisse, ipsa quoquè Acta his verbis enarrant: *Vndè cum hæc opera eius* (Alexandri) *ad Traianum Principem peruenissent, misit Aurelianum Comitem vtriusque militiæ de Seleucia Isauriæ ad interfectionem omnium Christianorum; vndè nutu Dei eodem anno defunctus est Traianus.* Mirum quàm rectè hæc omnia gestis Traiani conueniant, qui Seleuciam peruenit, dum contra Parthos profectus est. *Asiam namque*, teste Dione lib. 68. *Ciliciamque finitimis cum Prouincijs peragrauit, ac Seleuciam adpulit.* Seleuciæ autem fuit ante terræ motum, qui Antiochiæ Consulatu Pedonis anno 115. in hieme contigit, quo Pedo, qui Traianum secutus erat, ruinis oppressus interiit. Cum enim multos

ruinæ oppressissent, *in eorum numero* inquit Dio, *fuit Pedo Consul, qui statim mortuus est*. Ante hiemem itaquè anni 115. Traianus Seleuciam venit, indéque ad relationem de Hermetis, eiusque familiæ conuersione Aurelianum vtriusque militiæ Comitem Romam misit, qui ad Vrbem anno 116. peruenit, ac V. Kal. Septemb. Hermetem Vrbis Præfectum decollari pręcepit: anno verò sequente 117. quinto Nonas Maias S. Alexandrum punctis creberrimis perforari iussit, quo eodem anno Traianus nutu diuino interijt. Anno enim 117. die 10. Augusti tribus mensibus post mortem Alexandri obijt Traianus, idque, teste Dione, contigit *Selinunte in Prouincia Ciliciæ, vel apud Seleuciam Isauriæ*, vt se alibi scriptum legisse refert in Chronico Eusebius. Ex quibus patet, haud rectè Pagium ad annum 67. ex eo Acta Alexandri impugnasse, quòd Traianus Seleuciæ circa hæc tempora non fuerit.

4. Sequuntur in Actis Alexandri, quæ spectant conuersionem Quirini Tribuni, in cuius carcere Hermes Vrbis Præfectus asseruabatur. Cum enim conuenisset inter Hermetem & Quirinum, quòd S. Alexander hora cœnæ ad Hermetem sine vlla vinculorum aut carceris effractione veniret, idque ope Angeli in forma pueri facem ardentem ferentis contigisset; illo miraculo, alioque in curanda filia sua Balbina à Deo impetratis, ad fidem conuersus est cum omnibus Gentilibus, quos carceri inclusos tenebat. Meminit miraculosi colloquij Hermetis & Alexandri Ado Viennensis Episcopus in Martyrologio, cui Actorum quoquè verba inseruit. Notanda autem sunt verba, quibus S. Alexander captiuos instruxit, antequàm eos ad baptismum admisit, sonant enim ætatem Apostolorum, à quorum temporibus non longè Alexander aberat: *Filioli audite, & credite. Deus qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt; qui fulgura mittit, & tonat; qui mortificat, & viuificat; cui seruiunt sol & stellæ, & serenitates, & nubes, & pluuiæ: hic filium suum de supernis cælorum misit per Virginis vterum, vt ex homine nasceretur, & inciperet nasci, qui initium nascendi nunquam habuit cum eo, qui nascebatur ex Virgine. Hic cœpit ad fidem suam inuitare omne genus hominum, qui cum duri essent Iudæi ad credendum, & nollent ei credere, hoc signum fecit, vt prandens cum eis, dum vinum in conuiuijs defecisset, aquam vertit in vinum. Item cogitationes hominum singulis cœpit exprimere, cæcorum oculos aperire, mutorum ora soluere, reddere claudicantibus gressum, fugare dæmonia, saluare languentes, ac febrientes, sed etiam* mor-

mortuos suscitare, imperare ventis, tempestates arcere, super mare ambulare pedibus. Cum hæc omnia faceret, & innumerabilis ei crederet multitudo, zelo ducti sunt Pharisæi, atque Iudæi, & crucifixerunt eum. Quod eos facere ideò non vetuit, dum posset, quia nostræ mortis auctorem studuit captiuare. Quo facto tertia die resurrexit à mortuis, & coram multis testibus ascendit in cælos, dans potestatem discipulis suis easdem exercere virtutes. Hic post finem sæculi venturus est iudex, vt reddat bonis bona, & malis mala. Videte ergò vos, qui credidistis, & date nomina vestra, vt efficiamini Christiani. Qui hæc Alexandri verba confert cum ijs, quæ ab Apostolis dicta narrantur in Actibus, facilè perspiciet, ea ab Apostolorum temporibus non multùm discrepare, ac ab illo dictata fuisse, qui non diù post primæuæ illius Ecclesiæ ætatem vixit.

5. Mirum autem, quàm præclarè disciplinam arcani obseruet S. Alexander, qui nullam Spiritus sancti mentionem facit, ne Trinitatis mysterium prodat hominibus nondum Christianis; nihil de Sacramentorum numero, aut mysterio docet, ne arcana religionis propalet non initiatis; ideòque cum Aurelianus iussisset, sanctum Alexandrum sibi exhiberi, exquisiuissetque, vt priùs *omnia sectæ suæ mysteria manifestaret*; S. Alexander dixit: *Quod quæris, sanctum est, & non permittitur à Christo sanctum dari canibus.* Quæ est ipsa disciplinæ arcani regula, quam antiqui Ecclesiæ Patres totiès fidelibus suis obseruandam tradiderunt, & plures Martyres ad Beati Alexandri exemplum sanguine suo comprobarunt. Imò cum rursus petijsset Aurelianus: *Quæ tantæ rei causa est, vt optetis magìs occidi, quàm vinci?* S. Alexander respondit: *Iam tibi dixi: Non licet sanctum dare canibus.* Ob quæ verba martyrio coronatus est; statim namque Aurelianus dixit: *Numquid ego canis sum? Cessent verba, quia præsto sunt verbera. S. Alexander dixit: Ego non timeo verbera ista, quæ tempore transeunt, & in celeritate finem inueniunt, sed illa tormenta timeo æterna, quæ tu non times. Tunc iratus Aurelianus iussit eum leuari in eculeo, & torqueri, & vngulis, atque lampadibus attrectari. Cumque diù hoc faceret, & ille nollet emittere vocem, dixit ei Aurelianus: Quarè taces? S. Alexander dixit: Quia tempore orationis homo Christianus cum Deo loquitur.* Spiritus Apostolicus, qui in verbis B. Alexandri elucet, facilè ostendit, allata Actorum verba germana esse, & vix dubitari posse, quin ex veris Alexandri Actis desumpta sint.

6. Sequitur in Actis martyrium SS. Euentij, & Theoduli, quos vnà cum Alexandro sub Au-

Aureliano vtriusque militiæ Comite passos fuisse, testantur omnia ferè martyrologia tam M. SS. quàm typis edita. In antiquissimis membranis illorum Martyrium his verbis narratur: *Aurelianus iussit incendi fortiter furnum, iussitque S. Euentium, & S. Alexandrum dorso ad dorsum ligari, & sic in furnum præcipitari candentem. Sanctum verò Theodolum ante ipsum furnum stare præcepit, vt eorum territus passione ad sacrificandum Idolis consentiret. Sanctus Alexander clamauit dicens: Frater Theodole festina, veni huc, & age nobiscum, quia ille quartus, qui inter tres pueros Hebręos apparuit, hìc nobiscum est. Exiliens in ignem Theodolus, ingressus est furnum, agentes Deo gratias, & dicentes: Igne nos examinasti, & non est inuenta in nobis iniquitas. Quod cum nuntiatum fuisset Aureliano, iratus ingemuit; & angustiatus est præ nimio furore. Tunc S. Euentium, & S. Theodolum iussit decollari, sanctum verò Alexandrum pungi per tota membra præcepit.* Atque hæc sunt martyrum Acta, ex quibus Venerabilis Beda sæculo octauo, & Rabanus Maurus sæculo nono in suis Martyrologijs ad V. Nonas Maij retulerunt. *Romæ SS. Alexandri Papæ & Euentij, & Theodoli presbyterorum, quorum primus post vincula & carceres, eculeum, vngulas, & ignes punctis creberrimis per tota membra peremptus est: sequentes & ipsi post longam carceris sustinentiam ignibus examinati, & ad vltimum decollati sunt sub Aureliano iudice tempore Traiani Principis.* Eadem Acta Ado Viennensis Episcopus in suo Martyrologio retulit: *Aurelianus fecit beatissimum Alexandrum punctis creberrimis per tota pungi membra, donec deficeret. Huiusmodi fine vir sanctus martyrium suum compleuit: sancti autem duo presbyteri gladio consummati sunt.* Eadem habet Notkerus in Martyrologio ab Henrico Canisio Tomo 6. Antiquarum lectionum edito, in quo vti & in Martyrologio Adonis non solùm martyrium, sed etiam pleraque alia Actis contenta exhibentur.

7. In Martyrologio Romano habetur ad V. Nonas Maij. *Romæ via Numentana passio SS. Martyrum Alexandri Papę, Euentij, & Theoduli presbyterorũ, ex quibus Alexander sub Hadriano Principe Aureliano iudice post vincula, carceres, equuleum, vngulas, & ignes punctis creberrimis per tota membra confossus, ac peremptus est. Euentius verò, & Theodulus post longos carceres ignibus examinati ad vltimum decollati sunt.* Ad quæ verba notat Cardinalis Baronius: *Emendatum hìc fuit, quòd quadam incuria irrepserat, hunc passum sub Aureliano Principe, qui quidem longè post Alexandri tempora*

pora imperauit. Pro Principe Iudex est positus, qui hisce Hadriani temporibus in Christianos gladium potestatis acuerat, ut constat ex Actis aliorum sanctorum Martyrum, qui passi sunt sub Hadriano Imperatore. Irrepsit item mendum, ut loco Hadriani Traianus positus haberetur. Hæc Baronius, qui huiusmodi verbis occasionem præbet agendi de alia difficultate quoad tempus martyrij S. Alexandri, de quo Annalium parens affirmat, quòd in Acta Alexandri quoad nomina Aureliani Principis, seu potiùs vtriusque militiæ Comitis, & Traiani Imperatoris mendum irrepsit. Porrò omnia Acta M.SS. quæ antiquissima extant in Bibliotheca Vaticana, idem omninò referunt, & Aurelianum Comitem non ab Hadriano, sed Traiano ad interfectionem Christianorum ex Seleucia metropoli Isauriæ Romam missum fuisse testantur. Potuit tamen annalium parens ex nonnullis antiquis Catalogis sententiam suam desumere: in Catalogo namque tempore Caroli M. exarato alia quidem manu, antiqua tamen, adiunctum est in Pontificatu Alexandri: *Sub Traiano Imperatore, & sub Aelio Hadriano Imperatore.* In nonnullis autem exemplaribus Vsuardi legitur, S. Alexandrum passum esse *sub Aureliano Imperatore.* Quam lectionem Molanus in prima Vsuardi editione seruauerat, qui tamen eandem correxit in secunda & tertia editione, vbi habet: *Sub Aureliano Principe*; prout etiam legitur in antiquo M.S. Vsuardi codice sub numero 5417. in Bibliotheca Vaticana asseruato. Eodem modo habetur in alio M.S. Vaticano 5415. *sub Aureliano Principe.* Quod Actis & Martyrologijs antiquis consonum est: sub Aureliano enim vtriusque militiæ Comite, quem Traianus Romam miserat, & cui Vrbem ingredienti omnis Senatus ita obsequutus erat, vt ipsum Principem crederent esse Traianum, martyrij coronam adeptus est S. Alexander, vt fidem faciunt Martyrologia Romana per anni circulum, quorum duo M.SS. in Bibliotheca Vaticana reperiuntur, in quibus habetur ad V. Nonas Maij: *Alexandri Papæ, & Euentij, & Theoduli sub Traiano Principe, Iudice Aureliano.* Quæ eadem habet Venerabilis Beda his verbis: *Sub Aureliano Iudice, tempore Traiani Principis.* Iisdem planè verbis id habet Rabanus Maurus, cui consentit Ado Viennensis Episcopus in suo Martyrologio, quod M.S. extat in Bibliotheca Vaticana Codice 5414. in eo enim ad V. Nonas Maij: *Iubente Traiano Principe ab Aureliano Comite vtriusque militiæ carceri mancipatus.* Et Notkerus in Martyrologio per Henricum Canisium Tomo 6. Antiquarum lectionum typis edito: *Eodem die* (V. Non. Maij) *Romæ via No-*

mentana milliario 7. natiuitas S. Alexandri Papæ, qui iubente Traiano Cæsare ab Aureliano Comite vtriusque militiæ carceri mancipatus &c. ...... cum duobus supradictis presbyteris (Euentio & Theodulo) *in equuleum leuatus, tortus vngulis, atque lampadibus grauissimè est arsus &c.*

8. Porrò ob hæc, aliaque antiquorum testimonia, putauit Henschenius in Actâ S. Alexandri, prout à nobis superiùs exhibita sunt, nullum mendum irrepsisse, & ex antiquissimo Catalogo tempore Liberij Papæ conscripto, ita de annis Pontificatus Alexandri statuit: *Consules in creatione Alexandri erant A. Cornelius Palma, & C. Caluisius Tullus, anno Christi* 109. *Traiani Imperatoris* 12. *Ast vltimo integro anno eiusdem S. Alexandri erant Cōsules Aemilius Aelianus, (aliquibus Velianus, seu Helianus) & L. Antistius Vetus, anno Christi* 116. *Traiani* 19. *post quem annum vixit S. Alexander, & ferè carceri inclusus, vsque ad diem* 3. *Maij anni sequentis. Et sic ab anno* 109. *& die* 2. *Martij præfuit Ecclesiæ annos octo, menses duos, diem vnum, rectè in priori Catalogo indicatos.* Hæc in Apparatu ad Chronologiam Pontificiam Godefridus Henschenius, cuius sententiam in Conatu Chronico-historico nuper secutus est eius in edendis Sanctorum actis successor Daniel Papebrochius, qui supponit, Henschenij chronotaxim rectè ex Consulibus prioris Catalogi deductam, adeoquè Alexandri Pontificatum cœpisse anno 109. Consulatu Palmæ & Tulli, & desijsse post Consulatum Aeliani, & Veteris anno 117.

Appar. Chronol. Pontif. To. 6. Maij pag. 45.

Pag. 20.

9. Quamuis autem perscrutanti mihi fastos Consulares initio non occurrerit Consulatus Palmę, & Tulli, eum tamen sub Imperio Traiani exhibent fasti Idatij post Gallum & Braduam; ita enim in ijs legitur: *Gallo & Bradua, Palma* II. *& Tullo, Orfito & Crispino.* Eodem ordine hos Consules refert Onuphrius Panuinius in Annalibus M. SS. qui asseruantur in Bibliotheca Vaticana, vbi *CIX. Gallus, Bradua. CX. Palma* II. *Tullus* II. *CXI. Crispinus, Orfitus.* Quem ordinem etiam seruat Pagius in sua Critica ab anno 109. ad annum 111. Accedit quoquè huic fastorum ordini Dio Cassius, dum sub Traiano refert: *Trebonius Gallus & M. Bradua: Cornelius Palma II. & C. Caluisius: Clodius Crispinus, & Solenus Orfitus.* At aliter omninò hos Consules refert Cassiodorus, ita enim habet: *Gallus & Bradua, Africanus & Crispinus, Crispinus* II. *& Solenus.* Labbeus autem ponit *anno* 108. *Appium Annium Trebonium Gallum, & M. Atilium Braduam; an.* 109. *P. Aelium Hadrianum, & Publilium Celsum; an.* 110. *Cl. Crispinum, & Solenum Orfitum.* Ordinem rur-

rursus aliter exhibet Baronius, nã an. 110. habet *Gallum & Braduam*; *an. 111. Messalam & Pedonem*; anno 112. diuersos adferri fatetur. Vnde colligere licet, non modò recentiores scriptores, sed antiquiores quoquè circa Consulatum Palmæ & Tulli inter se discrepare, & ideò forsan auctorem secundi Catalogi Consulatum, quo Alexander Pontificatum inijt, omisisse. Vbi namque antiquior Catalogus habet in Alexandro: *Fuit temporibus Traiani, à Consulatu Palmæ & Tulli, vsque Aeliano & Vetere*: ibi secundus Catalogus refert: *Fuit autem temporibus Traiani vsque Aeliano & Vetere*. Quod idem habet auctor libri Pontificalis, sic enim scribit: *Fuit autem temporibus Traiani vsque ad Aelianum & Veterem*.

10. Quamuis itaquè non omnes antiqui Catalogi concordent in assignando Consulatu, quo cœpit Pontificatum Alexander; concinunt tamen in allegando Consulatu, post quem viuere desijt, estque is Consulatus Aeliani & Veteris, qui incidit in annum æræ vulgaris 116. Traiani verò Imperatoris 19. seu penultimum. Solent autem Catalogi assignare penultimum Consulatum, non verò vltimum, ne cogantur in successore eundem repetere. Obijt igitur S. Alexander anno Traiani 20. & vltimo: quod egregiè confirmatur ex Actis S. Alexandri. Vbi enim Hermetis Præfecti Vrbis, totiusque familiæ ipsius conuersionem ope Alexandri peractam exhibuerunt, addunt: *Vnde cum hæc opera eius ad Traianum Principem peruenissent, misit Aurelianũ Comitem vtriusque militiæ de Seleucia Isauriæ ad interfectionem omnium Christianorum. Vnde nutu Dei eodem anno defunctus est Traianus, & ingresso Vrbem Aureliano omnis Senatus ita famulatus est ei, vt ipsum Principem crederent esse Traianum &c.* Num. 2. In quibus verbis notanda sunt illa: *Vnde nutu Dei eodem anno defunctus est Traianus*. Ex his enim manifestè patet, S. Alexandrum martyrio coronatum fuisse vltimo Traiani anno; quod ipsum ex supradictis Catalogis constat: adeò vt post hæc Catalogorum testimonia Actis Sancti Alexandri Papæ consona, nullum ferè dubium superesse videatur de tempore, quo Sanctus Alexander Pontificatum gessit, & martyrium subiuit.

11. Vnum dumtaxat illustrandum restat de hisce Actis, quæ finiunt cum SS. Martyrum sepultura ope Seuerinæ Aureliani vxoris præstita: *Vadens autem* (Seuerina) *in septimo milliario ab Vrbe Roma via Numentana in prędium suum, S. Euentium, & S. Alexandrum in vno posuit monumento; S. verò Theodolum in loco altero sepeliuit. Omnes verò Clerici Romani, & religiosi viri, qui ad exequias cor-*

porum venerant, ibi remanserunt. Et enarrata morte impij Aureliani: *Seuerina vxor eius vestiuit se cilicio, & tamdiù iacuit ad limina Sanctorum, quos ipsa sepelierat, donec ab Oriente venisset S. Sixtus Episcopus, à quo impetrauit Seuerina, vt in eodem loco rei ipsius ab eo ordinaretur Episcopus, qui omni die, quæ sunt sancta martyribus celebraret. Ideoque locus ipse habet proprium Sacerdotem vsque in hodiernum diem. Sanctorum autem ipsorum natalis est quinto Nonas Maias. Benedictus Deus in sæcula sæculorum. Amen.* Ita finiunt Acta in membranis, quæ septingentorum, vel octingentorum annorum ætatem attingunt, quæque græcè etiam reperiuntur in Bibliotheca Ambrosiana sub litera N. in fol. num. 151. tanquam continerent vitam S. Hermetis, vbi: Μέχρις ὅτε ἐκ τῶν τῆς ἀνατολῆς παρεγένετο μερῶν ὁ ἁγιώτατος Ξίστος, ὅντινα καὶ ἔπεισεν ἡ Σευηρίνα ἐν τῷ αὐτῷ προσήκοντι αὐτοῖς ἐπίσκοπον αὐτὸν καταστῆσαι, ὅπως διὰ παντὸς τὰ προσήκοντα τοῖς μάρτυσιν ἐπιτελεσθήσονται· καὶ διὰ τοῦτο ὁ τοιοῦτος τόπος μέχρι τῆς σήμερον οἰκεῖον ἐκληρώσατο ἱερέα. *Vsquequò ex Orientis partibus venit sanctissimus Sixtus, quem quædam Seuerina rogauit ibidem ordinari Episcopum, qui semper sanctis Martyribus sacrum perficeret: ideoquè locus ille vsque in hodiernum diem habet sacra celebrantem.* Hæc in Actis Græcis, quæ coincidunt cum Latinis, ex

Fortè αὐτῇ

Ex Gr. Obtinuit proprium Sacerdot.

quibus verbis Actorum antiquitatem deducit Papebrochius in notis: *Quandoquidem*, inquit, *non est verosimile, quòd sub S. Syluestro, aut deindè sæculo quarto habuerit locus iste Episcopum proprium, verisimile fit, hæc Acta esse scripta sæculo tertio in ea Ecclesiæ pace, quæ Decij persecutionem præcessit. Cum autem locus iste fuerit via Numentana octauo* (*septimo* dicere debuerat) *ab vrbe milliario, vltra quem vno alteroue dumtaxat milliario ipsum Nomentum fuisse, suadent eius reliquiæ bodie superstites, sub nomine Lamentanæ, sicut pons super Anienem ipsa via stratus, ponte Lamentano vulgò dicitur; credibile est, ibi constitutam fuisse sedem Episcopi Numentani, qui tamen Episcopatus sub Decio, aut Diocletiano nominari desierit.*

12. Sunt qui cum Pearsonio in operibus posthumis differtat. 2. cap. 7. num. 3. existimant, non Episcopum, sed presbyterum ordinatum fuisse in prædio Seuerinæ; quod tamen ex Actis ipsis refutatur, quæ disertè Episcopum constitutum fuisse asserunt. Vnde colligere licet, Pearsonium, & qui eum secutus est, Dodvvellum, in Acta corruptiora incidisse, quàm quæ hodiè habentur edita Tom. 1. Actorum Maij, vbi tamen nonnulla sunt, quæ correctione indigent, vt quæ de anno 30. ætatis Alexandri ab Aureliano Iudice dicuntur. Quamuis enim

Ale-

Alexandrum iuuenem quidem ætate, ſed fide ſeniorem ad Pontificatum perueniſſe tradant Acta, credibile tamen non eſt, cum anno ætatis 22. Pontificem creatum fuiſſe, & poſt octò annos, quibus Pontificatum geſſit, anno ætatis 30. martyrium obijſſe. Licèt autem in annos ætatis error irrepſiſſet, non ſtatim tota Alexandri Acta ob illum errorem reijcienda forent, ſicut nec reijcienda ſunt, etſi ſeriùs quàm Papebrochio viſum eſt, conſcripta eſſent. Quamuis enim in ijs cœmeterij Prætextati, & Comitis vtriuſque militiæ mentio fiat, ac vltimum ætatem Conſtantini Magni ſapere videatur; nihil tamen in ijs reperitur, quod poſt Honorij, & Arcadij tempora conſcripta eſſe demonſtret. Vnde ſemper manebit Actis illis auctoritas, quam apud æquos rerum æſtimatores obtinere debent ea, quæ ante mille & ducentos fermè annos, ex antiquioribus deſcripta ſunt.

CAPVT QVARTVM.

De Pio, Aniceto, Sotere, & Eleutherio: quo ordine, & quibus temporibus ſederint.

1. Duplex difficultas eſt circa Pium, Anicetum, Soterem, & Eleutherium: & prior quidem de ordine Pij, & Aniceti, circa quam antiquior Catalogus, S. Optatus, & D. Auguſtinus, auctor ſecundi Catalogi, & auctor libri Pontificalis in plerìſque codicibus M.SS. Anicetum Pio præponendum eſſe tradunt.

2. Libri Pontificalis codices expenduntur, & non ſolùm in pluribus Pium Aniceto præpoſitum eſſe, ſed ex Conſulibus ab auctore indicatis præponi debere, oſtenditur.

3. Papebrochius, vt antiquioris Catalogi auctoritatem tueatur, plura congerit, tandemque fatetur, errorem irrepſiſſe, prout manifeſtum eſt ex Euſebij, Irenæi, & Hegeſippi teſtimonijs, quibus conſtat, Pium Aniceto præponendum eſſe.

4. Secunda difficultas verſatur circa tempus, quo Soter, & Eleutherius Pontificatum obtinuerunt, de quo conuenit ferè inter omnes Catalogorum auctores, Soterem ſediſſe annos nouem, traditque Euſebius, Eleutherium ei ſucceſſiſſe anno 17. Marci Aurelij, tempore perſecutionis.

5. Perſecutio illa mota eſt in Gallijs, vbi Martyres Lugdunenſes perierunt, & qui in carceribus reliqui erant, D. Irenæum elegerunt, qui litteras Romam ad Eleutherium perferret.

6. Cum itaque durante Marci Aurelij perſecutione Eleutherium Romæ ſediſſe conſtet, idque non conueniret cum chronotaxi Cardinalis Baronij, maluit Annalium parens Soteri tantùm quatuor annos Pontificatus tribuere, quàm contra Martyrum Lugdunenſium teſtimonium Eleutherij Pontificatum vltra decimum ſeptimum Marci Aurelij annum differre: additque ſe aſſenſurum, ſi quis certiorem de annis Soteris chronographiam inuenerit.

7. Pace itaque Annalium parentis Soteri 9. annos Pontificatus tribuimus, & Eleutherium cum eodem Baronio anno 17. Marci Aurelij in Cathedra Romana Soteri ſucceſſiſſe affirmamus. Porrò annum illum æræ 177. quacum concurrit, reſtituimus.

1. Dvplex eſt difficultas circa Pij, Aniceti, Soteris, & Eleutherij Pontificatum: quarum altera ad ordinem, quo Ani-

Anicetus, & Pius; altera ad tempus, quo Soter, & Eleutherius sederunt, pertinent. Prima quæstio orta est ex nonnullis antiquorum Catalogorum, & Patrum testimonijs, quibus Anicetus Pio præponitur: sic enim in antiquissimo Catalogo tempore Liberij Papæ concinnato post Hyginum ponitur Anicetus, & post Anicetum Pius. Idipsum ex hoc, alioue Catalogo desumpsisse videntur S. Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum, & D. Augustinus epist. 165. vbi successionē Romanorū Pontificum exhibent his verbis: *Ygino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri Eleutherius.* Auctor secundi Catalogi tempore Iustini Imperatoris antiquiorem Catalogū secutus, Anicetum Pio præponit. Idē ordo seruatur in membranis Antuerpiæ apud V.Cl. Danielem Papebrochium extantibus, & in Catalogo Vaticano sæculo nono exarato. Cōcinit auctor libri Pontificalis iuxta editionem Moguntinam ex Bibliotheca Velseri Duumuiri Augustani, & iuxta editionem Annibalis Fabrotti in corpore Byzantinæ Historiæ: quibus concordant complures codices Manuscripti, inter quos vnus est Vaticanus sub numero 5269. ante quingentos facilè annos ex alio antiquiori codice descriptus, alter Thuanus, tertius Cassinensis.

2. Cæterùm non omnes M.SS. Anastasiani Operis codices hac de re conueniunt, sed magna inter illos diuersitas reperitur, pluribus quoad ordinem Aniceti & Pij cum supra allatis pugnantibus. Notauit enim Annibal Fabrottus, quòd in duobus M.SS. codicibus Gallicis Regio, & Mazarino ponatur Pius ante Anicetum. Et Lucas Holstenius in notis M.SS. ad Anastasium Bibliothecarium refert post Pontificatum Hygini: *Hic in M.SS. Florentinis ponitur Pius, cui subijcitur deinde Anicetus; & sic Regius*, nimirùm Codex nunc Bibliothecæ Alexandrinæ Vaticanæ. Ex quibus apparet, inter Anastasianos codices reperiri, in quibus Pius Aniceto præponitur, & quidem rectissimè, si Consules ab auctore libri Pontificalis adductos sequamur. Habet enim, Pium sedisse à Consulatu Clari & Seueri, qui in annum 146. incidit; Anicetum verò cœpisse à Consulatu Gallicani & Veteris, qui cum æra 150. concurrit: adeò vt ex ipsa temporis nota constet, Pium Aniceto præponendum esse. Desumpsit autem Anastasius illam Consulum notam ex auctore libri Pontificalis; auctor verò ille ex duobus antiquioribus Catalogis, in quos primùm insignis error irrepsit, dum in illis Anicetus Pio præpositus fuit. Hunc errorem agnouit post obitum Henschenij Papebrochius, qui in Conatu Chronico-Historico fatetur, quòd se diù multùmque in omnem partem verterit, vt antiquioris Catalogi chronotaxis ex Consulibus desumpta vero calculo responderet.

ret. *In tanta perplexitate*, inquit pag. 22. *ambiguus hæsi, fateor, diù multùmque, & me in omnem partem torsi. Tandem tamen incidit ancipitis consilij diuinatio, quæ nodum non soluere, sed scindere videatur; bis gemino Consulum pari inter duos Pontifices aliter digesto, sic tamen, vt eorundem nomina seruentur intacta, & Pius præponatur Aniceto, leui facta mutatione in antiquissimo omnium Catalogo, vndè confusio in cæteros omnes velut ex fonte profluxisse potuit.* Mutationem illam proponit in diuinatione sua pag. 23. vbi pro Consulibus, qui nunc ita in Catalogo exhibentur:

Anicetus &c. *à Consulatu Gallicani & Veteris, vsque Præsente & Rufino.*

Pius &c. *à Consulatu Clari, & Seueri, vsque Duobus Augustis:* petit, sibi licere, hæc verba ita inuertere.

Pius &c. *à Consulatu Clari, & Seueri vsque Præsente, & Rufino.*

Anicetus &c. *à Consulatu Gallicani, & Veteris vsque Duobus Augustis.*

Hac enim mutatione permissa, inquit consequenter Papebrochius, *videor mihi sic ordinare omnia, vt continuata successione Pontificum, Vicariorumque, etiam in his duobus, & consequenti Sotere, eo loco, vbi aliàs requireretur Interpontificium plusquàm semestre, pauci dies sufficiant, quibus Sedes vacauerit.*

3. Hactenus Papebrochius, qui vt antiquioris Catalogi auctoritatem tueatur, duos in primis errores corrigendos esse putat. Verùm cum Catalogus ille opus habeat istis correctionibus, nemo non videt, eundem ab eo concinnatum fuisse, qui accuratiori Romanorum Pontificum notitia indigebat. Et si ita liceret mutare in Actis, prout sibi circa hunc Catalogum licere petijt Vir eruditus, vix vllum monumentum supposititium reperiretur, quod verisimile reddi non posset. Agnouit hoc Papebrochius ipse in Anamnesi de Cleto, & Anacleto pag. 217. vbi ingenuè fatetur, primum antiquissimumque Catalogum in hisce principijs non ita certum esse, *vt possit fidem facere indubitatam post animaduersam in Aniceto, & Pio difficultatem*. Relictis itaque ijs, quæ ad antiquioris Catalogi auctoritatem spectant, veniamus ad primum errorem, quem Papebrochius corrigendum duxit, & monstremus, Pium Aniceto præponendum esse, prout preponunt complures Catalogi ante, & post tempora Anastasij Bibliothecarij, inter quos reperitur vnus Vaticanus sæculi vndecimi, alter Bibliothecę quondam sapientissimę Reginæ Suecię sæculi noni, tertius Palatino-Vaticanus sæculi octaui, alij Corbeienses duo, quorum alter initio sæculi octaui, alter sæ-

sęculo sexto sub Vigilio Papa, concinnati sunt. Catalogorum verò auctores hac in re secuti sunt testimonium Sancti Prosperi, qui in Chronico post Hyginum Pium, post Pium Anicetum retulit; sicut Epiphanius hæresi 27. eos exhibet his verbis: *Anicetus, qui Pio, aliijsque Pontificibus successit*. Desumptus est autem hic ordo ex Eusebij Pamphili Chronico, & Historia Ecclesiastica: libro namque 4. cap. 11. disertè affirmat: *Hygino post quartum Episcopatus annum mortuo Romanæ Ecclesiæ Sacerdotium suscepit Pius*. Et ibidem: *Cum Pius anno Episcopatus sui 15. vitam cum morte commutasset, Anicetus Ecclesiæ illius Antistes factus est*. Porrò hanc Romanorum Pontificum successionem Eusebius ab ijs didicit, qui Anicetum, & Pium per ætatem videre potuerunt, & sub Aniceto, & Eleutherio Aniceti successore Romæ fuerunt. Primum inter hos locum obtinet D. Irenæus, qui sub Eleutherio ad Vrbem missus est à Martyribus Lugdunensibus; secundum Hegesippus, qui Romæ vsque ad tempora Aniceti permansit. Irenæi testimonium extat lib. 3. cap. 3. vbi in Catalogo Romanorum Pontificum ita scribit: *Hyginus, pòst Pius, post quem Anicetus*. Hegesippi testimonium reperitur apud Eusebium lib. 4. cap. 21. vbi Hegesippus affirmat: *Cum essem Romæ, mansi ibi vsque ad Pontificis Aniceti tempora, cuius tum quidem Eleutherius Diaconus erat. Huic successit Soter, quo morte extincto Eleutherius munus Episcopale capessit*. Quo testimonio nullum manifestius desiderari potest, cum omni exceptione maius sit, & clarè ex eo appareat, Anicetum successisse Soterem, adeòque Pium Aniceto præponendum esse.

4. Cum itaque ex dictis constet, quid statuendum sit de prima difficultate circa ordinem, quo Pius, & Anicetus in serie Romanorum Pontificum collocari debent; agendum nunc est de secunda difficultate, quæ mouetur circa tempus, quo Soter, & Eleutherius Aniceti successores Sedem Apostolicam obtinuerunt. Ac de annis quidem Soteris Papæ consentiunt ferè omnes Catalogi M.SS. & typis editi, in quibus Soteri nouem anni, & aliquot menses, ac dies tribuuntur. Antiquissimus Catalogus tempore Liberij Papę conscriptus refert, Soterem sedisse annis nouem, mensibus tribus, diebus duobus: cui concinit Catalogus Vaticanus seculò nono exaratus. Corbeiensis tempore Vigilij Papæ concinnatus habet totidem annos, menses duos, & dies viginti vnum. Membranæ Antuerpienses sæculi sexti habent annos nouem, menses tres, dies viginti. Catalogus Palatino-Vaticanus sæculi octaui affirmat, sedisse annos nouem, menses sex, dies duodecim, quot annos,

nos, & menses sex, dies duodecim; quot annos, & menses ei tribuunt alij Catalogi antiqui, in hoc solùm diuersi, quòd dies duodecim in viginti vnum commutent. Quibus consentit auctor libri Pontificalis in tribus M. SS. codicibus, Florentino nimirùm, Regio, & Vaticano: nam iuxta illorum lectionem, *sedit annos nouem, menses sex, dies viginti vnum*. Series Pontificum in Ecclesia S. Pauli ante quingentos annos depicta habet, *annos nouem, menses tres, dies viginti vnum*. A quibus alij Catalogi non dissentiunt: ita vt iuxta communem horum Catalogorum consensum Soter sederit annos nouem. Differt ab hac traditione Catalogus tempore Iustini Imperatoris conscriptus, in quo Soteri tribuuntur *anni octo, menses sex, dies viginti vnus*, eiusque auctor hac in re secutus est Chronicon S. Prosperi, in quo legitur: *Romanæ Ecclesiæ Episcopatum XI. suscepit Soter annis octo*. Desumpsit autem S. Prosper tempus Soteris ex Chronico Eusebij, in quo eadem omninò verba habentur. Confirmat hæc omnia Eusebius in historia lib. 5. vbi persecutionem in Gallijs sub Antonini filio motam descripturus, his verbis proœmium dicti libri incipit: *Igitur Sotere Romanæ Vrbis Episcopo post octauum Episcopatus annum vita functo, duodecimus ab Apostolis Eleutherus in eius locum successit. Annus tunc agebatur decimus septimus Imperij Antonini Veri. Quo tempore cum in nonnullis terrarum partibus violentior aduersùs nostros persecutio commota esset ex incursione popularium, innumerabiles propè martyres per vniuersum orbem enituisse, ex ijs, quæ in vnica Prouincia contigerunt, conijcere est*. Et cap. 1. *Porrò Regio ipsa . . . . . Gallia vocatur. In hac duæ præ cæteris insignes præstantesque vrbium matres celebrantur, Lugdunum, & Vienna*. Atque hæc est illa persecutio, cuius meminit Seuerus Sulpitius lib. 2. historiæ sacræ, his verbis: *Sub Aurelio Antonini filio persecutio quinta agitata: ac tum primùm intra Gallias martyria visa, seriùs trans Alpes Dei religione suscepta*.

5. Persecutio itaque in Gallijs mota fuit tempore Eleutherij Papæ, cum M. Aurelius decimum septimum Imperij annum ageret; in qua persecutione passi sunt S. Pothinus Episcopus, & alij quamplurimi, de quorum martyrio cæteri Confessores carceribus inclusi ad Ecclesias Asiæ, & Phrygiæ retulerunt. Extat ea de re Martyrum Lugdunensium Epistola apud Eusebium lib. 5. cap. 2. in qua Pothinum propè nonagenarium diris cruciatibus enecatum fuisse perhibent; & addit Eusebius cap. 5. *Igitur cùm Pothinus anno ætatis nonagesimo vnà cum Gallicanis martyribus cæsus* Photinum alij malè legunt.

 esset

esset, Episcopatum Lugdunensis Ecclesiæ post illum suscepit Irenæus. Idem habet Diuus Hieronymus libro de Scriptoribus in Irenæo; affirmat enim, quòd *Pothino propè nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum eius substitutus sit.* Ex quibus omninò sequitur, Irenæum in persecutione M. Aurelij Antonini, quæ anno Imperij eius 17. seu æra 177. cœpit, & cum morte eius anno 180 finem accepit, Pothino in sede Lugdunensi successisse, cum iam anteà à martyribus Lugdunensibus Romam missus fuisset ad Eleutherium Papam, vt patet ex eorundem martyrum litteris, quas refert Eusebius libro 5. cap. 4. vbi testatur, Irenæum nondùm Episcopum fuisse, sed solùm presbyterum, dum à Martyribus Eleutherio commendatus fuit. Verba Eusebij sunt: *Sed ijdem martyres Irenæum, qui tunc temporis adhuc presbyter Lugdunensis Ecclesiæ erat, supradicto Eleuthero per litteras commendarunt.* Et Presbyteri Confessores in ipsis litteris: *Te per omnia, ac perpetuò optamus in Deo valere, Pater Eleuthere. Has litteras, vt ad te perferret, fratrem, & collegam nostrum Irenæum hortati sumus.*

6. His positis sequitur, durante M. Aurelij persecutione Eleutherium Romæ sedisse: quod vt Eminentissimus Cardinalis Baronius suo calculo accommodaret, à Sotere annos aliquot auferendos esse censuit, & cui omnes antiqui scriptores, ac Catalogi tam M.SS. quàm typis editi ad minimum octo vel nouem annos Pontificatus tribuunt, ipse solùm quatuor, minùs diebus duodecim, reliquit. Posuerat Baronius Soteris initium anno 175. cui si cum Eusebio, & S. Prospero octo annos, vel cum Catalogis, ac libro Pontificali annos nouem tribuisset, Eleutherius non nisi anno 183. vel 184. sedere cœpisset. Hoc autem cum Martyrum Lugunensium testimonio repugnare videret, Soteri tantùm tres annos, vndecim menses, & octodecim dies tribuit, ad hoc vt mors illius anno 179. collocari, & ante obitum M. Aurelij Irenæus ad Eleutherium Soteris successorem legatione fungi potuisset. Notat tamen ad ann. 179. num. 51. *Si quis autem certiorem de annis Soteris inuenerit chronographiam, qua tamen non reijciatur Cletus è numero Romanorum Pontificum, nec litterarum martyrum Lugdunensium sincerum testimonium contemnatur; haud inuiti assentiemur.* Hæc cum annotauerit ipse Baronius, debitam ipsi reuerentiam seruantes, recessimus ab eius sententia, certiorem chronotaxim statuendo circa nonnullos Pontifices, de quibus aut ex antiquis monimentis, aut ex veterum testimonijs adeò clarè constat, vt de tempore, quo Pontificatum gesserunt, ambigere minimè liceat. Statuimus

mus id de Petri Apostolorum Principis, Clementis, & Alexandri temporibus, quibus martyrio coronati sunt. Idem de Soteris Pontificatu ostendere cœpimus, de quo certum est decimum septimum M. Aurelij Imperatoris annum, quo persecutio cœpit, excedere non potuisse. Tempore enim illius persecutionis Martyres Lugdunenses sæpiùs ad Eleutherium Papam scripserunt, vt testatur Eusebius in historia lib. 5. cap. 1. vbi epistolam illorum exhibet, quam D. Irenæo ad Eleutherium deferendam tradiderunt.

7. Porrò circa tempus Soteris Papæ, quo martyrium subiuit, & Eleutherio Cathedram Romanam reliquit, Eminentissimus Cardinalis Baronius à nobis dissentit tantùm in duobus annis, quibus à vera chronotaxi primorum Pontificum perpetuò deflectit. Quarè omnia gesta Ecclesiastica duobus annis postposuit; qua ratione etiam factum est, quòd M. Aurelij Imperatoris annum decimum septimum, qui cum æra 177. concurrit, ad annum 179. retulit. Si autem annus 17. Marci Aurelij, æræ suæ 177. restituatur, nobiscum sentiet Baronius circa tempus persecutionis, quo Soter martyrij palmam adeptus est, & Eleutherius Romanam Cathedram obtinuit. Audienda sunt Baronij verba ad annum 179. vbi agens de persecutione, in qua Martyres Lugdunenses occubuerunt, ita scribit num. 50. *Hac item persecutione sublatum fuisse Soterem Papam, litteræ Martyrum Lugdunensium, quæ hoc eodem persecutionis tempore scriptæ sunt ad Eleutherium eius successorem, necessariò nos affirmare compellunt; licèt alij annos nouem eidem tribuerint. Sed quòd tres tantùm ordinationes fecisse reperiatur, haud longiori tempore sedisse, possumus opinari. Eusebius autem in Chronico, anno superiori, nempè decimo sexto Marci Imperatoris, ponit Eleutherum suffectum in locum Soteris, sed in historia hoc ipso anno decimo septimo: cui, quoniam credimus id accepisse ex litteris Martyrum Lugdunensium, haud inuiti adstipulamur; cum alioqui in reliquis præteritis Romanis Pontificibus, quòd prætermiserit Cletum, haud possumus eidem assentiri. Sic igitur in re ambigua, non tam ex ipso Eusebio, quàm ex litteris sanctorum Lugdunensium Martyrum, hoc tempore ad Eleutherium scribentium, Soteris obitum, atque Eleutheri ingressum consultò ponendum esse existimamus.* Atque hæc Baronius, cuius regulam de temporibus prædictorum Pontificum ex litteris martyrum Lugdunensium secuti, veram eorundem chronologiam tradidimus.

CAPVT QVINTVM.

De gestis Pontij Martyris, ex quibus ordo & tempora Pontiani, Antheri, & Fabiani summorum Pontificum stabiliuntur.

ANtequàm de Pontiani, & successorum ætate sermonem instituamus, agendum nobis est de gestis Pontij martyris, in quibus Pontiani, Antheri, & Fabiani tempora exprimuntur. Vtque clarè & perspicuè rem hanc pertractemus, capite hoc in articulos diuiso, eorum primo monstrabimus, nonnulla in Actis Pontij martyris reperiri à veritate aliena. Secundò ostendemus, quædam illis inesse veritati proxima. Tertiò demùm vera esse, quæ de Pontiani, Antheri, & Fabiani Summorum, ac Romanorum Pontificum temporibus auctor illorũ Actorum memoriæ prodidit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quòd Acta S. Pontij Martyris non conscripta sint à Valerio eius contubernali, & nonnulla contineant à veritate aliena.

1. Acta S. Pontij martyris edita sunt à Baluzio, tamquam conscripta essent à Valerio Pontij contubernali, de quo tamen meritò dubitatur.

2. Ac primò quidem ex eo, quòd auctor Actorum loquatur de Valerio veluti persona distincta.

3. Secundò, quia dicitur in his Actis, quòd Pontius mysterium Sanctissimæ Trinitatis clarè explicauerit Imperatoribus nondùm catechumenis.

4. Tertiò quia in eis narratur, quòd S. Fabianus, & S. Pontius templum Iouis cum omnibus eius sculptilibus funditùs subuerterint, idque à Cardinale Baronio monstretur nunquam factum fuisse.

5. Quartò quia dicitur in ijs, quòd sub Philippis Christianis per quatuor annos templa diruta sint, & post Philipporum mortem Gallus, & Volusianus Imperium susceperint: cum tamen constet, Philippos tantùm per duos annos post conuersionem superfuisse, & eisdem Decium successisse.

6. Ex his colligitur, auctorem Actorum recentiorem esse Eusebio; & ex stylo facilè patet, post sextum, aut septimum sæculum scripsisse.

1. EXtant Acta S. Pontij martyris, auctore, vt fertur, Valerio eius contubernali collecta, eaque edidit Tomo 2. Miscellaneorum Stephanus Baluzius, qui in notis ad vitam S. Pontij refutat Salmasium existimantem, vitæ illius auctorem esse Eutropium: *Falsam*, inquit, *esse illam doctissimi viri scriptionem*,

nem, docent varia loca eiusdem vitæ, ex quibus constat, eam scriptam esse à Valerio Pontij contubernali, & studiorum socio à prima adolescentia. Respicit hic Baluzius ad prologum vitæ, in quo auctor agit de corona martyrij, quam S. Pontius consecutus erat: *Ego*, inquit, *indignus tanta gratia, qui cum Dei martyre & nutritus sum, & studui, societatem verò eius martyrij non merui percipere, tamen confessione eius, & labore credo mercedem me à Domino accepturum, quia omnia, quæ de eo dicturus sum, testificor coram Christo, & angelis eius, & proprijs oculis vidi, & meis auribus audiui, & magnam partem cum eo, vt dixi, sustinui.* Quibus sanè verbis nihil expressius dici potuit, cum manifestè in ijs supponatur, Valerium S. Pontij socium, & contubernalem martyrij eius Acta conscripsisse. Sola quæstio est, an hæc verba ipsius Valerij sint, an alterius, qui sub nomine Valerij Pontij Acta edere voluit: multa namque sunt, quæ hac de re ambigendi rationem tribuunt.

2. Primò enim auctor Actorum bis Valerij mentionem facit; semel quidem, dum Pontij natiuitatem, adolescentiam, & studia describens, fatetur, eum matutino tempore Christianos, quibus S. Papa Pontianus præerat, psallentes audiuisse, & relictis pædagogis suis in vico, domum Christianorum ingressum esse, secumque assumpsisse *vnum adolescentulum*, qui cum eo studebat, *nomine Valerium*. Secundò meminit Valerij in epilogo, vbi ita habet: *Iuuenis quidam Valerius, qui cum eo fuerat nutritus, timens corpus eius metu gentilium auferre, per noctem in eo, quo iacebat, sepeliuit loco. Gesta verò martyris ab exceptoribus pecunia redimens, & secum tollens, reperta nauicula Lybiæ partes causa persecutionis declinauit.* Ex quibus colligi videtur, auctorem horum Actorum non esse Valerium, vtpotè qui Valerium illum à se diuersum exhibet, dum vocat *Iuuenem quendam*, & *vnum adolescentulum nomine Valerium*. Si enim hic Valerius ille idem fuisset, qui Pontij martyris contubernalis, & socius extiterat, non tantùm in præfatione, sed etiam in Actis dixisset, se illorum auctorem esse, seque eum Pontio Christianorum domum intrasse, ac gesta Martyris ab exceptoribus pecunia redemisse.

3. Secundò quia nonnulla reperiuntur in his Actis, quæ eorundem auctorem Pontio coætaneum non esse indicant. Tertio namque Christi sæculo seruabatur à fidelibus disciplina Arcani, quam vt suprà ex Actis S. Alexandri ostendimus, primitiui fideles ab Apostolis, & Apostoli à Christo acceperant. Egimus hac de re in Dissertatione contra Tentzelium, vbi ostendimus, vnū ex cap. 2. art. 1.

ex mysterijs, quæ gentilibus occultari solebant, fuisse mysterium Sanctissimæ Trinitatis; In his tamen Actis S. Pontius illud Philippis Imperatoribus adhuc gentilibus apertè, & clarè explicauit: ita enim habetur in Actis num. 10. *Rursumque* (S. Pontius) *addit: Pijssimi Imperatores ne seducamini in vanis poetarum figmentis. Vnus est Deus in cœlis pater omnium, qui cum Filio suo, & Spiritu sancto omnia, quæ fecit, sua potestate continet.* Clarius, vt puto, sacrosanctum fidei nostræ mysterium manifestari non poterat, quàm his verbis: Vndè & Imperator dixisse fertur numero 11. *Si vnus est Deus, quem in cœlis esse asseris, cur & filium habuisse commemoras?* Ad quę respondit S. Pontius vlteriùs explicans diuinum illud mysterium, quod iuxta disciplinam Ecclesiæ nequaquàm manifestari debebat; vnde minimè à Pōtio declaratum fuisse putarem: nisi certiùs aliundè constaret, eum Iustini Martyris exemplum imitatum, & quia de Imperatorum conuersione agebatur, nihil circa mysteria Catholicæ religionis occultandum existimasse, Epicheiæque regulā vsum fuisse.

4. Tertiò, quia in ijs quædam minùs verisimilia continentur. Narrant enim num. 13. *Alia verò die cum* (Beatus Pontius, & Fabianus Papa) *simul ad Principes venissent, & sacramenta eis diuina demonstrassent, baptismi gratiam consequuti sunt.* Et infrà: *In initio autem templum, quod magnum vocabant, ex iussione Imperatorum arripientes, Sanctus Fabianus, & Beatissimus Pontius, ac confringentes omnia eius sculptilia, simul cum templo funditùs subuerterunt.* Ad quæ vltima verba notat Eminentissimus Cardinalis Baronius anno 246. num. 10. *Quæ verò illic apponuntur de Iouis templo diruto à Philippo Imperatore, atque Fabiano Papa, ab alio aliquo potiùs fuisse addita putamus.* Ita Baronius in dubium vocans hanc historiam, de qua nemo antiquorum scriptorum mentionem facit. Quin imò cum Eutropius obseruet, Philippos post obitum inter Diuos fuisse relatos; colligit ex eo Baronius, sic illos fuisse Christiana religione initiatos, *vt tamen nullum ob eam causam negotium facessiuerint gentilitiæ superstitioni.* Quæ quàm aliena sint à destructione templorum, nemo non videt.

5. Quartò, quia asseruntur in ijs duo à veritate aliena, quorum alterum his verbis immediatè sequentibus continetur num. 14. *Ita factum est, vt omnis populus ad notitiam Domini nostri IESV Christi cum alacritate & gaudio concurreret, & baptismatis vnda perfusi Domino benedicerent. Nam vbi dæmonum templa destruebantur, ibi illicò Ecclesiæ consurgebant ..... Hoc autem factum est per annos quatuor: qui-*

quibus Philippi Christiani Imperatores Romanum populum continebant. Alterum illis verbis subsequitur num. 15. *Dominus autem volens Ecclesiam suam, vt aurum purissimum probare, paleas autem, & stipulas igne cremare, post Philipporum mortem permisit, vt imperium susciperent Gallus, & Volusianus filius eius*. Primus error consistit in eo, quòd per annos quatuor sub Philippis Christianis Imperatoribus fides publicè prædicata, & destructis Idolorum templis Christianorum Ecclesiæ ædificatæ fuisse dicantur. Enimuerò solùm quinque annis, vt statim probabimus, regnarunt duo Philippi, & vt Acta ipsa testantur, tertio Imperij eorum anno, expletus est millesimus annus ab Vrbe condita, quo & primum instrui cœperunt à B. Pontio, ita vt solùm duobus annis Christiani esse potuerint, adeóque verum non sit, quòd per annos quatuor sub Philippis Christianis Imperatoribus Idolorum templa destructa sint, & Christianorum Ecclesiæ ædificatæ. Secutus est hic auctor sententiam Eusebij, qui septem annos Philippo tribuit, vnde auctorem post Eusebium scripsisse, vix dubium esse poterit. Secundus error consistit in eo, quòd post Philipporum mortem dicantur Imperium suscepisse Gallus, & Volusianus: post Philippos enim orbis Romani regimen suscepit Decius, qui duobus Imperij annis adeò crudelem persecutionem mouit, vt, si post Philipporum imperium describenda erat persecutio, Decij imperium in exemplum adduci debuisset; & tamen omissa Decij mentione, auctor Actorum Volusiani & Galli persecutionem adducit.

6. Et ex his quidem Pontij Actis satis supérque constat, nonnulla ijs inesse, quæ indicant, auctorem illorum non fuisse Valerium Pontij contubernalem, sed alium, qui post tempora Eusebij Pamphili vixit; quo autem tempore, incertum nobis est, nec aliundè, quàm ex disciplina Arcani, quæ sexto sæculo in Occidente desijt, & ex stylo, qui septimum, aut octauum sæculum sapit, conijci potest. Stylus enim ab antiquioris æui tempore toto cœlo discrepat, & phrases ac tituli nonnulli in Actis illis reperiuntur, quæ sæculum forsan nonum accusant. Quod enim Pontius ipse Christianissimus, & omnium diuinarum literarum doctissimus dicatur, nemo non videt ad octauum, vel nonum sæculum spectare.

AR-

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Acta S. Pontij Martyris rectè annum ab Vrbe condita millesimum cum anno tertio Philippi componant.

1. Referuntur ex Actis S. Pontij, quæ de anno Vrbis conditæ millesimo, ludis & spectaculis à Philippo celebratis continent.

2. Eadem confirmantur testimonijs Eutropij, Eusebij, & Iulij Capitolini, qui vltimus affirmat, ludos anni millesimi celebratos fuisse Consulatu duorum Philipporum.

3. Ex Capitolini testimonio corrigitur Cassiodori chronicon in aliquibus editionibus; in quibus annus millesimus Consulatu Æmiliani & Aquilini minùs rectè collocatur.

4. Onuphrij Panuinij sententia, & inscriptio expenduntur, & annum millesimum, à Palilibus Consulatu Philippi II. & Philippi inchoasse monstratur.

5. Nummi cum feris pro ludis sæcularibus Philipporum sine Consulatu III. cusi sunt, & ad Consulatum Philippi II. & Philippi spectant.

6. Nummi cum Consulatu III. Philippi patris, & Consulatu II. Philippi filij cusi Columnam in postica continent, quæ in memoriam ludorum sæcularium ad finem anni millesimi cusi sunt.

7. Adseruntur duo nummi, in quibus annus III. Tribunitiæ potestatis Philippi patris designatur, & cum Consulatu ipsius II. coniungitur, qui ad inaugurationem Decij iunioris spectant, & non ad ludos sæculares anno Vrbis 1000. celebratos, vt testimonio fastorum Bibliothecæ Cæsareæ comprobatur.

8. Ex quibus omnibus ostenditur, auctorem Actorum Pontij Martyris minùs rectè, annum tertium Imperatoris Philippi statuisse anno Vrbis millesimo; qui à Palilibus seu XI. Kal. Maij duobus mensibus post expletum annum tertium Philippi patris inchoatus fuit.

1. Qvamuis superiori Articulo monstratum sit, auctorem Actorum S. Pontij non fuisse Valerium contubernalem eius, Actaque illa nonnulla contineant à veritate prorsus aliena; non obindè tamen tota hæc Pontij Acta tanquam falsa abijcienda sunt; cum in illis quædam reperiantur, ab auctore ex antiquis scriptoribus, vel veris Pontij Actis desumpta, vti articulo sequenti monstrabimus. Hoc autem articulo inquirendum est, an vera sint, quæ de anno 1000. Vrbis conditæ, & anno Philippi tertio narrantur, his verbis: *Temporibus Philippi Imperatoris, qui cum filio Philippo Romanum regebat Imperium: fuit his Philippis amicus beatus Pontius Christianissimus, & omnium diuinarum literarum doctissimus; cumque gratia indiuidua in eis esset, tertio Imperij eorum anno expleto millesimo anno à conditione Romæ, cum Dijs suis sacrificandum pergere vellent, dicunt Beato Pontio: Eamus, & repropitiemus nobis Deos magnos.* Ita Pontij Acta iuxta editionem Baluzij, qui ad illa verba, *Expleto millesimo anno*, notat: *In Codice Regio, & in duobus Colbertinis scriptum est: Ipse est millesimus an-*

annus. Quæ lectio magis congruit iis, quæ in Actis cap. 12. sequuntur de spectaculis, quæ Imperatores *pro conclusione millesimi anni, quo natalem Vrbis celebrabant, fieri imperauerunt*. His enim verbis innuitur, non post annum millesimum expletum, sed ipso anno millesimo spectacula celebrata fuisse.

2. Extant complura antiquorum testimonia de spectaculis, quæ anno millesimo Vrbis conditæ à Philippo patre & Philippo filio celebrata sunt. Eutropius enim lib. IX. cap. IV. de Philippis scribit: *His imperantibus millesimus annus Romæ Vrbis ingenti ludorum apparatu, spectaculorumque celebratus est*. Et ante Eutropium, Eusebius in Chronico: *Regnantibus Philippis millesimus annus Romanæ Vrbis expletus est, ob quam solemnitatem innumerabiles bestiæ in circo magno interfectæ; ludique in Campo Martio theatrales tribus diebus, ac noctibus populo peruigilante celebrati*. Et ante Eusebium Iulius Capitolinus in Gordiano Tertio cap. 33. *Fuerunt sub Gordiano Romæ elephanti triginta, & duo, quorum ipse duodecim miserat, Alexander decem; alces decem, tigres decem, leones mansueti sexaginta; leopardi mansueti triginta; belbi (id est, hyenæ) decem; gladiatorum fiscalium paria mille; hippopotamus, & rhinoceros vnus; arcboleontes decem; camelopardi decem; onagri viginti; equi feri quadraginta, & cætera huiusmodi animalia innumera, & diuersa: quæ omnia Philippus ludis sæcularibus vel dedit, vel occidit. Has autem omnes feras mansuetas, & præterea efferas parabat ad triumphum Persicum; sed votum publicum nihil valuit. Nam omnia hæc Philippus exhibuit sæcularibus ludis, & muneribus, atque Circensibus, quum millesimum ab Vrbe condita annum in Consulatu suo, & filij sui celebrauit*. Vbi Iulius Capitolinus non modò asserit, annum millesimum incidisse in tempora Philipporum; sed etiam in ipsorum Consulatum: *in Consulatu suo, & filij sui*. Porrò duplex tantùm Philipporum Consulatus reperitur in fastis; quorum alter cum anno æræ vulgaris 247. alter cum anno 248. eiusdem æræ concurrit: adeò vt necessariò annus Vrbis millesimus in alterutrum prædictorum annorum incidat.

3. Atque ex his patet, magnum errorem, aut mendum irrepsisse in omnes ferè editiones Chronici Cassiodori, quæ annum millesimum Vrbis conditæ ad alium Consulatum referunt his verbis: *Aemilianus, & Aquilinus. His Coss. millesimus annus Vrbis Romæ expletus est, ob quam solemnitatem innumerabiles Philippus cum filio suo bestias in Circo magno interfecit, ludosque in Campo Martio theatrales tribus diebus, ac noctibus popu-*

lo peruigilante celebrauit: quadraginta etiam missus Natali Romanæ Vrbis concurrerunt, & agon mille annorum actus. Cum enim, Capitolino teste, ludi sæculares, qui anno millesimo Vrbis celebrati sunt, in Consulatum duorum Philipporum incidant, nequaquàm Consulatu Aemiliani & Aquilini ponendi sunt, sed alterutro ex duobus Consulatibus, quos Cassiodorus ipse ante Aemilianum,& Aquilinum sic recenset:*Philippus II. & Philippus: Philippus III. & Philippus II.* Consulatu igitur Philippi II. & Philippi, qui cum anno 247. vel Consulatu Philippi III. & Philippi II. qui cum anno 248. concurrit, recensendum erat, quod de anno Vrbis millesimo, & ludis eo anno exhibitis Cassiodorus commemorat, cuius Chronicon hoc loco mendosum esse, facilè colligi potest ex annis Imperatoris Philippi ibidem indicatis: attribuit enim Philippo annos sex Imperij, quos inchoat Peregrino & Aemiliano Coss. à quorum Consulatu vsque ad Consulatum Decij II. & Etrusci, quo Philippi mortem ponit, octo consulatus,id est totidem anni enumerantur. Et hæc dicta sint contra illas Cassiodori lectiones, quæ iam inde ab anno 1558. in Onuphrij editione vsque ad nostram ætatem in nouissima editione F. Garetij Rotomagi an. 1679. reperiuntur. Ob quarum correctionem M.SS. Codices consulendos esse censui, ratus ex illis errorem de ludis sæcularibus tempore Philippi celebratis corrigi posse. Diligenter proinde illos requisiui in Bibliothecis Altempsiana nunc Ottobona, Barberina, Regia, Alexandrina, Vrbinatensi, Palatina, & Vaticana: sed, quod quis iure miretur, ne quidem vllum istius Chronici exemplar M. S. in illis reperi. Dum tamen anxius de emendatione huius Chronici hæreo, occurrit editio anno 1553. cum commentarijs Cuspiniani publici iuris facta, in qua ludi sæculares ponuntur non quidem ad Consulatum Aemiliani & Aquilini, sed ad Consulatum Philippi II. & Philippi, qui est ipse Consulatus, quo nos ex Capitolini testimonio ludos sæculares Philippi collocandos esse censemus: adeò vt ex hac Cuspiniani lectione, quæ est antiquissimi codicis Manuscripti, omnis difficultas soluatur, & anachronismus, qui in recentioribus editionibus Cassiodoro tribuitur, facili negotio corrigatur.

4. Porrò obseruandum cum Panuinio libro de Ludis sæcularibus, quòd illis completis ara Terentina Diti Patri, & Proserpinæ antiquitùs à Romanis consecrata, quæ egestis ruderibus primo die aperiri consueuerat, rursum terra obducta operiebatur: consuetum autem fuisse, vt hi Consules vel Imperatores, sub quibus Ludi facti erant, nomen

suum

suum aræ cuidam inscriptum cum ordine rei gestæ, temporeque, in Terento collocarent, quæ aræ etiamnum in antiquis Augusti, Domitiani, Seueri, & Philipporum nummis videntur, ex quibus Onuphrius hanc inscriptionem refert.

IMPERATOR. CAESAR. M. IVLIVS. PHILIPPVS. P. F
AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS
TRIB. POT. V. COS. III. P. P. IMP. ET
IMP. CAES. M. IVLIVS. AVG. FIL. PHILIPPVS. P. F. AVG
PONT. TRIB. POT. II. COS. II. EX. S. C.
LVDOS. SAECVLARES. FECERVNT. ANNO. POST. VRBEM
CONDITAM. M
IMP. CAES. PHILIPPO. AVGVSTO. PATRE. III. ET
IMP. CAES. PHILIPPO. AVG. F. AVGVSTO. II. COS

Vbi ludos sæculares coniungit cum anno V. Tribunitiæ potestatis Philippi patris, qui annus à mense Martij eiusdem Consulatus III. cœpit, sic vt per duos ferè menses cum anno millesimo concurrerit; millesimus enim ab Vrbe condita annus finem habuit XI. Kal. Maij, cum Consulatu Philippi II. & Philippi eodem mensis die initium sumpsisset. Ab illo autem die annos Vrbis computari consueuisse, testem habemus Varronem; & ratio manifesta conuincit, cò quòd Romulus illo die Vrbem fundauerat, à quo proinde anni Vrbis computari debebant. Solebant autem illo die Palis Deæ festa à pastoribus celebrari, quæ Palilia vocata sunt: vnde Prop. lib. 4.

Vrbis festus erat, dixere Palilia Patres.

Quarè anni Vrbis à Palilibus significant, illos ab XI. Kalendas Maij incipere, & cum Kalendis illis finem accipere, sicque annum millesimum, vt iam diximus, computari debere. Hoc autem semel rectè obseruato, concordabunt omnia numismata, quæ de *Ludis sæcularibus*, *Sæculo miliario*, & *Sæculo nouo* sub Philippis cusa sunt cum *Consulatu II.* & *III.* ac diuersis *Tribunitiæ potestatis* annis, vt ex nummis ipsis, quos vidi, aut legi, monstrabo.

5. Adferuntur si quidem in Occone nouissimæ editionis nonnulli Philippi nummi cum feris, & Consulatu eius III. vnde plerique existimarunt, ludos sæculares Consulatu dumtaxat prædicto celebratos fuisse. Verùm error hic ex nummis ipsis corrigendus est; habeo namque penès me duos nummos Philipporum; alterum quidem Philippi patris cum ceruo, & inscriptione *Sæculares Augg.* alterum verò Philippi filij cum alce, & eadem inscriptione

Seculares Augg. illique nullum Consulatum exhibent. Vndè quisque facilè agnoscet, verum esse, quod V. Cl. Antonius Pagius in Dissertatione Hypatica coniecit, errorem aliquem subesse debere, & Consulatum tertium in similibus nummis nequaquam reperiri. Vt autem hac de re certior fierem, nulli peperci labori; sed Indicem thesauri Reginæ Christinæ hoc anno typis in Vrbe editum peruolui: apud Virum Clarissimum Reginæ, dum viueret, Bibliothecarium Ioannem Petrum Bellorium correctiorem ipsius Indicem Manuscriptum, & ipsa numismata typis edita, quorum tria tantùm exemplaria reperiuntur, consului: omniaque Philipporum numismata cum feris, sine vlla Consulatus nota, reperi. Neque his contentus, Indicem numismatum Eminentissimi Cardinalis Barberini, & nummorum Ducis Arscotani perscrutatus sum: & in illis omnes nummos Philipporum patris, & filij, & Otaciliæ Augustæ, in quibus leo, ceruus, hippopotamus, & alces exhibentur, sine vllo Consulatu reperi, prout eos absque Consulatu edidit Angelonus. Hinc patet, ex similibus nummis cum tertio Consulatu apud Occonem editis nullum argumentum desumi posse, quo millesimus Vrbis annus tertio Philippi patris Consulatu signatur; sicut nec desumi potest ex nummis eiusdem Imperatoris, vel eius filij, aut vxoris Otaciliæ, qui *Miliarium sæculum* absque vlla Consulatus mentione exhibent, & quorum plurimi apud omnes numismatum studiosos reperiuntur.

6. Reperitur tamen in ditissima Gaza Barberina Philippi patris nummus æneus maioris moduli, in cuius postica *Miliarium sæculum* legitur cum *Consulatu III.* Sed notandum quammaximè, Consulatum illum aræ, cippo, siue columnæ incisum esse: dum enim hæ paginæ typis describendæ erant, opportunè mihi oblatus est nummus pulcherrimus, & verè antiquus, in cuius antica caput Philippi patris cum his verbis: IMP. M. IVL. PHILIPPVS AVG. & in postica columna cum *COS. III.* & inscriptione MILIARIVM SAECVLVM ex S. C. Porrò alij nummi Philippi patris cum ara, cippo, aut columna illa, & Consulatu III. ac inscriptione *Sæculares Augg.* apud omnes rei nummariæ studiosos similes reperiuntur: & ne vllum de Consulatu dubium maneat, extant in thesauris Reginæ Sueciæ, & Eminentissimi Cardinalis Barberini nummi Philippi iunioris cum eadem columna, & inscriptione: *Sæculares Augg.* ac *Cos. III.* Ex quibus manifestè quidem patet, hos nummos Consulatu Philippi patris III. & Philippi filij II. qui cum anno 248. concurrit, cusos fuisse; sed dum annus millesimus expletus erat, adeo-

adeòque circà XI. diem Kalendas Maij, quo Ara, seu Cippus terræ obductus in Terento collocabatur, ex Senatus Consulto cusi sunt: ad quod tempus etiam spectant nummi apud Occonem, qui habent *Millenarium sæculum* cum Consulatu in corona, & nummi illi, qui continent *Sæculum nouum* cum Consulatu Philippi tertio. Sæculum enim nouum, indicat annum 1001. quo aliud sæculum incœpit, non annum 1000. quo vetus sæculum adhuc durabat. Vndè manifestè colligitur, eodem Consulatu tertio Philippi millenarium sæculum, & sæculum nouum concurrisse: quod nulla alia ratione intelligi potest, quàm sæculum miliarium, siue annum ab Vrbe condita millesimum vsque ad diem XI. Kal. Maij celebratum fuisse, & post diem illum eodem Consulatu tertio Philippi sæculum nouum, seu annum 1001. cœpisse.

7. Porrò nequaquam omittendi sunt nummi alij Philippi, qui magnum quandoque dubium mihi mouerunt. Inter nummos enim Eminentissimi Cardinalis Carpinei editus est vnus, in cuius antica visitur caput Philippi patris cum Otacilia, & Philippo filio, ac inscriptione *Concordia Augustorum*: in postica ijdem Philippi cum Otacilia sedentes, ac plerique alij stantes, & de liberalitate Augustorum participantes cum inscriptione: *P. M. TR. P. III. COS.* id est: *Pont. Max. Tribunitiæ Pot. tertiùm Consul.* Vir quidam eruditus, cum nummum hunc inspiceret, credebat, eum ad ludos sæculares tertio Philippi Consulatu celebratos spectare: verùm III. in nummo expressum non refertur ad *Consulatum*, sed ad *Tribunitiam Potestatem*, vt cuique pleniùs hunc nummum consideranti facilè patebit. Non solum enim locus post COS. vacuus indicat, notam numeralem Consulatus temporis iniuria expunctam esse; sed annus Tribunitiæ potestatis Philippi tertius, qui cum anno Imperij eius tertio concurrit, in Consulatum eius II. incidit, vt fide alterius nummi, quem Octauianus Strada in elegantissimo codice M. S. Bibliothecæ Regiæ Alexandrinæ exhibet, quemque in Compendio eiusdem libri anno 1629. Francofurti edidit, apertè monstratur: nummus enim hic Philippi senioris vultum in antica exibet his verbis: IMP. CAES. M. IVL. PHILIPPVS AVGVST. in postica verò duos Philippos Imperatores cum tribus Senatoribus ex vtraque parte ante triumphales arcus sedentibus, ac plerisque congiarium accipientibus, & inscriptione: P. M. TR. POT. III. COS. II. PP. id est *Pont. Max. Tribun. Potest. III. Consul. II. Pater Patriæ.* Congiarium itaque à Philippo patre distributum fuit anno Tribunitiæ ipsius Potestatis III. Consulatus II.

& à

& à Philippo filio anno Imperij, & Consulatus ipsius primo, ante Kalendas Martias, quibus Philippus quartum Tribunitiæ potestatis, vti & Imperij annum inchoabat. Vndè patet, hos nummos non ad ludos sæculares, sed ad congiarium in auguratione Philippi iunioris spectare, vt rectè Pagius in Critica Baronij ad annum 249. obseruat.

Pagio 247. nu. 3.

8. Restat itaquè, annum Vrbis millesimum concurrere cum Consulatu Philippi II. & Philippi, ab vndecimo Kal. Maij, & Consulatu Philippi III. & Philippi II. vsque ad eumdem diem; rectèque in fastis Consularibus tempore Constantij Imperatoris conscriptis, & à nobis in huius Operis Appendice cum nummis ipsis edendis, annum Vrbis millesimum collocari. Ita enim in illis Norisius: *Annus Vrbis* 1000. *Philippo II. & Philippo*. Quod ipsum agnouit Antonius Pagius, qui initium anni millesimi prædicto Consulatu consignat, quod alij communiter Consulatu Philippi III. collocant. His autem tot nummorum fide firmatis ad Acta S. Pontij martyris redeamus, in quibus refertur, quòd tertius Philippi annus incidat in annum Vrbis conditæ millesimum. Philippus anno Vrbis conditæ 997. æræ vulgaris 244. Peregrino & Fuluio Aemiliano Consulibus, Kalendis Martij, quibus Gordianum occidit, Imperium inuasit, à quo die vsque ad diem primum Martij æræ vulgaris 247. & Consulatus Philippi II. ac Philippi, expleti sunt anni tres Imperij, adeò vt annus Philippi patris III. per duos menses finitus fuerit, antequàm annus millesimus Vrbis inchoatus fuit. Ex quibus patet, auctorem Actorum S. Pontij, si non veritatem ipsam attigerit, haud procul abfuisse, dum anno tertio Philippi patris annum ab Vrbe condita millesimum collocat, quem quarto Philippi anno collocare debuerat.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quòd Pontij Acta rectè exhibeant ordinem, & tempora, quibus Pontianus, Antherus, & Fabianus sederunt sub Philippis, & Decio Romanis Imperatoribus.

1. *Rectè in Actis Pontij traditur ordo, quo Pontianus, Antherus, & Fabianus sibi inuicem successerunt, ac vnius mensis tempus, quo Antherus sedit.*

2. *Circa Fabianum conueniunt omnes, quòd vsque ad annum 13. vel 14. Pontificatus peruenerit, & sub Decio martyrij coronam adeptus sit. Id autem contigit initio persecutionis Decianæ, anno 250. die 20. Ianuarij, vt ex antiquis Martyrologijs constat, quibus concinit antiquissimus Catalogus, dum Fabianum vsque ad Decium 2.*

&

& Gratum peruenisse affirmat.

3. *Baronij sententia de illo Consulatu in annum 253. reijciendo, Cassiodori & anti-qui monumenti Veronensis testimonijs nixa adducitur, & quòd ex illis septem annos Imperij Philippis tribuerit, monstratur.*

4. *Inscriptio monumenti Veronensis expenditur, & recentiorem ætatem sapere, ex inserto illi anno Christi probatur. Pro annis quinque Philipporum adducitur Eutropij testimonium ex M.S. Vaticano, & conueniunt Aurelius Victor in duplici editione, & Ludolfus Sagax in M.S. Catalogo Imperatorum.*

5. *Manet itaque, Philippum non nisi annos 5. regnasse; quod ex inscriptionibus Tribunitiæ potestatis comprobatur.*

6. *Ex quibus quoquè ostenditur, Fabianum obijsse anno 250. die 20. Februarij, postquàm Philippus anno antecedenti defunctus esset.*

1. CVm superiori articulo expenderimus, an auctor Actorum Pontij Martyris rectè annum millesimum Vrbis conditæ anno tertio Imperatoris Philippi consignarit: restat inquirendum, an rectè Romanorum Pontificum ætatem cum Imperatorum temporibus combinarit, eorumque ordinem statuerit. Scribit autem de Pontificibus cap. 9. *S. Papa Pontianus gloriosa morte migrauit ad Dominum: post quem Antheros præfuit Ecclesiæ mense non ampliùs vno; deindè Fabianus in pontificatum succedens &c.* Ordinem Episcoporum sibi succedentium rectè auctor annotat, & tempus, quo Antherus Ecclesiæ præfuit, affirmat non excessisse mensem vnum. Secundus Catalogus tempore Iustini Imperatoris conscriptus, alijque Catalogi Corbeiensis, & Vaticani, quos secutus est auctor libri Pontificalis, tribuunt Anthero *annos* 12. *mensem* 1. *dies* 12. Verùm M.S. exemplar Vaticanum Anastasij omittit annos 12. & solùm habet *mensem vnum, dies duodecim:* prout etiam habet Catalogus Corbeiensis Vigilij Papæ temporibus concinnatus, quibus concordat antiquissimus Catalogus tempore Liberij conscriptus, in quo habetur; *Antheros mense vno, diebus decem.* Idem omninò habet Eusebius in Chronico: *Antherus XVIII. Romæ Episcopus ordinatur mense vno.* Et in historia lib. 6. cap. 29. *Antherus cum mensem vnum non ampliùs ministrasset, Fabiano Sacerdotium reliquit.*

2. Anthero successisse Fabianum tradit Eusebius, & auctor Actorum affirmat, Philipporum Imperium in Fabiani tempora incidere: qua de re adeò conuenit inter omnes ferè antiquos, & recentiores scriptores, vt vix in vno anno differant. Fabianum enim ad decimum quartum Pontificatus annum peruenisse, testantur veteres Catalogi, quos secutus est auctor antiquus in Gestis Pontificalibus. Eusebius ei tredecim dumtaxat annos tribuit, cui adstipulatur S. Prosper in Chronico integro per Labbeum publicato ad Consulatum Perpetui & Corneliani, qui in æram 237. incidit, adeò vt Fabianus

vsque

vsque ad annum 250. peruenerit, cum iam anno antecedenti Philippus occubuisset, & post Philippi obitum Decius Imperium suscepisset. Fabianum autem initio Decianæ persecutionis martyrij coronam adeptum fuisse, constat ex pluribus antiquissimorum scriptorum testimonijs. Cum enim testetur Eusebius in Chronico, Decium ob odium Philipporum in Christianos persecutionem mouisse, addit D. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 54. in Origene: *Quòd etiam Fabianus Romanæ Ecclesiæ Episcopus in ipsa occubuerit.* Auctor Chronici Alexandrini omnium clarissimè: *Decius Imperium à Christianorum cæde exorsus Flauianum* (lege *Fabianum*) *Pontificem Romanum religionis causa occidit.* Vnde Rabanus Maurus in Martyrologio: *Passus est martyrium tempore Decij*: & Notkerus ad XX. Ianuarij: *Passus est tempore Decij*; & auctor libri Pontificalis: *Sedit vsque ad Decium secundùm & Quadratum.* Quam Consulatus notam desumpsit ex Catalogo tempore Iustini Imperatoris concinnato, in quo Quadrati quoquè nomen erroneè habetur, cum ponendum sit *Grati*, vt habet antiquissimus Catalogus tempore Liberij Papæ conscriptus: *Vsque Decio 2. & Grato*, qui Consulatus reperitur in fastis, & concurrit cum æra 250. qua S. Fabianus die 20. Ianuarij martyr occubuit, & non æra 253. sub Consulatu *Decij, & Etrusci*, vt Eminentissimus Cardinalis Baronius credebat.

3. Adducit quidem Annalium parens pro sua chronologia ad annum 253. nonnulla, quæ hic paucis examinanda sunt. Putat enim anno 253. Consules fuisse Decium seniorem, & Iuniorem, qui & Etruscus dictus est, & Consulatum Decij 2. ac Grati suffectum esse. *His* (*Decio & Etrusco*) *Consulibus*, inquit Cassiodorus, *Philippus senior Veronæ, Romæ verò iunior occiditur. His successit Decius*, qui mox Decium filium Cæsarem dixit. De neçe Philipporum hoc anno vetus extat monumentum Veronæ (vbi senior necatus est) his verbis conscriptum: *Anno Christi 253. Imperator Diuus Philippus senior Veronæ, & Romæ iunior à satellitibus interficiuntur. Veronæ* (inquit Eminentissimus Baronius anno 253. num. 2.) *iuxta portam Bursaream in domo olim Cathaneorum. Descripsit illud quoquè Adolphus in libro de Imperatorum Romanorum numismatibus, & alij: sed à Panuinio licèt Veronensi ciue est prætermissum, quòd suis videretur aduersari Fastis, in quibus Philipporum obitus ab eo ponitur anno Christi 250. Porrò eiusmodi inscriptioni tum septem Consulatus positi in fastis Cassiodori sub Philippo consentiunt, tum numerati ab* Euse-

Eusebio anni septem eius Imperij, & deducta ab eodem annorum Christi chronographia, qua æquè ponitur hic annus à nato Christo 253. Quibus videas, cum pluribus alijs, cum his de præsenti anno adductis exemplis, initam à nobis Christi annorum rationem assertam, atque firmatam. At etiam Paulus Orosius, cum tradit, occisos esse Philippos, & subrogatum Decium anno millesimo quarto ab Vrbe condita, huic nostræ chronographiæ positæ suffragatur. Sic itaque omni genere chronologiæ nempè Christi annis, Imperatoris, Vrbis, atque Consulibus, hoc anno occisos esse Philippos, & Decium imperare cœpisse, habetur expressum. Huc usque Annalium parens Baronius, qui nobiscum admittit, Fabianum Papam in persecutione Deciana occubuisse, solùmque differt in initio Deciani Imperij certæ æræ assignando.

4. Præcipuum autem Baronij fundamentum est vetus inscriptio Veronensis, quam tamen fatetur ab Onuphrio Panuinio omissam, & meo quidem iudicio rectissimè; cum ex ipsa inscriptione constet, illam recentioris æui esse, & nequaquàm ad veterum ætatem spectare. Exhibetur namque in ea annus natiuitatis Christi, à qua non nisi post Dionysium Exiguum annos computare cœperunt Christiani, & vix ante tempora Caroli Magni reperies vllum monumentum publicum, in quo æra natiuitatis Christi commemoratur; adeò vt planè constet, inscriptionem Veronensem recentioris æui esse, & ideò ab Onuphrio Panuinio omissam. Cum itaque præcipuum Baronij fundamentum de anno Christi antiquorum testimonio destitutum sit; discutiendæ sunt reliquæ temporis notæ, quæ ex anno 1004. Vrbis conditæ, annis septem Imperij Philippi, totidemque Consulatibus in eiusdem Imperio occurrentibus desumptæ sunt, quas omnes vnico Eutropij testimonio infirmare possumus. Hic siquidem auctor in M. S. Codice Palatino-Vaticano literis longobardicis conscripto habet libro 10. *Anno ab Vrbe condita 997. Marcus Iulius Philippus 27. ab Augusto vnà cum filio Gaio Iulio Saturnino Philippo Imperium inuasit ..... His tertio anno imperantibus millesimus annus Vrbis Romæ ingenti ludorum apparatu, spectaculorumque celebratus est. Ambo deinde ab exercitu interfecti sunt; senior Philippus Veronæ medio capite supra ordines dentium præciso; iunior Romæ, postquàm annos quinque imperauerunt. Inter Diuos tamen relati sunt.* Hæc Eutropius in historia, quam vsque ab obitum Iouiniani Imperatoris, sub quo scripsisse videtur, perduxit, quamque Paulus Diaconus vsque ad Imperium Iustiniani Imperatoris, & Landolphus Sagax vsque ad annum 806. vt initio codicis

annotatur, prosecuti sunt. In primis autem notandum est, quòd Eutropius Philippi initium ponat anno ab Vrbe condita 997. quod cum omnibus historijs, & actis conuenit, in quibus millesimus Vrbis annus cum tertio Philippi Consulatu componitur. 2. notandum, disertè ab Eutropio affirmari, Philippos occisos fuisse, postquàm annos quinque imperauerunt, adeòque non anno Vrbis conditæ 1004. vt ex Orosio affirmat Baronius, sed anno 1002. Annis igitur quinque, & non pluribus Philippos regnasse, contra Eusebium testatur Eutropius, cuius sententiam præclarè confirmat Sextus Aurelius Victor, qui paulò post Eutropium sub Theodosio Imperatore scripsit. Libro enim de Cæsaribus refert in vita Philipporum: *Annos potentiæ quinque egère*. Et excerpta ex libris eius, quæ Andreas Schottus ex tribus M. SS. codicibus emendatiora edidit: *Marcus Iulius Philippus imperauit annos quinque*. Idem omninò habet Landolphus Sagax in Catalogo Imperatorum, quem Historiæ suæ in Manuscripto codice Palatino-Vaticano superiùs laudato subiecit. Ibi enim legitur: *Philippus annos quinque*.

5. Non regnauit itaque Philippus annis septem, vt Eusebius, & post eum plerique scriptores Ecclesiastici Græci & Latini crediderunt, sed tantùm annis quinque, quibus aliquot menses addendi sunt, ab auctoribus prophanis omissi: ijs tamen efficitur, vt Imperium Philippi ad sex Consulatus pertingat, quorum primus per aliquot menses inchoatus erat, vltimus nondùm completus. Conueniunt inscriptiones Tribunitiæ potestatis, vt nuper his verbis in Annalibus Cyprianicis Ioannes Cestriensis annotauit: *Inscriptiones plurimæ* δημαρχικῆς ἐξουσίας, *&* T R. P. *clarè spectant annum* 244. *Peregrino, & Aemiliano Coss. quo Philippus Imperator, sed nondum Consul fuit, nisi designatus. Ad quod tempus referri debet inscriptio Africana apud Falckonerium*: Imp. Cæsar M. Iulius Philippus inuictus, pius, felix, Aug. Pont. Max. Trib. Pot. Cos. Desig. *T R. P. Cos. ante mensem Martium anni* 245. *quo Consul cum Titiano fuit. T R. P. II. Cos. ante Martium anni* 246. *quo Præsens, & Albinus Coss. fuere. T R. P. III. Cos. II. ante Martium anni* 247. *ipso secundùm, & Philippo iuniore Coss. T R. P. IV. Cos. III. ante Martium anni* 248. *ipso tertiùm, & Philippo iuniore secundùm Coss. T R. P. V. Cos. III. post Martium eiusdem anni* 248. *T R. P. VI. Cos. III. post Martium anni* 249. *Aemiliano, & Aquilino Coss. Nec vlteriùs nummi progrediuntur, neque septimus Tribunitiæ potestatis annus vllibi Philippo tribuitur. Idem etiam demonstratur ex nummis Philippi iu-*

nio-

nioris, *qui tertio Imperij patris sui anno & Augustus*, *& Consul factus est*. *Vndè legimus*: *M. Iulius Philippus TR.P. Cos. anno scilicet* 247. *& rursùs*: *TR.P. II. Cos. II. anno* 248. *rursusque TR.P. III. Cos. II. anno* 249. *Aemiliano*, *& Aquilino Coss. Neque vlteriùs eius nummi progrediuntur*.

6. Ex his, ni fallor, satis superque constat, Philippos solummodò quinque annos regnasse, & anno 249. decessisse post mensem Iunij, cum lib. 8. Codicis Iustinianei tit. 56. de reuoc. donation. lege 1. extet constitutio Imperatoris Philippi *A. Cosmino datâ* 15. *Kal. Iulij Aemiliano*, *& Aquilino Coss.* Patet quoquè, S. Fabianum nonnisi anno sequenti obijsse: cum enim omnes scriptores fateantur, eum initio Decianæ persecutionis martyrio coronatum fuisse, & Decius solummodò post Philippi obitum Imperium inuaserit, ac edictum contra Christianos publicarit; necesse est, persecutionem Decianam cœpisse circa finem anni 249. in qua Fabianus anno sequenti 20. Ianuarij occubuit, vt ad illum diem testantur omnia antiqua Martyrologia, quibus accedit vetus martyrum depositio: *Decimo tertio Calendas Februarij Fabiani in Calisto*. Et clariùs antiquus Romanorum Pontificum Catalogus tempore Liberij Papæ exaratus: *Fabianus fuit temporibus Maximini*, *Gordiani*, *& Philippi*, *à Consulatu Maximini*, *& Africani*, *vsque Decio* 2. *& Grato*, *passus XIII. Kal. Februarij*. Secundus Decij & Grati Consulatus incidit in annum 250. cuius primo mense Fabianus occubuit, & non anno 253. vt in Annalibus annotatum fuit.

CAPVT SEXTVM.

De Actis martyrij Cornelij Papæ, eiusque, & Lucij temporibus.

1. *Adferuntur Acta martyrij Cornelij Papæ, & martyris ex antiquo M.S. Codice Vaticano.*

2. *His Actis pro Martyrologijs suis vsi sunt Notkerus, Rabanus, & Beda, earumque partem descripsit auctor libri Pontificalis: scripta tamen sunt post tempora Leonis Magni, vt ex ipso libri Pontificalis auctore colligitur.*

3. *Acta illa in dubium vocarunt auctores grauissimi ob temporum, quæ referunt, anachronismum, vtpotè quæ sub Decio ponunt, quæ post Decium in eius persecutione contigerunt.*

4. *D. Hieronymus, qui sibi contradicere videtur circa tempus martyrij Cornelij Papæ, ex prædicta distinctione inter Decij persecutionem, & Decij ætatem conciliatur.*

5. *Cornelius post Decium superstes fuit, vt ex D. Cypriano ostenditur, qui indicat, Cornelium quidem à Decio in exilium Centumcellas missum fuisse, ibi tamen sacerdotali constantia tyrannum superasse.*

6. *Confirmantur hæc ipsa plerisque alijs testimonijs, quibus refutatur auctor primi Catalogi, qui Cornelium Centumcellis in-*

exilio obijsse putauit.

7. Romæ enim Cornelium martyrij palmam adeptum fuisse die XVIII. Kal. Octobris, ex D. Hieronymo, Calendario Carthaginiensi, Actis D. Cypriani, & auctore secundi Catalogi stabilitur.

8. Annus autem, quo Cornelius martyrio coronatus est, statuitur 251. dum Iulius Valens Romæ imperium inuasit, quo tempore Decius annum imperij vltimum agebat.

9. Confirmatur hoc ipsum ex tempore, quo Fabianus occubuit, & sedes Apostolica post Fabiani obitum vacauit: pro qua re V. Cl. Papebrochij sententia adfertur.

10. Idem stabilitur ex tempore, quo Cornelius Pontificatum tenuit, ac ætate Imperatorum Galli, & Volusiani, sub quibus occubuit.

11. Lucium Cornelio successisse, & non quidem tribus annis, sed octo mensibus dumtaxat Pontificatum tenuisse, ex varijs antiquorum testimonijs monstratur.

1. PErplexa planè res est, de gestis Cornelij Papæ iudicium ferre, cum circa illa quę etiamnum extant martyrij ipsius Acta, dissentiant periti; quibusdam illa antiqua esse, alijs à recentioris æui auctore conscripta esse, existimantibus; quibus vltimis forsan consentit Surius, dum ijsdem omissis illa dumtaxat inter sincera Sanctorum Acta exhibuit, quæ in libro Pontificali, & literis D. Cypriani habentur. Nos antequàm de illis sententiam proferamus, ex Bibliotheca Vaticana Acta Manuscripta exhibenda esse censuimus. Habent autem, vt sequitur: *Passio S. Cornelij Papæ. Temporibus Decij Cæsaris maxima persecutio orta est Christianis: & pręcepit Decius, vt Clerici, qui vbicumque inuenti fuissent, sine audientia punirentur. Eodem autem tempore tenuit Decius beatissimum Papam Corneliũ cum vniuerso Clero eius tam Presbyteris, quàm Diaconibus, quem præcepit Centumcellis exilio deportari: qui dum esset in exilio, multi Christanorum veniebant ad eum, & confortabant eum. Alij autem de carcere mittentes ad eum, scripta confortationis verba dicebant. Eodem verò tempore Beatus Cyprianus Episcopus scripsit B. Cornelio, cum esset in custodia, de Celerino Lectore, quanta pro fide, & confessione Christi verba sustinuerit. Tunc Decius Cæsar hoc audito, quia multi ei scriberent, etiam & Beatus Cyprianus, iussit mitti Centumcellas, & adduci beatissimum Cornelium Papam Vrbem Romam, quem & præcepit sibi noctu in tellure præsentari ante templum Palladis; quem ita aggreditur dicens: Sic definisti, vt nec Deos paueas, nec præcepta maiorum consideres, nec nostras minas terrearis, vt contra Rempublicam literas accipias, & dirigas. Beatissimus Cornelius Vrbis Romæ Episcopus respondit: Ego de corona Domini literas accepi, non contra Rempublicam, sed magìs ad animas redimendas. Tunc Decius Cæsar iracundia plenus iussit, vt os eius cum plumbatis cæderetur, & præcepit, vt duceretur ad templum Martis ad sacrificandum Deo Marti: quòd*

quòd si non consenserit & sacrificauerit Dijs, illic capite puniatur. Factum est autem cum duceretur, vnus ex militibus nomine Cerealis cœpit rogare beatissimum Papam Cornelium, vt introiret in domum eius, quia vxor eius 5. annis in lectulo paralytica iacebat. Qui cum peruenisset ad arcum Stillæ, vbi manebat, rogabant eum omnes commilitones eius, & ingressus est in domum Cerealis cum duobus presbyteris & vno clerico: dedit autem hanc orationem beatissimus Papa Cornelius dicens: Domine Deus creator omnium sæculorum visibilium, & inuisibilium, qui dignatus es ad nos peccatores venire, vt nos saluos faceres, tu erige allisam hanc famulam tuam, & dona ei misericordiam tuam, sicut cœco nato donasti lumen ad cognoscendam gloriam tuam. Et tenens manum Salustiæ, erexit eam dicens: In nomine IESV Christi Nazareni surge, & sta super pedes tuos; non mea authoritate dico, sed Domini mei IESV Christi, qui fecit cœlum, & terram, mare & omnia, quę in eis sunt, & viuit in sæcula sæculorum. Et responderunt omnes, qui aderant, & dixerunt, Amen. Et protinus erexit se Salustia clamans, & dicens: Verè Christus est Deus, & Dei filius, & dicebat ad beatum Cornelium Papam: Baptiza me, per Christum te coniuro. Et currens quæ erat deuica, impleuit vas aqua, & attulit ei. Accipiens autem aquam beatissimus Cornelius Papa benedixit. Eadem autem hora miserunt se omnes milites ante pedes eius clamantes, & dicentes: Pater Sancte redime animas nostras, vt simul percipiamus sacri baptismatis emundationem. Respondens autem Cornelius Papa dixit eis: Si creditis ex toto corde vestro, delebuntur omnia delicta vestra. Responderunt omnes milites pariter vna voce, & dixerunt ei: Nos omnes desideramus tecum mori feliciter, quàm viuere infeliciter, quia modò quærimus, qui verus est, Dominum viuum, & sanctum; nam ignoranter adorauimus Idola vana, surda, & muta. Tu ergo purifica animas nostras. Et præcepit, vt omnes flecterent genua sua, & cum lacrymis orarent, & sic baptizauit omnes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & obtulit pro eis sacrificium laudis, & participati sunt omnes corpore, & sanguine Domini nostri IESV Christi. Hoc audiens Cęsar Decius, eò quòd 20. & vnus milites baptizati fuissent in domo Cerealis, qui statim mittens tenuit omnes vnà cum beatissimo Papa Cornelio, & iussit, vt cuncti ducerentur ad templum Martis ad sacrificandum Deo Marti. Quòd si non consenserint, cum eo simul omnes capite plecterentur. Omnes pariter voce clara dicebant: Gloria tibi Domine Deus

in excelsis. Veniente autem foris muros portæ Appiæ ante templum Martis expuebant dicentes: Pereant Dij Dæmoniorum simul cum Decio. Eodem autem die decollati sunt vnà cum beatissimo Papa Cornelio viri promiscui sexus numero XXI. Sed & Cerealis cum vxore sua Salustia sub die XVIII. Kal. Octobrium. Eadem verò noctu venerunt Clerici, & Beata Lucina cum familia sua, & rapuerunt corpora sanctorum Martyrum, quæ & sepeliuit in agrum suum in crypta in Cymiterio Calixti, vbi hodie orationes eorum florent ad laudem, & gloriam, & honorem Domini nostri IESV Christi, qui cum Patre summo & sempiterno, atque Flamine Sancto viuit æternaliter, & regnat perpetualiter in sæculorum sæculis, & vltra cuncta volumina sæculorum Amen.

2. Hactenus Passio S. Cornelij Papæ in codice 1190. Vaticano ante 600. facilè annos conscripto: antiqua enim sunt Acta, & à plerisque scriptoribus, atque Ecclesijs in auctoritatē suscepta fuerunt. Illa namque Marianus Scotus in plerisque Martyrologijs contineri indicauit: quod ipsum patet ex Martyrologio Adonis Episcopi, qui ad diem 18. Kal. Octobris omnia ferè Acta superiùs allata recenset. Idem ante Adonem præstitit Notkerus in Martyrologio ad eundem diem his verbis: *Romæ in Cœmeterio Callisti natalis Sancti Cornelij Episcopi, qui sub persecutione Deciana Centumcellis exilio deputatus est: postea Decio exhibitus, cum nullo à fide Catholica posset deflecti, iussus est decollari: cumque duceretur rogatus visitauit vxorem militis Cerealis, quæ quinque annis paralitica iacens, orante sancto Cornelio erecta, & sanata est. Quo viso multi baptizati sunt, & cum Beato Cornelio trucidati, numero viginti & vnus; & Cerealis cum sua vxore Salustia.* Et cum Notkero Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus in Martyrologio ad eundem diem his verbis: *S. Cornelij Episcopi, cui primò os cum plumbatis cæsum, & sic decollatus est cum alijs 21. promiscui sexus, & Cerealis miles cum vxore sua Salustia, quam Cornelius ab infirmitate sanauerat, passus sub Decio.* Et ante Rabanum Venerabilis Beda pariter ad eundem diem in Martyrologio scribens: *Romæ via Appia natale S. Cornelij Episcopi sub persecutione Decij: cui primò os cum plumbatis est cæsum, & decollatus est cum alijs XXI. promiscui sexus, cum quibus & Cerealis miles cum Salustia vxore sua, quam Cornelius sanauit orando.* Auctor demùm libri Pontificalis, qui Anastasio Bibliothecario adscribitur, ipso tamen antiquior est, vt infrà videbimus, Acta Cornelij Papę, & Martyris penes se habuit, & ex

ijs verbatim complura descripsit, vt cuique eius verba cum Actis conferenti facilè constabit. Scribit vero hic libri Pontificalis auctor in Leone I. *Fecit autem & Basilicam B. Cornelio Episcopo, & martyri iuxta Cœmeterium Calixti via Appia*. Ex quibus facilè colligitur, Acta S. Cornelij Papæ post Leonis Magni tempora fuisse conscripta, vtpotè in quibus non obscurè indicatur, iam tum Basilicam Beato Cornelio constructam fuisse. Ita enim referunt de loco sepulturæ Cornelij: *In Cymiterio Calixti, vbi hodie orationes eorum florent ad laudem, & gloriam, & honorem Domini nostri IESV Christi*. Ac si testarentur, laudes, & orationes à Clero, & Populo in Basilica Cornelij habitas fuisse in gloriam, & honorem nominis Christi.

3. Atque hæc de Actis martyrij Cornelij Papæ, ex quibus deducitur, ea quidem antiqua esse, non tamen ad ætatem Leonis Magni pertingere. Vndè auctores grauissimi, & inter eos Eminentissimus Cardinalis Baronius Tomo 2. ad annum 255. num. 55. illorum auctoritatem in dubium vocare potuit quoad illa potissimùm, quæ de tempore martyrij in Actis referuntur. Cum enim auctor asserat, Cornelium sub Decio martyrio coronatum fuisse, error inde à scriptoribus sumptus videtur, dum, quod in persecutione Decij factum esset, sub ipso Decio contigisse putarunt, cum tamen persecutionem sub Decio semel cœptã, Gallus & Volusianus prosecuti sint, illaque non duas, sed vnam dumtaxat continuatam persecutionem constituat. Quarè inquit Baronius, potest aliquis in in persecutione Decij dici martyrio coronatus, etiamsi post mortem Decij martyrium subierit. Quæ cum pro plerisque martyrum Actis sano sensu intelligendis plurimùm conferant, potissimùm in Cornelij martyrio locum habere censenda sunt, vtpotè quod in persecutione Decij, sub Gallo tamen & Volusiano, non sub Decio, contigit.

4. Porrò ex his facilè conciliari poterunt ea, quæ D. Hieronymus in diuersis locis scripsit, & prima fronte sibi aduersari videntur. In vita namque Pauli Eremitæ tradit: *Sub Decio & Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, & Cyprianus Carthagine felici cruore damnati sunt, multas apud Aegyptum, & Thebaida Ecclesias tempestas sæua populata est*. Libro autem de Scriptoribus in Cornelio refert: *Rexit Ecclesiam annis duobus sub Gallo & Volusiano*. Priori enim loco asserere videtur Hieronymus, Cornelium sub Decio occubuisse; secundo autem dissertè affirmat, sub Gallo & Volusiano martyrio coronatum fuisse: quæ sibi inuicem aduersa erunt, nisi priori loco Decij persecutionem intelligas, quæ

sub

ſub Gallo & Voluſiano continuata eſt, & proindè vna eademque cum Decij perſecutione cenſetur. Paſſus igitur eſt Cornelius in Deciana perſecutione non quidem Decio viuente, ſed eius perſecutione ſub Gallo & Voluſiano continuante: non enim ſub Decio martyrium ſubire potuit, qui ſub Gallo & Voluſiano Decij ſucceſſoribus biennio Eccleſiam gubernauit. Quarè ſi ſub Gallo Eccleſiam rexit, neceſſe eſt, quòd poſt mortem Decij paſſus ſit. Eaq; de re adeò clarè conſtat ex D. Cypriano, vt nullus de ea ambigendi locus relinquatur.

5. Scribit enim D. Cyprianus in epiſtola 52. ad Antonianum de Cornelio: *Sediſſe intrepidum Romæ in ſacerdotali Cathedra eo Tempore, cum tyrannus infeſtus Sacerdotibus Dei ſanda, atque infanda comminaretur, cum multò patientiùs, & tolerabiliùs audiret leuari aduerſus ſe æmulum Principem, quàm conſtitui Romæ Dei Sacerdotem.* Sic in tribus antiquiſſimis Codicibus M.SS. Bibliothecæ Alexandrinæ Vaticanæ, non verò vt Pamelius ex Codice Afiiginienſi legit: *Romæ æmulum Sacerdotem*. Porrò *Tyrannus*, cuius hìc meminit D. Cyprianus, eſt Decius. *Aemulus Princeps* eſt Iulius Valens, qui Romæ poſt Decij in Illyricum profectionem Imperium inuaſerat, vt ſtatim videbimus. *Dei Sacerdos* eſt Cornelius Papa, de quo D. Cyprianus in eadem epiſtola his verbis: *Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti eius iudicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc affuit, ſuffragio.* Laudat proinde magnam Cornelij conſtantiam, quam poſt adeptum Pontificatum durante Decij perſecutione monſtrauit: *Quantum*, inquit, *robur animi! qualis firmitas fidei!* Et poſt verba ſuperiùs allata, cum Pontificis, qui Dei ſacerdotio fungebatur, mentionem feciſſet, immediatè ſubiungit: *Nonne hic, frater cariſſime, ſummo virtutis, & fidei teſtimonio prędicandus eſt? Nonne inter glorioſos confeſſores, & martyres deputandus, qui tantum temporis ſedit expectans corporis ſui carnifices, & Tyranni ferocientis vltores, qui Cornelium aduerſùs edicta feralia reſiſtentem, & minas, & cruciatus, & tormenta fidei vigore calcantem, vel gladio inuaderent, vel crucifigerent, vel igne torrerent, vel quolibet inaudito genere pœnarum viſcera eius, & membra laniarent? Etiamſi maieſtas Domini protegentis, & bonitas Sacerdotem, quem fieri voluit, factum quoquè protexit: tamen Cornelius, quantum ad eius deuotionem pertinet & timorem, paſſus eſt, quidquid pati potuit, & Tyrannum armis, & bellò poſtmodùm victum, prior ſacerdotio ſuo vicit.* In quibus Cypriani verbis illud præcipuè notandum eſt, quòd nequaquam

testetur; eum morte sua vicisse, sed disertè affirmet, quòd sacerdotio suo, hoc est sacerdotis patientia omnes tormentorum, & pœnarum minas contempserit, ac contemnendo Tyrannum, armis & bello posteà victum, Christianæ pietatis constantia superauerit.

6. Pro horum verò maiori elucidatione, expendenda quoque sunt illa Cypriani verba, quibus testatur, Cornelium Sacerdotij sui tempore sub Decio inter maxima pœnarum, & mortis pericula versatum *exspectasse corporis sui carnifices, & Tyranni ferocientis vltores*. Hoc enim contigit, dum sub Tyranno illo Centumcellis exul fuit, cuius exilij non modò Notkerus in Martyrologio, sed etiam auctor libri Pontificalis in Cornelio mentionem faciunt. Extat insuper epistola Cypriani edit. Pamelij 57. Oxon. 60. quam ad Cornelium Papam in exilio constitutum scripsit, laudans eum, quòd se ducē confessionis fratribus præbuisset: *Vt*, inquit initio, *dum præcedis ad gloriam, multos feceris gloriæ comites, & confessorem populum suaseris fieri, dum primus paratus es pro omnibus confiteri*. Et paulò post: *Virtus illic Episcopi præcedentis publicè comprobata est, adunatio sequentis fraternitatis ostensa est*. His namque verbis indicat D. Cyprianus, Cornelium tamquam ducem ad exilium properantem exemplo suo clerum incitasse, vt cum ipso exilium potiùs subiret, & inter mortis ac pœnarum pericula Christi nomen confiteretur, quàm fidem, & Religionem Christianam desereret. Vnde auctor antiquissimi Catalogi tempore Liberij Papæ concinnati refert, tantam fuisse Cornelij in exilij miserijs perferendis constantiam, vt ad mortem vsque easdem pertulerit: *Post hoc*, inquit, *Centumcellis expulsus ibi cum gloria dormitionem accepit*. Quod tamen nequaquàm probare possum; cum non Centumcellis, sed Romæ eum gladio percussum occubuisse, & in Cœmeterio Callisti sepultum fuisse, ex perpetua Romanæ Ecclesiæ traditione acceperimus; quam Leo Magnus Basilicæ constructione confirmauit, Hieronymus verò duplici testimonio comprobatam esse voluit clarè affirmans, Cornelium Romæ passum fuisse.

7. Ita enim tradit in vita Pauli, dum scribit, *Cornelium Romæ, sicut & Cyprianum Carthagine felici cruore damnatos fuisse*. Et dum libro de Scriptoribus in Cypriano manifestè refert, *Cyprianum passum esse eodem die, quo Romæ Cornelius, sed non eodem anno*. Ex quo vltimo textu non tantùm locum, sed etiam diem passionis Cornelij cognoscimus. Cum enim Cornelius eodem die, quo Cyprianus, martyr occubuerit, Cyprianum autem XVIII. Kal. Octobris

passum esse, conueniat inter omnes; necesse est, Cornelium illo quoquè die pro Christo obijsse. Porrò de die martyrij S. Cypriani testatur Kalendarium antiquissimum Ecclesiæ Carthaginiensis à V. Cl. Ioanne Mabillonio editum Tomo 3. Analectorum: *XVIII. Kal. Octo. Sancti Cypriani Episcopi Martyris Cartag.* Concinunt Acta passionis S. Cypriani: *Passus est autem beatissimus Cyprianus martyr die octaua decima Kalendarum Octobrium.* Quo die in Martyrologijs non solùm D. Cypriani, sed etiàm Cornelij Papæ memoria reperitur, vt licet colligere ex Martyrologijs Adonis, Notkeri, Vsuardi, Rabani, & Bedæ: quibus Martyrologijs libri rituales antiqui concordant, vtpotè qui eamdem missam in natali Sanctorum Martyrum Cornelij, & Cypriani exhibent. Vndè Ecclesia Romana etiamnùm festum illorum eodem die celebrat. Ex quibus omnibus patet, rectè Acta Cornelij, & sociorum eius martyrium statuere sub die XVIII. Kal. Octobris. Adiungunt autem, quòd eadem nocte clerici cum Beata Lucina rapuerunt corpora sanctorum Martyrum, & in Cœmeterio Callisti sepelierunt. Quod cum post mediam noctem factum sit, statuit auctor secundi Catalogi tempore Iustini Imperatoris concinnati: Cornelij *corpus noctu collegit beata Lucina, & sepeliuit in Crypta iuxta Cœmeterium Callisti via Appia in prædio suo XVII. Kal. Octobris.*

8. Atque cum ex his adeò apertè, adeò clarè, adeò manifestè constet de die, quo Cornelius obijt; restat nunc annus: Pro quo inuestigando debet inquiri tempus, quo Pontificatum cœpit, ideoque memoria repetenda sunt verba D. Cypriani superiùs allata, quibus significat, eo tempore Cornelium *sedisse intrepidum Romæ in Sacerdotali cathedra, cum Tyrannus infestus Sacerdotibus Dei fanda, atque infanda comminaretur, cum multò patientiùs & tolerabiliùs audiret, leuari aduersùs se æmulum Principem, quàm constitui Romæ Dei Sacerdotem.* Hoc enim loco agit Cyprianus de Decio, qui ob Gothorum inuasionem in Illyricum profectus audiuit, Iulium Valentem assumpsisse Imperium, vt tradit Aurelius Victor lib. de Cæsaribus: *Qua causa*, inquit, *Decio quàm potuit maturrimè Roma digresso; Iulius Valens cupientissimo vulgo Imperium capit. Verùm vtrique mox cæsi, cum Priscum Nobilitas hostem Patriæ censuisset: Decij Barbaros trans Danubium persectantes Bruti fraude cecidere, exacto regni biennio.* Decius, vt ex Victore colligitur, profectus est in Illyricum anno Imperij vltimo, se III. & Etrusco Coss. hoc est anno æræ vulgaris 251. circa mensem Februarij, vel Martij. Cumque iam in Illyrico ver-

versaretur, non solùm audiuit, aduersùs se leuatum Romæ æmulum Principem, sed etiam æmulum Sacerdotem, vti Pamelius legit, qui per æmulum Sacerdotem malè intelligit Nouatianum Antipapam, cum Cornelium significet Cyprianus, vt rectè annotarunt Rigaltius, & Io. Cestriensis, ac ex toto epistolæ contextu comprobatur. Accedit, quod in 3. antiquiss. M.SS. suprà indicatis, & in plerisque alijs Anglicanis à Ioan. Cestriensi laudatis legatur: *quàm constitui Romæ Dei Sacerdotem*. Quibus verbis innuitur quoque, non de Imperatore, qui Pontificis Maximi titulum assumere consueuerat, sed de Summo Pontifice Cornelio, qui vnius, & non plurium deorum Sacerdos erat, à Cypriano sermonē institui. Cum itaque ex hoc Cypriani loco conijciatur, Cornelium eodē tempore, quo Iulius Valens Imperiū assumpserat, promotum fuisse ad Pontificatū, illudq; contigerit, cum Decius in Illyricum profectus est, se III. & Etrusco Consulibus; deducitur ex his omnibus, Cornelium eodem Consulatu, & anno circa mensem Aprilis ad Pontificatum promotum fuisse.

9. Comprobari hæc possunt ex ijs, quæ Cornelij assumptionem ad Pontificatum præcesserunt sub Decio, in cuius persecutione Fabianū Cornelij prædecessorem occubuisse anno Decij secundo, æræ vulgaris 250. ostendimus suprà. Porrò post Fabiani obitum anno circiter integro sedem vacasse, constat ex plerisque Cleri Romani actis, & D. Cypriani litteris. Vnde minimè probare possum sententiam Godefridi Henschenij existimantis, Cornelium Papam ordinatum fuisse circa quartum Iunij, anno 250. cum post martyrium S. Fabiani Sedes vacasset mensibus quatuor, diebus quindecim: quam sententiam ipse Papebrochius Henschenij in edendis Sanctorum Actis successor correxit in Conatu Chronico-Historico, cuius verba ad maiorem hac de re intelligentiam hìc subiungere iuuabit: *Dies 4. Iunij in feriam 3. non in Dominicam eo anno conuenit, & sicut rectè obseruat Schelestratius, in graui illa sub Decio persecutione, cuius initio passum Fabianum tenemus, Sedem vltrà quatuor menses vacasse, indicant litteræ Cypriani ad Clerum Romanum, & huius ad illum responsa: vtique nuntijs vltro citroque ter quaterque missis, in quibus, alijsque à Clero Romano actis annus facilè totus elapsus esse potuit, sicut etiam Cardinalis Baronius censuit ad annum 253. num. 87. Nihil tamen istam diuturnitatem cessantis Episcopatus efficaciùs probat, quàm ipse primus Catalogus, quando dicit, quòd post passionem Fabiani Moyses & Maximus presbyteri, & Nicostratus diaconus comprehensi sunt, & in carcerem missi. Quo tempore superuenit Nouatus ex Africa,* Pag. 33.

& separauit de Ecclesia Nouatianum, & quosdam Confessores, postquàm Moyses in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses vndecim, dies vndecim. *Atqui epistola Cypriani* 16. *ad eosdem nondùm schismate diuisos scripta est ante creationem Cornelij, & quidem cum eorum patientia reuertentis anni volubilem circulum victricis gloriæ dignitate transgressa esset. Vnde idem Baronius num.* 28. *etiam notat, eatenùs pace, & vnitate concordes in creatione Cornelij primùm schismate fuisse diuisos causa Nouatiani. Est porrò loco Annalium iam citato operæ pretium legere, quàm multa eo tempore legerit, scripserit, decreuerit Clerus pro incumbente tunc sibi Ecclesiæ vniuersalis cura: miraberis enim tam multa vno anno fieri potuisse, adeòque non longum videbitur tempus huic vacationi constitutum.* Sicut hæc sincerè admittit eruditus Henschenij successor, sic & mirum videri non debet, quod obseruauit Ioannes Cestriensis, ante mensem Augustum anni 250. scriptas non fuisse litteras Cleri Romani, quibus testatur: *post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani nondùm Episcopum propter temporum difficultates constitutum fuisse*: quinimò ad litteras Cypriani rectè concipiendas, & explicandas annuam vacationem Sedis Apostolicæ necessariam esse.

10. Hæc itaque cum ab ipso V. Cl. Papebrochio affirmentur, & probentur, necesse est anno 251. Cornelium ad Pontificatum promotum fuisse circa mensem Aprilis eo tempore, quo Iulius Valens Imperium Romæ inuaserat, vt suprà ostendimus ex D. Cypriano, ex quo etiam monstrauimus, toto reliquo anni tempore sub Decio sacerdotali constantia Tyranni minis obstitisse: Decio autem superstitem gubernasse Ecclesiam Dei vsque ad annum 253. colligitur ex Eusebio in Chronico, vbi refert, eum sedisse annis duobus. Idem habet D. Hieronymus lib. de Scriptoribus in Cornelio: *Rexit Ecclesiam annis duobus sub Gallo, & Volusiano.* S. Prosper in Chronico integro per Labbeum edito scribit sub Consulatu Decij II. & Rustici: *Cornelius annis duobus, qui post biennium eodem martyrio coronatur.* Quibuscum conueniunt ea, quæ habentur in Catalogo tempore Liberij Papæ conscripto: *Cornelius annos duos, menses tres, dies decem; à Consulibus Decio 2. & Decio, vsque Gallo, & Volusiano.* Totidem annos sedisse, testantur duo antiquissimi Catalogi Corbeienses sæculo sexto, & octauo conscripti; quibus consentiunt Catalogus Palatino-Vaticanus, tempore Caroli M. & Catalogus Bibliothecæ Alexandrinæ sæculo nono concinnati, qui tantùm in vno mense differunt; alter enim vltrà duos annos

nos Cornelio tribuit menses tres, dies duos; alter menses duos, dies tres: cuius auctoritatem secutus est auctor libri Pontificalis, qui disertè affirmat iuxta M. SS. Florentina, Regia, & Vaticana: *Sedit annos duos, menses duos, dies tres*. Ex quibus colligitur, Cornelium peruenisse vsque ad Consulatum Volusiani & Maximi, qui incidit in annum 253. quo 14. Septembris, vt antiqua Martyrologia referunt, martyrio coronatus est. Neque huic sententiæ repugnat antiquus Catalogus, qui Cornelium vsque ad Gallum, & Volusianum, qui anno 252. Consules fuerunt, sedisse affirmat. Catalogo namque illi proprium est, penultimum Consulatum exprimere, ne cogeretur in sequenti Pontificatu eosdem Consules perpetuò repetere.

11. Cornelio itaque, qui 14. Septembris, anno 253. ad feliciorem vitam migrauerat, successit Lucius, cui omnes Catalogi, quos videre potui, tres annos, & totidem menses, ac dies tribuunt. Habetur de eo in duobus antiquioribus Catalogis, quòd exul fuerit, & posteà nutu Dei incolumis ab exilio reuersus sit. Qua de re mentionem quoque facit S. Cyprianus; ita enim scribit ad Lucium Papam: *Et nuper quidem tibi, frater carissime, gratulati sumus, cum te honore geminato in Ecclesiæ suæ administratione Confessorem pariter, & Sacerdotem constituit diuina dignatio. Sed & nunc non minùs tibi, & comitibus tuis, atque vniuersæ fraternitati gratulamur, quòd cum eadem gloria, & laudibus vestris reduces vos denuò ad suos fecerit benigna Domini, & larga protectio*. Quibus verbis S. Cyprianus clarissimè indicat, Lucij Papæ electionem, & reditum ab exilio, intra breue temporis spatium contigisse: hoc enim τὸ *nuper* significat. Vndè non obstante exilio, & reuocatione ab eodem, fieri potuit, quòd Lucius paulò post reditum passus sit, vt prædixisse videtur S. Cyprianus in eadem epistola scribens, eum ad hoc reuocatum, vt consequeretur gloriosam martyrij coronam. *Qui*, inquit de eo, *& ad hoc vos fortasse reuocauit, ne gloria esset occulta, si foris essent confessionis vestræ consummata martyria; nam victima, quæ fraternitati præbet exemplum virtutis, & fidei, præsentibus debet fratribus immolari*. Quàm rectè autem hæc Cyprianus prædixerit, ex Eusebio constat, qui in Chronico testatur, Lucium solummodò Episcopatum tenuisse menses octo, & in Historia confirmat, dum vix octo mensium spatio perfunctum eo in munere decessisse affirmat. Idem omninò tradit S. Prosper in Chronico integro: *Romanæ Ecclesiæ Episcopatum tenet Lucius mensibus octo*. Lucium verò non sedisse annos tres, menses tres, dies

Epist. 58.

In fine.

dies tres, sed tantùm menses octo, vt habent Eusebius, ac S. Prosper, patet ex Stephani, & Sixti temporibus, quibus post Lucium Romanum Pontificatum obtinuerunt. Qua de re cum clarissimè constet ex Stephani Actis, & antiquissimis istorum temporum scriptoribus, placuit de ijs speciatim capite sequenti agere.

CAPVT SEPTIMVM.

De Actis Stephani Papæ: & quibusnam temporibus tam ipse, quàm Xystus Secundus eius successor Summum Pontificatum obtinuerint, ac quanto tempore Sedes Apostolica post Xysti obitum vacauerit?

1. Lucio successit Stephanus, quem ad minùs tres annos sedisse, constat ex Catalogis, eiusque Actis.

2. Adducuntur Acta Stephani ex M.SS. Codicibus, quæ circa ritus Sacramentorum, & disciplinam Arcani antiquitati adeò concinunt, vt germana esse probentur.

3. Refertur ex his Actis martyrium Stephani Papæ, quod descriptum videtur ex germanis Actis tempore eiusdem Pontificis exaratis.

4. In Actis annectitur Consulatus, quo Stephanus occubuit, & Xystus eidem successit: vndè manifestè constat de tempore vtriusque Pontificis, quod fide M. SS. Codicum Bibliothecæ Vaticanæ confirmatur.

5. Eminentissimi Cardinalis Baronij lectio, & sententia de Consulatu isto examinatur, & Consulatum cum anno 257. concurrere, monstratur.

6. Acta Xysti, quæ nunc reperiuntur, cum sub Decio martyrium subysse affirmant, cum constet, Decium octo annis ante Xysti passionem obijsse. Decij non meminit D. Ambrosius in fragmento Actorum, quod germanum apud eum extat: vndè Acta, prout nunc habentur, interpolata esse monstrantur.

7. Martyrium subijt Xystus sub Consulatu Tusci & Bassi, anno 258. die 6. Augusti, vt testimonio D. Cypriani comprobatur.

8. Cypriano consentiunt Pontius eius Diaconus, & antiqua Acta Cypriani; affirmant enim, Cyprianum Tusco & Basso Consulibus non multò post Xysti martyrium sanguinem fudisse. Chronicon Alexandrinum, fasti Idacij, & antiquissima Calendaria etiam Carthaginensia referunt passum 18. Kalend. Octobris, hoc est mense vno, & aliquot diebus post Xystum.

9. Vacauit Sedes post Xysti martyrium XI. mensibus, vt ex antiquissimis Catalogis probatur, ostenditurque, presbyteros præfuisse Ecclesiæ vsque in diem XII. Kal. Augusti, Aemiliano & Basso Consulibus.

10. Licèt autem Consulatus ille cum sequenti in Annalibus omittantur, tamen in omnibus fastis exhibentur, & Imperatorum rescriptis, ac antiquis Inscriptionibus clariùs indicantur, quàm vt negari possint.

1. QVòd Lucius Papa non sederit vltrà 8. menses, & anno 254. obierit, manifestè probari potest ex tempore Stephani, qui ei successit; ipsi enim nullibi pauciores, quàm tres anni Pontificatus tribuuntur: tres verò annos sedisse, tradunt Eusebius, & S. Prosper in Chronicis. Plures annos ei tribuunt antiqui Catalogi tam M.SS. quàm typis editi. Sic Catalogus tem-

pore Liberij Papæ exaratus tribuit illi *annos quatuor*, *dies viginti vnum*; secundus Catalogus *annos quinque*, *menses quinque*, *dies duos*; Catalogus Corbeiensis sæculi sexti *annos sex*, *& mensem vnum*; vel vt habet Vaticanus, *menses quinque*, *dies duos*; Catalogus Palatino-Vaticanus sęculi octaui, & alius Bibliothecæ Alexandrinæ sæculi noni, *annos septem*, *menses quinque*, *dies duos*. Quorum Catalogorum sententiam secutus est auctor libri Pontificalis, vbi disertè scribit: *Sedit annos septem*, *menses quinque*, *dies duos*. Ex quibus omnibus constat, nullibi in Catalogis reperiri, quòd Stephanus paucioribus, quàm tribus annis sederit, quot ipsum ad minus sedisse oportuit, vt omnia illa, quæ contra D. Cyprianum, & rebaptizantes Afros, ac contra Firmilianum, aliosque Orientales peregit, suis temporibus assignari possint. Extat Firmiliani Epistola ad Cyprianum; in qua sæpiùs
Epist. 75. innuit, Stephanum Papam tunc superstitè fuisse. Scripta autem est illa epistola: *Dum hibernum tempus vrgebat remittere Cypriani Legatum*, *viginti & duobus fermè annis post Alexandrum Imperatorem*. Interijt Alexander die 15. aut 18. Martij, anno 235. post quem vigesimus secundus incidit in annum 256. quo anno circa tempus hyemale scripta est hæc Firmiliani epistola, ita vt nullum dubium esse possit, quin S. Stephanus vsque ad diem 2. Augusti sequentis anni superfuerit: *Die enim secunda Augusti gloriosa confessione martyrij palmam promeruit*; vt habent antiquissima Martyrologia ex Actis S. Stephani desumpta.

2. Extant Acta illa in plerisque M. SS. Codicibus Bibliothecæ Vaticanæ; quæ in Codice 1190. ita incipiunt: *Temporibus Valeriani*, *& Gallieni multi Christianorum declinantes sæuitiam Tyrannorum occultabantur*, *alij verò se ingerentes martyrij palmam consequebantur*. *Data autem fuerat lex*, *vt quicumque proderet Christianum occultum*, *facultates eius acciperet*. Sequitur allocutio Stephani Papæ ad vniuersum Clerum de respuendis huius mundi facultatibus præ amore cæleftium. In quibus nihil omninò reperitur, quod primitiuæ Ecclesię non apprimè conueniat. Prosequuntur verò Acta: *Iussit itaque B. Stephanus altera die in Crypta Nepotiana*, *vt omnes congregarentur*, *& facto conuenticulo in eadem Crypta inuenti sunt promiscui sexus viri*, *ac mulieres numero centum & octo*, *quos eadem die in nomine Domini nostri IESV Christi sacri baptismatis mysterio consecrauit*, *& obtulit pro eorum expiatione sacrificium*, *atque participati sunt*: *altero autem die ordinauit ibidem B. Stephanus Episcopus tres Presbyteros*, *septem Diaconos*, *Clericos sexdecim*, *sedensque*

quę docebat omnes de regno Dei, & vita æterna. Plura sunt in his verbis, quæ antiquæ Ecclesiæ disciplinæ consona sunt: ac primò quidem, quæ de baptismo fidelium narrantur, ibidemq; subijciuntur de baptismoNemesij Tribuni militum, & Lucillæ eius filiæ. Testantur enim Acta, quòd B. Stephanus eos primò catechizauerit in Titulo Pastoris de Vrbe, ipsisque ieiunium indixerit vsque ad vesperum, hora autem appropinquante vespertina benedixerit fontem in titulo suprascripto, deposueritque Nemesium in aqua dicens: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizo te*. Hæc verbo tenùs desumpta sunt ex Actis, quæ vbique antiquos Baptismi ritus exhibent. Additur deindè, quòd S. Stephanus *post collatum credentibus baptismum sacrificium obtulerit, eosque participauerit*. Quod etiã antiquitati consonum reperitur: primis enim sæculis post baptismum confirmatio, post confirmationem eodem tempore sacra Eucharistia initiatis conferebatur. In Actis autem Eucharistia vocatur *participatio*, quo verbo vtebantur olim Fideles ob disciplinam Arcani, de qua insigne antiquitatis monimentum Acta Stephani exhibent his verbis: *Inuenerunt milites paganorum acolitum nomine Tarsicium Christi corporis sacramenta portantem, quem tenentes pagani, atque discutientes, vt quæ gereret, indicaret. At ille indignum iudicans, porcis prodere margaritas, nequaquàm voluit prodere sacrosancta mysteria. Quem fustibus, & lapidibus tamdiù mactauerunt, quousque exalaret spiritum, reuolutoque eius exanime corpore nihil potuerunt in eius manibus, vel vestimentis reperire sacrilegi discussores; relictoque eius corpore cum terrore fugerunt*.

3. Atque satis hactenùs de his, quæ in Actis Stephani Papæ narrantur. Omissis itaque reliquis, ad martyrium eius veniamus, quod ijs verbis exhibetur: *Audiens igitur Valerianus, quæ gesta fuerant, ac de templi euersione, & quia erat maxima cum Stephano multitudo Christianorum, missi sunt plurimi prioribus militum, qui venientes inuenerunt B. Stephanum sacrificium Domino offerentem. Quippè intrepidus constanter ante altaris solemnia, & iugiter cœpta perficiens in eodem loco sic in sua decollatus est sede sub die 4. Nonarum Augustarum. Factus est ibidem Christianorum planctus tali Pastore cum gloria martyrij ad cœlestia profecto, cuius corpus sepelierunt in eadem crypta cum ipsa sede, vbi adstans sanguis eius effusus est in loco, qui appellatus est hodiè Cœmeterium Calixti, vbi requiescit in pace*. Ex vltimis verbis facilè colligitur, hæc quidem Acta post Stephani martyrium conscripta fuisse: non indè tamen se-

sequitur, antiqua non esse. Cœmeterium Nepotiani nomen Callixti obtinuit iam inde ab antiquissimis temporibus; proinde facilè crediderim, reddita Ecclesiæ pace scripta fuisse ab ijs, qui authentica Stephani Acta viderunt. Exhibet ea Cardinalis Baronius ad annum 259. ex antiquo Codice Vaticano 1191. asseritque, quòd ea tanquam germana atque legitima non tantùm Occidentalis Ecclesia complexa sit, sed & Orientalis græcè reddita in ipsorum Martyrum natalitijs legere consueuerit. Notat autem in margine, ijs vsum fuisse Metaphrastem auctorem Græcum; simulq; auctorem Latinum adiungit Notkerum, qui ante 850. annos in Martyrologio suo ad IV. Nonas Augusti ijsdem Actis vsus est. Adeò vt ex his Actis ab Ecclesia probatis statuere liceat de tempore Stephani Papæ, quem testantur martyrio coronatum fuisse sub Valeriano Imperatore, ita enim incipiunt, vt suprà retulimus: *Temporibus Valeriani, & Gallieni*. Et infrà: *Audiens autem Valerianus &c.*

4. Præclarum verò est testimonium, quod in fine horum Actorum Codice 1190. annectitur de Consulatu, quo Stephani martyrium, & Xysti ordinatio contigerunt: *Adunataq; Ecclesia Christianorum ordinauerunt in loco beati Stephani Episcopi, & Martyris Christi Sixtum Episcopum Nonarum Kalendarum* (idest octauo Kal.) *Septembris. Martyrizatus est autem beatissimus Stephanus Episcopus Vrbis Romæ, sub die quarto Nonarum Augustarum sub Valeriano, & Gallieno Consulibus*. Hæc in M.S. Codice Bibliothecæ Vaticanæ, quæ mirum in modum chronotaxim nostram confirmant. Ostendimus enim, Lucium post octo menses Pontificatus anno 254. obijsse; in eius locum successisse Stephanum, qui Pontificatum sub Valeriano & Gallieno gessit; Valerianum ac Gallienum circa finem anni 254. Imperium adeptos fuisse; Stephanum anno 22. ab obitu Alexandri, qui cum æra 256. concurrit, superstitem fuisse, & die secunda Augusti anni sequentis decollatum fuisse. Enimuerò Consulatus Valeriani & Gallieni, cuius hic mentio fit, expressiùs notatur in M. SS. Codicibus Vaticanis, ita enim in illis legitur: *Ordinauerunt in locum B. Stephani Sixtum natione Græcum, patria Atheniensem, Episcopum nono Kalendas Septembris, Valeriano quartùm & Gallieno secundùm Consulibus*. Ex quarto Valeriani Consulatu colligitur, legendum esse Gallieno III. non verò II. cum Gallienus non secundum, sed tertium gesserit Consulatum, dum Valerianus quartò Consul fuit. Fuit autem Valerianus Consul quartùm anno 257. qui est ipse annus, quo Stephanus Papa obijt.

5. Ex his autem à recentiori-

bus scriptoribus corriguntur, quę in Annalibus notata sunt ad annū 260. de Consulibus, sub quibus Stephanus occubuit. Cum enim in Actis Stephani à Baronio citatis habeatur, Xystum ordinatum fuisse *nono Kalendas Septembris Valeriano quartùm, & Gallieno secundùm Coss.* notauit Baronius in margine, *Valeriano tertiùm & Gallieno secundùm*; eò quòd putauerit, errorem in Valeriani, non verò Gallieni Consulatum irrepsisse, & in antiquis M. SS. Codicibus reperisset, Xystum ordinatum fuisse *Valeriano III. & Gallieno II. Coss.* Extat lectio illa in duobus M. SS. Codicibus Vaticanis, quorum alter sub numero 1191. alter sub numero 6074. asseruantur. Verùm si lectio illa vera esset, cum Valerianus & Gallienus, hic quidem secundum, ille verò tertium Consulatum gesserint anno 255. sequeretur, Xystum non quidem anno 260. vt putauit Baronius, sed anno 255. Pontificatum adeptum fuisse: quæ dici non possunt, vt constat ex epistola Firmiliani affirmantis, Stephanum post annos fermè 22. ab obitu Alexandri, hoc est anno 256. adhuc egisse contra rebaptizantes Afros, adeòque Xystum nondùm fuisse creatum Pontificem. Quòd autem anno 260. Xystus non potuerit creari Pontifex, exindè patet, quòd illo anno Valerianus iam defunctus esset, & consequenter cum Gallieno Consulatum gerere non potuerit. Vltimus eius consulatus est quartus, quem vnà cum Gallieno gessit anno 257. quo Stephanus obijt 2. Augusti, & post 21. dies Sedis vacantis Xystus II. in locum Stephani successit, vt quàm clarissimè ex Xysti Pontificatu constabit.

Suprà pag. 199.

6. Reperiuntur Xysti Secundi Acta in M. S. Codice 1190. Vaticano, sed nescio à quonam auctore pluribus sæculis post eiusdem Pontificis obitum interpolata. Patet id ex primis illorum verbis: *Temporibus Decij Cæsaris, & Valeriani Præpositi iusserunt sibi Sixtum Episcopum cum Clero suo præsentari noctu intra Ciuitatem Tellure.* Quibus innuitur, Xystum temporibus Decij Imperatoris passum esse, cum constet Decium perijsse ante sex annos, quàm Xystus Sedem Apostolicam obtinuit. Nec refert, hæc priora verba in multis alijs M. SS. Codicibus desiderari, cum vbique in Actis exhibeantur Decius, & Valerianus, qui Xystum interrogant, quod ex ignorantia historiæ Ecclesiasticæ ab interpolatore additum est. Octo enim annis post Decij mortem Xystus sub Valeriano, non Præfecto, sed Imperatore, vt statim probabimus, martyrij palmam adeptus est. Legerat forsan interpolator Valeriani nomen in veris Xysti Actis, & quia Decij persecutio grauissima fuit, Valerianum Decij Iudicem extitisse

cre-

credidit, & ideò Xystum sub Decio Imperatore & Valeriano Præfecto passum affirmauit. Habuit germana Xysti Acta D. Ambrosius, qui sæpiùs eorum meminit, nullibi tamen Laurentiū sub Decio passum fuisse asseruit. Præclarum est fragmentum, quod D. Ambrosius refert lib. 1. de officijs, cap. 41. vbi ita scribit: *Non prætereamus etiam S. Laurentium, qui cum videret Sixtum Episcopum suum ad martyrium duci, flere cœpit non passionem illius, sed suam remansionem. Itaque his verbis appellare cœpit: Quò progrederis sine filio Pater? Quò sacerdos sancte sine diacono properas? Numquam sacrificium sine ministro offerre consueueras. Quid in me ergo displicuit pater? Num degenerem probasti? Experire certè, vtrum idoneum ministrum elegeris: cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas? Vide, ne periclitetur iudicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abiectio discipuli detrimentū est Magistri &c. Tunc Sixtus: Non ego te fili relinquo, ac desero: sed maiora tibi debentur certamina. Nos quasi senes leuioris pugnæ cursum recipimus: te quasi iuuenem manet gloriosior de Tyranno triumphus. Mox venies, flere desiste, post triduum me sequeris. Inter sacerdotem, & leuitam hic medius numerus decet &c.* Hæc S. Ambrosius, quæ quidem reperiuntur in Actis Xysti Papæ, prout habentur in M.SS. Codicibus Vaticanis, & in editis Sanctorum passionibus apud Mombritium, & Laurentium Surium. Sed notandum est, quòd D. Ambrosius testetur, hæc contigisse, cum B. Laurentius videret Xystum ad martyrium duci. Vbi tamen Acta nunc extantia habent: *Cum autem audisset B. Laurentius Archidiaconus, beatum Xystum Episcopum iterùm in custodiam reduci, his verbis eum appellare cæpit: Quò progrederis sine filio pater? &c.* Ex quibus lucidè apparet, Acta B. Xysti post tempora Diui Ambrosij ab aliquo interpolata fuisse. Quod enim B. Laurentius iuxta germana Acta apud D. Ambrosium dixisse fertur ad Xystum Papam, cum videret eum ad martyrium duci, id Acta, prout nunc habentur, affirmant dictum fuisse à B. Laurentio, cum audiuisset eum iterùm in carcerem recludi. Addunt eadem Acta, Ecclesiæ subindè thesauros per aliquot dies à B Laurentio in pauperes distributos fuisse, & Xystum post hæc omnia primùm è carcere eductum fuisse ad martyrium: cum S. Ambrosius in fragmento superiùs relato testetur, Xystum in via, qua ad locum martyrij properabat, Laurentium allocutum fuisse, ipsique prædixisse, quòd post triduum sequeretur, & martyrium subiret. Quod ita fa-

ctum esse, auctor secundi Catalogi tempore Iustini Imperatoris ex Actis ipsis affirmat: *Post passionem B. Xysti post tres dies passi sunt Laurentius eius archidiaconus &c.* Et cum his conuenit Ecclesiæ traditio, quæ in omnibus Martyrologijs, Calendarijs, & Breuiarijs non nisi triduum inter Xysti, & Laurentij natalitia seruat. Neque necesse est, id comprobare Martyrologio, & Breuiario Romanis, cum in omnium manibus versentur: sufficit antiquissimum Calendarium Ecclesiæ Carthaginiensis adducere, quod ita habet: *VIII. Idus Augusti, Sancti Xysti Episcopi & Martyris Romæ. IV. Idus Augusti, S. Laurentij.* Passus itaque est B. Xystus die VI. Augusti, eumque die X. Augusti secutus est S. Laurentius, adeò vt inter vtriusque martyrium non nisi triduum interfuerit, vt B. Xystus prædixerat.

7. Cum igitur ex dictis constet, Acta Xysti Secundi interpolata fuisse, ex alijs antiquitatis monimentis inquirendum est de anno, quo gloriosus ille Pontifex pro fide Christiana martyr occubuit. Fuit autem annus ille, quo Consulatum gesserunt Tuscus & Bassus, idque ex tam certis veterum testimonijs liquet, vt Chronologi dum ad Consulatum illum perueniunt, omnem suam industriam adhibeant, vt calculos suos cum his Coss. rectè componant. Quod si aliquibus erroribus detenti facere non possunt, Consules ipsos loco suo mouent, & fastos pro arbitrio suo mutant, vt Consules illos quisque ad sententiam suam trahat. Interim constat, Tusci & Bassi Consulatum post Valeriani IV. & Gallieni III. & ante Aemiliani ac Bassi Consulatus immediatè ponendum esse, hoc ordine: *Ann. 257. Valerianus IV. & Gallienus III. Anno 258. Tuscus, & Bassus. Anno 259. Aemilianus & Bassus II.* Eo enim ordine collocantur in antiquissimis fastis apud Cuspinianum, in libello de Præfectis Vrbi per Bucherium edito, in fastis græcis Theonis Alexandrini, in fastis Idacianis primò per Sirmondum, posteà per Labbeum publicatis, in integro S. Prosperi Chronico, & vt finiam, in Cassiodori Chronico; in quo ad Consulatum Tusci & Bassi notatur: *His Coss. Valerianus in Christianos persecutione commota statim à Sapore Persarum Rege capitur, ibique miserabili seruitute consenescit.* Valerianum autem persecutionem mouisse, cum bellum Persicum gereret, constat ex eius rescripto apud D. Cyprianum epist. 82. ad Successum, vbi ait: *Rescripsisse Valerianum ad Senatum, vt Episcopi, & presbyteri, & diacones in continenti animaduertantur.* Addit ibidem inferiùs: *Xystum autem in cæmeterio animaduersum sciatis octauò Iduum Augustarum die, & cum eodem Quartum. Sed &*

huic

huic persecutioni quotidiè insistunt Præfecti in Vrbe, vt si qui sibi oblati fuerint, animaduertantur. Xystus itaque occubuit die VI. Augusti anno 258. quo Consules erant Tuscus & Bassus. Cui veritati testimonium perhibet antiquissimus Catalogus tempore Liberij Papæ conscriptus, in quo legitur, Xystum sedisse *vsque Tusco, & Basso;* & passum *esse VIII. Idus Augusti.*

18. Confirmantur hæc ex ijs, quæ in vita D. Cypriani tradit Pontius eius Diaconus. Cum enim tempus passionis instaret, quo Cyprianus pro fide occumberet: *Iam de Xysto,* inquit, *bono, & pacifico sacerdote, ac propterea beatissimo martyre ab Vrbe nuncius venerat. Sperabatur iam iamque carnifex veniens, qui deuotæ sanctissimæ victimæ colla percuteret, & sic erant omnes dies illi quotidiana expectatione moriendi ..... Cùm ecce Proconsulis iussu ad hortos eius ..... cum militibus suis Princeps repentè subitauit ..... Processit ergò iam certus expungi, quod diù fuerat retardatum. Processit animo sublimi, & erecto, hilaritatem præferens vultu, & corde virtutem. Sed dilatus in crastinum,* cum nimirùm audito Cypriano Iudex de tabula sententiam tulit, vt ibidem Pontius enarrat. Ex quibus omnibus manifestè patet, Cyprianum non diù post Xystum in eadem persecutione martyrio coronatum fuisse. Concinunt Acta S. Martyris Cypriani in M. SS. Codicibus, & typis editis, dum Cyprianum in hortis suis captum fuisse tradunt *Idibus Septembris Tusco, & Basso Coss. ..... & ita altera die octaua decima Calendarum Octobrium* manè Iudici oblatum, ac capitis damnatum fuisse. Idem habet auctor ignotus apud Cuspinianum: *Consulibus Tusco & Basso passus est Cyprianus Carthagini 18. Kal. Octob.* Idem planè Idatius in fastis sub Tusco, & Basso: *His Coss. passus est Cyprianus die 18. Kal. Octobris.* Et Chronicon Alexandrinum Græ. ΥΠ.ΤΟΥΣΚΟΥ. καὶ ΒΑΣΣΟΥ. ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων ὁ ἅγιος Κυπριανὸς ἐμαρτύρησεν πρὸ ιή. Καλανδῶν Ὀκτωβρίων: *Tusco & Basso Coss. sub quorum Consulatu S. Cyprianus martyrium passus est 18. Kalend. Octobr.* Eundem diem retinent antiqua Martyrologia, & Calendaria, in quibus 18. Kal. Octob. ponitur annuum Cypriani festum, vt in vetustissimo fragmento apud Bucherium *18. Kal. Octobris Cypriani Africæ, Romæ celebratur in Callisti.* Et hæc, ni fallor, sufficere debent ad monstrandum, quòd S. Cyprianus anno 258. Tusco & Basso Coss. sub Valeriano Imperatore martyrium Carthagine obierit, cum Xystus secundus Romæ ante mensem obijsset, vt suprà ostendimus. In Can. Vict. pag. 268.

19. Restat sola difficultas de tempore, quo Sedes Apostolica

lica post Xysti obitum vacauit. Enimuerò cum antiquissimus Catalogus retulisset mortem Xysti VIII. Idus Augusti Tusco & Basso Coss. sequitur in eodem Catalogo lacuna, & post lacunam: *A Consulatu Tusci & Bassi vsque in diem XII. Kalend. Augusti Aemiliano, & Basso Coss.* Lacunam hanc suppleuit Henschenius, qui rectè legit: *& praefuerunt presbyteri.* Ita enim ante mille, & centum annos, dum antiquior Catalogus integer extabat, legit auctor secundi Catalogi in Xysto: *Et Presbyteri praefuerunt à Consulatu Maximi, & Grauionis II. vsque Tusci & Bassi XIII. Kal. Augusti.* Quae auctor secundi Catalogi habet in Xysto, referunt quoquè auctor libri Pontificalis, & Anastasius Bibliothecarius iuxta fidem antiquissimi M.S. Florentini; cuius lectio in M.SS. notis Lucae Holstenij sub Pontificatu Stephani exhibetur his verbis: *Et presbyteri praefuerunt à Consulatu Maximi, & Glabrionis II. vsque Tuscum, & Bassum, à Consulatu Tusci, & Bassi vsque XVII. Kal. Augusti.* Vbi, videre est, duplicem quidem errorem ab Anastasio admissum; alterum dum sub Stephani Pontificatu narrat, quod sub Xysto narrare debuerat: alterum, dum Consulatus confundit, & à Consulatu Maximi, & Glabrionis II. anno 256. quo Stephanus adhuc Pontifex erat, vsque ad XVII. Kal. Augusti anno 258. quo sub Tusco, & Basso Xystus adhuc viuebat, presbyteros Ecclesiae praefuisse affirmat. Octauo Idus Augusti Tusco, & Basso Consulibus Xystus primùm martyrio consummatus est, vt manifestè constat ex supradictis. Vndè rectissimè antiquior Catalogus habet, presbyteros post Xysti obitum Ecclesiae praefuisse à Consulatu Tusci & Bassi vsque in diem XII. Kalendas Augusti Aemiliano & Basso Consulibus; quando nimirùm anno 259. in locum Xysti successit Dionysius.

10. Notandus autem est Consulatus Aemiliani, & Bassi, quem, quia cum sequenti Consulatu Cornelij Saecularis & Iunij Donati omisit Eminentissimus Cardinalis Baronius, hinc recentiores scriptores occasionem sumpserunt corrigendi eius Annales, in quibus eum vsque post medium tertij saeculi per duos integros annos à vera chronologia deflexisse animaduertunt. Verùm cum vir ille praestantissimus obseruasset, certos Consules aerae Diocletianeae initio esse adscriptos, quos ab aera vulgari 284. amouere non licebat, praedictique duo Consulatus in sua chronologia abundarent, maluit illos omittere, quàm in anno 284. à vero deflectere. Mirum itaque videri non debet, quòd praedicti Consules non reperiantur in Annalibus Eminentiss. Cardinalis Baronij, cum tamen reperiantur in antiquis fastis Consularibus. Habentur enim

in

in antiquissimis fastis apud Cuspinianum, in antiquissimo libello de Præfectis Vrbi edito apud Bucherium, in fastis Theonis Alexandrini à Dodvvello editis, in Canone Victorij, in fastis Idatianis, & Chronico integro S. Prosperi edito Tomo 1. Bibl. M. SS. Librorum apud Labbe, in fastis Siculis, seu Chronico Alexandrino, in fastis Græcis Vossianis, & apud Cassiodorum in Chronico, apud quos omnes est hic Consulum ordo: *Ann. 257. Valerianus IV. & Gallienus II. Ann. 258. Tuscus & Bassus. Anno 259. Aemilianus & Bassus. Anno 260. Sæcularis & Donatus. Ann. 261. Gallienus IV. & Gentianus, alijs Volusianus.* Quem Consulum ordinem necessariò retinere debemus, nisi ipsa Imperatorum rescripta in dubium reuocare velimus, in quibus non modò Tusci & Bassi, sed etiam Aemiliani & Bassi, & Sæcularis, ac Donati Consulatus annotantur, vt patet ex Codice Iustinianeo, in quo lib. 9. tit. 22. ad legem Corneliam de falsis, lege 7. exhibetur rescriptum: *Impp. Valer. & Gallien. A. A. & Valerian. C. Heliodoro P.P. III. Kal. Iul. Tusco & Basso Coss.* Et postea lege 8. *Iidem AA. & CC. Marino P.P. III. Kal. Iul. Aemiliano, & Basso Coss.* Similia rescripta habentur Consulatu Sæcularis & Donati insignita, idque non solùm in Codice Iustinianeo, sed etiam in excerptis Cod. Gregoriani. Quibus rescriptis concinunt nummorum Gallieni inscriptiones; reperiuntur enim apud Occonem: *TR.P.IV. Coss. III. TR.P.V. Cos. III. TR.P. VI. Coss. III. TR.P. VII. Coss. III. TR.P. VIII. Coss. IV.* Ex quibus manifestè constat, tres annos medios esse inter tertium & quartum Consulatum Gallieni; quod nulla alia ratione fieri potuit, quàm quòd post tertium Gallieni Consulatum tria Consulum paria successerint, priusquàm Gallienus quartum Consulatum inierit. Quod ipsum testantur fasti Consulares à nobis suprà allegati; adeò vt nullus ambigendi locus relinquatur, quin Consulatus Gallieni 4. quem Petauius alijque post Tusci & Bassi Consulatum ponunt, collocandus sit post Consulatum Sæcularis, & Donati; sicque fastis in integrum restitutis tandem æra vulgaris 261. Consulatui Valeriani IV. optime respondeat.

CAPVT OCTAVVM.

De æra Diocletiani, seu Martyrum Alexandrinorum; Pontificatu Marcellini, ac Marcelli; & tempore, quo Sedes Apostolica post Marcellini obitum vacauit.

1. *Initium æra Diocletiani in annum 284. incidit, vt rectè ex Ammiano Marcellino contra Scaligerum ostendit Petauius.*

2. *Confirmatur hæc sententia à Cardinali Baronio ex veteri Inscriptione, D. Ambrosio, & testimonio Euagrij, quibus consentit auctor Chronici Alexandrini.*

3. *Posito autem æra illius initio ad annum 284. monstratur, persecutionem cœpisse anno Diocletiani decimo septimo, qui concurrit cum æra 303. idque confirmant testimonia Idacij & Lactantij, quibus consonant Acta martyrum in illa persecutione occisorum.*

4. *Examinatur Petauij, aliorumque recentiorum sententia, de initio persecutionis Diocletianeæ in annum Christi 302. reijciendo, & ostenditur, præcipuè inniti corruptis Synodi Cirthensis Actis. Constat enim ex S. Optato & D. Augustino, Conciliabulum Cirthense celebratum fuisse alio Consulatu, quàm in Actis exhibetur.*

5. *In persecutione illa obijt Marcellinus, antequam Diocletianus anno 304. purpuram deposuit, vt ex antiquissimis Actis tradit Beda in Martyrologio.*

6. *Confirmant id antiquissimi Catalogi, quos secutus est auctor libri Pontificalis, conueniuntque omnes recentiores, inter quos Labbeus voluit, Marcellinum obijsse die 26. Aprilis, qui in Martyrologio Bedæ vocatur dies depositionis, aut sepulturæ, quæ contigit 26. diebus post eius obitum.*

7. *Sedem post Marcellini obitum pluribus annis vacasse, varij affirmant, inter alios autem auctor libri Pontificalis asserens, sedisse 7. annis,* persequente Diocletiano Christianos: *Id non subsistere, ex tempore, quo Diocletianus purpuram deposuit, cum Onuphrio Panuinio, & Cardinale Baronio ostendimus.*

8. *Marcello detractum tempus videtur, quod Sedi vacanti tribuitur. Vndè qui aliquot annos sedis vacantis admittunt, Marcello vix vnum alterumue annum tribuunt. Repugnant tamen huic sententiæ Acta Marcelli, ex quibus eum pluribus annis sedisse constat: Acta illa agnouerunt Vener. Beda, Notkerus, Rabanus, & Vsuardus.*

9. *Examinatur nota Consularis de anno obitus Marcelli ab antiquiore Catalogo adhibita, in quam errorem irrepsisse putat Papebrochius; cum tamen eandem notam ex antiquiore Catalogo ante mille, & plures annos descripserit auctor secundi Catalogi. Error potiùs commissus est in Consulatu, quo Marcellus cœpit, qui Consulatus ponendus erat Diocletiani IX. & Maximiani VIII. vti ex 4. annis Marcello ab auctore secundi Catalogi tributis deducitur.*

10. *Error ille prouenisse videtur ex Chronico Eusebij, in quo Marcelli Pontificatus omittitur, quem tamen constat distinctum fuisse à Marcellino Papa.*

1. ANtequàm tempus, quo Marcellinus occubuit, & Sedes Apostolica post eius martyrium in grauissima Diocletiani persecutione vacauit, inquiramus; necesse est annum, quo Diocletianus Imperium suscepit, inuestigare: certo enim eius Imperij anno persecutionem illam adscribunt veteres auctores, quorum testimonia adeò clara sunt, vt nullum de ijs dubium moueri possit. Erat namque æra Diocletiani ita celebris apud antiquos,

vt nulla olim illustrior habita sit, & ab ipsa Christiani annos suos numerare consueuerint. Nihilominus cum temporibus Diocletiani nondum æra vulgaris, qua Christiani nunc vtuntur, cognita fuerit, nullam æræ Diocletiani cum æra vulgari comparationem instituerunt scriptores antiqui; indeque recentiores inquirere cœperunt, quo anno vulgari Diocletiani cœperit æra. Scaliger in animaduersionibus ad Eusebium hac in re titubasse videtur, & varia secum pugnantia tradidisse, quæ ad trutinam reuocat Dionysius Petauius libro XI. de doctrina temporum cap. 29. & sequentibus, vbi plerisque testimonijs, & argumentis demonstrat, initium Imperij Diocletiani in annum 284. incidere, non verò in annum 288. vt putauit Scaliger, quem ex proprijs verbis refutat. Ita enim Scaliger in animaduers. ad ann. 2311. *A Diocletiano Augusto II. & Aristobulo Coss. ad tempora Iuliani Apostatæ, nullum hominem priuatum vlli Augusto Collegam fuisse, scribit Ammianus initio libri 23. hoc est per annos 78. Solum Iulianum Augustum IV. Cos. habuisse Collegam Salustium hominem priuatum.* Locus Ammiani Marcellini, cuius Scaliger meminit, est iste: *Iulianus verò iam ter Consule adscito in Collegio Trabeæ Salustio Præfecto per Gallias, quater ipse amplissimum inierat Magistratum, & videbatur nouum, adiunctum esse Augusto priuatum, quod post Diocletianum nullus meminerat gestum.* Consulatus Iuliani quartus cum Salustio Collega congruit anno Christi 363. de quo deductis annis 78. quos Scaliger inter hunc Consulatum & Consulatum Diocletiani Augusti ac Aristobuli intercessisse affirmat, reliqui fiunt anni Christi 285. quo proindè anno certum est Diocletianum iam fuisse Augustum.

2. Obseruat hæc contra Scaligerum Petauius, suprà, additque cap. 30. Diocletianum non ipso anno, quo Consul II. fuit cum Aristobulo, sed præcedente, Imperatorem factum, idque manifestè constare ex veteri inscriptione, quæ extat apud Gruterum, quę Diocletianum Cos. II. & Trib. Pot. II. nominat. Ex qua sequitur, Tribunitiam potestatem primo anno antè, quàm Consulatum secundum gereret, consecutum fuisse. Consulatus secundus cadit in annum Christi 285. Ergò Tribunitiam Potestatem primùm est adeptus anno 284. Ita Petauius, & ante Petauium Annalium parens Baronius ad annum 284. vbi testatur, Inscriptionem Romæ extare, notat verò ad marginem certitudinis causa, *in atrio Aedium Tiberij Ceuli*: quæ sic habet.

IMP. CAES. G. VALERIO. DIOCLETIANO. PIO. FELICI INVICTO. AVG. PONTIF. MAX. BRITANNIC. MAX. GERM MAX. TRIB. POTEST. II. COS. II. P.P. PROCOS HONORATI. ET. DECVRION. ET. NVMERVS. MILITVM CALIGATORVM

Nulla, inquit Baronius nu. 2. *in ea mentio eſt de Maximiano, quòd nondùm adſcitus erat Collega Imperij: Contigit autem anno ſequenti ab hac Inſcriptione, nempè tertia Tribunitia poteſtate eiuſdem Diocletiani* ... Num. 3. & 4. *Hoc igitur annò* 284. *Diocletianum Imperium accepiſſe, ſunt alia certa explorataque teſtimonia eorum, qui poſteriorum temporum annos ab ipſo primo Diocletiani Imperij ingreſſu numerare conſueuerunt. Nam quem ipſe Diocletianus inſtituit vſum, vt à prima die ſui Imperij ſequentes anni numerarentur, perſeuerauit idem apud nonnullos vſque ad tempora Iuſtiniani (vt ſuo loco dicemus) factumque eſt, vt & Chriſtiani etiam non honore Principis, ſed vſu communi ad tempora perueſtiganda à dicta prima die Imperij Diocletiani annos enumerarent. Conſtat, inter alios id feciſſe S. Ambroſium, qui cum in epiſtola ad Epiſcopos Aemiliæ numeret tempus à die (vt ait) Imperij Diocletiani, vſque ad annum octogeſimum, & aliàs nonageſimum tertium, quibus incidit* 14. *luna nono Kal. April. colligitur ex tabulis aſtronomicis, eum ab hoc anno, & die dictum annorum numerum auſpicatum eſſe. Inſuper verò quòd Euagrius Scholaſticus numeret ab eodem primo anno Diocletiani vſque ad obitum Zenonis annos* 207. *manifeſtum eſt, ipſum ab hoc item anno Domini* 284. *deducere numerum vſque ad annum Domini* 491. *quò Zeno ex hac vita ſublatus eſt*. Hucuſque Baronius, qui & allatum ſuprà Ammiani locum adducit, eique adiungi poteſt præclariſſimum Chronici Alexandrini teſtimonium, cuius auctor tempore Heraclij Imperatoris refert ante Conſulatum Diocletiani II. & Ariſtobuli: *Diocletianus Imperator XV. Cal. Octob. Chalcedone renuntiatus. V. Calendas Octob. Nicomediam purpuratus intrauit, & Calendis Ianuarijs Conſul prodijt*. Cum hæc autem ex actis publicis ab auctore deſumpta fuiſſe videantur, rectè concludit Baronius eodem num. 4. *Ex tot igitur neceſſarijs planè probationibus cum conſtet, hoc anno* 284. *Diocletianum ſuſcepiſſe regimen Imperij, erraſſe omninò conuincuntur, quotquot abhinc poſt tertium annum exordium Imperij Diocletiani reijciunt, vt inter alios Caſſiodorus: quod ante eum feciſſe videtur Euſebius,*

dum in Chronico ingressum eius ponit anno Domini 287. *Stabilijsse itaque in hunc modum Diocletiani annorum chronologiam oportuit: nam cum futura tempora post hæc contigerint numerari ab initio eius Imperij; si quis in eum semel errorem labatur, per deuia semper ferri necesse est.*

3. Placuit hunc integrum Baronij locum adducere, quo manifestum fiat, Annalium parentem æræ Diocletianeæ initium agnoscendo in viam redijsse, à qua numquam ferè in sequentibus deflectit, vt eius chronologia Pontificum, si pauca excipias, cum recentiorum sententijs ferè vbique consentiat. Posito autem æræ Diocletianeæ initio, inquirendum est de initio persecutionis, quam Eusebius in Chronico testatur cœpisse anno XIX. Diocletiani: *Decimo nono anno Diocletiani, mense Martio, in diebus Paschæ, Ecclesiæ subuersæ sunt*. Diocletianus Chalcedone anno 284. renuntiatus est Imperator XV. Cal. Octob. & V. Calendas eiusdem mensis Nicomediam purpuratus intrauit, vt suprà vidimus ex Chronico Alexandrino. Mensis itaque Martius anni decimi noni Diocletiani, quo persecutio, teste Eusebio, cœpit, incidit in annum 303. quo Consules fuere Diocletianus 8. & Maximianus 7. Atqui hoc Consulatu verè cœpisse grauissimam Diocletiani persecutionem, tot antiquorum testimonia affirmant, vt planè ignorem, qua ratione tempus illud in dubium vocari possit. Fasti Consulares sub nomine Idatij à Iacobo Sirmondo editi habent expressè: *Diocletiano VIII. & Maximiano VII. His Coss. persecutio Christianorum*. Lactantius, qui ante Idatium floruit, libro de mortibus persecutorum testimonium huic veritati præbuit, ita enim scribit cap. 12. *Potissimum Terminalia deliguntur, quæ sunt ad septimum Kalendas Martias, vt quasi terminus imponeretur huic religioni*, nimirùm Christianæ. *Ille dies primus leti primusque malorum causa fuit, quæ & ipsis, & Orbi terrarum acciderunt. Qui dies cum illuxisset agentibus Consulatum senibus ambobus octauum, & septimum, repentè adhuc dubia luce ad Ecclesiam profectus cum ducibus, & tribunis, & rationabilibus venit, & reuulsis foribus, simulacrum Dei quæritur, scripturæ repertæ incenduntur, datur omnibus præda. Rapitur, trepidatur discurritur*. Agit hìc Lactantius de templo Nicomediæ destructo à Prætorianis militibus, additque cap. 48. à Licinio *die Iduum Iuniarum Constantino atque ipso ter Consulibus, de restituenda Ecclesia* Nicomediensi ad Præsidem datas fuisse litteras, quas ibidem refert: & *sic*, inquit, *ab euersa Ecclesia vsque ad restitutam fuerunt anni decem, menses plus minùs quatuor*. Licinius, & Constantinus tertium Consulatum

Baluz. Miscell. To. 2.

tum gesserunt anno 313. à quo si demas annos decem à destructa Nicomediensi Ecclesia, residui erunt anni 303. quando nimirùm Consules erant Diocletianus 8. & Maximianus 7. vt Lactantius loco superiùs allato docuit. Hoc Lactantij testimonium confirmatur ex Martyrum Actis: Passio enim S. Felicis Episcopi Tubyzacensis his verbis incipit: *In diebus illis Diocletiano octies & Maximiano septies Consulibus Augustis, exiuit edictum eorumdem Cæsarum, vel Imperatorum super omnem faciem terræ, & propositum est per Colonias, & Ciuitates Principibus & Magistratibus suo cuique loco, vt libros deificos extorquerent de manibus Episcoporum, & presbyterorum. Tunc programma positum est in Ciuitate Tubyzacense die Nonarum Ianuariarum.* Edidit nuper hæc Acta Stephanus Baluzius tomo 2. Miscellaneorum, ex quibus manifestè de hac veritate constat.

4. Licèt autem non possint clariora testimonia pro initio persecutionis Diocletiani adduci; fuerunt tamen, qui cum Onuphrio, Baronio, & Petauio viris clarissimis contenderunt, persecutionem illam cœpisse anno præcedente, quod ipsum 302. Petauius lib. 4. Rationarij temporum, Parte 2. cap. 10. hoc argumento comprobat. *Conciliabulum Cirthense à Donatistis coactum est præsidente Secundo Tigisitano Episcopo, post annum, quàm commota persecutio est, vt scribit Augustinus. At idem celebratum est IV. Non.* Aug. in Breuic. Collat. diei 3. cap. 17.
Martij Diocletiano octies & Maximiano septies Coss. vt Acta illius fidem faciunt, quæ idem refert Augustinus. Consules isti cadunt in annum Christi 303. Ergò annus antecedens persecutionis initium dedit. Aug. 3. contra Gaudent. cap. 27.
Ita Petauius non animaduertens, errorem irrepsisse in notam Consularem Actorum, vt obseruauimus Differt. 3. de Ecclesia Africana cap. 2. in comment. ad Conciliabulum Cirthense. Enimuerò Consules illi fuere tempore persecutionis anno 303. testante S. Optato Mileuitano lib. 1. aduersus Parmenianum, Conciliabulum Cirthæ celebratum esse finita iam persecutione, ita enim scribit: *Post persecutionem apud Cirtham Ciuitatem (quia Basilicæ necdum fuerant restitutæ) in domum Vrbani Carisi consederunt die 3. Iduum Maiarum, sicut scripta Nundinarij tunc Diaconi testantur, & vetustas membranarum testimonium perhibet, quas dubitantibus proferre poterimus.* Non ago hìc de die, & mense, quibus S. Optatus Cirthense Conciliabulum celebratum fuisse affirmat, sed de eo, quod dicit habitum post persecutionem: quod ipsum D. Augustinus, & Catholici omnes in Breuiculo collationis admiserunt: *Porrò autem illud erat verius, quod Catholici dixerant: nam*

gesta

gesta Martyrum, quibus ostendebatur tempus persecutionis, Consulibus facta sunt Diocletiano nouies, & Maximiano octies pridiè Idus Februarias: gesta autem Episcopalia Decreti Cirthensis post eorundem Consulatum, tertio Nonas Martias. Ita apud D. Augustinum Catholici omnes, qui apertè indicant, Cirthense Concilium celebratum fuisse tertio Nonas Martias post Consulatum Diocletiani IX. & Maximiani VIII. anno nimirùm 305. quo Constantius Chlorus V. & Galerius Maximinus V. Consules erant, dum cessione Diocletiani & Maximiani, qui purpuram Nicomediæ deposuerant, persecutio nonnihil in Africa cessauerat. Hæc autem cum certiora videantur, quàm vt quisquam de ijs ambigere possit, patet omninò, Petauij argumentum nullatenus subsistere, qui Conciliabulum Cirthense celebratum putauit Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Consulibus, post annum, quàm commota fuit persecutio. Sanè persecutio primùm cœpit Consulibus à Petauio adductis, vndè Acta Munatij Felicis in Appendice ad S. Optatum: *Diocletiano octies, & Maximiano septies Consulibus 14. Kal. Iunias ex Actis Munatij Felicis F.P.P. Curatoris Coloniæ Cirthensium. Cum ventum esset ad domum, in qua Christiani conueniebant, Felix F.P.P. Curator Paulo Episcopo dixit: Proferte scripturas legis &c.* Illis igitur Consulibus 14. Kal. Iunias Cirthæ in Africa fuit persecutio; adeòque mense Martij antecedente Concilium Cirthense celebrari minimè potuit, quod post persecutionem celebratum esse clarè monstratum fuit.

5. Certum itaque est, cœpisse persecutionem Diocletiani Nicomediæ quidem anno 303. die 6. Kal. Martias, vt testatur Lactantius, & 14. Kal. Iunias Cirthæ per Munatium Felicem, vt ex eius Actis constat, die verò Nonarum Ianuariarum anni sequentis in Ciuitate Tubyzacensi; & alibi citiùs, aut tardiùs inualuisse. Vnum nunc videndum est, quo tempore Marcellinus Papa occubuerit: habet enim ea de re Eusebius lib. 7. hist. cap. 26. *Marcellini temporibus persecutio, in qua ipse martyrio occubuit, exorta est.* His similia scribit Theodoretus lib. 1. cap. 3. *Marcellinus vir persecutionis temporibus magna gloria nobilitatus.* Tempore persecutionis martyrem occubuisse Marcellinum, affirmant Eusebius, & Theodoretus; Imperatorem verò, sub quo martyrium subijt, non assignant, licèt alius esse non possit, quàm Diocletianus, in cuius persecutione martyrij palmam adeptum fuisse, ex antiquissimis Marcellini Actis tradit Venerabilis Beda in Martyrologio ad VI. Kal. Maij: *Depositio S. Marcellini Papæ, qui cum Ecclesiam 9. annis & mensibus* 4. re-

4. rexiſſet, temporibus Diocletiani pro fide Chriſti cum Claudio, & Cyrino, & Antonino capite truncatus eſt, & poſt dies 36. ſepultus via Salaria in cubiculo à Marcello presbytero, & diaconibus cum hymnis. Hæc Martyrologium Bedæ in antiquiſſimo M. S. Codice Palatino-Vaticano, ex quibus conſtat, Marcellinum occubuiſſe temporibus Diocletiani, qui purpuram depoſuit anno 304. Ita enim faſti Idatij: *Diocletiano 9. & Maximiano 8. His Coſſ. depoſuerunt purpuram priuati effecti Diocletianus, & Maximianus die Kal. Aprilis.* Cum itaque Diocletianus Imperio ceſſerit, dum nonies Conſulatum gerebat anno nimirum 304. die prima Aprilis, & vt anteà monſtratum eſt, perſecutio Diocletiani ſolummodò cœperit an. 303. menſe Martio; neceſſe eſt, vt Marcellinus in perſecutione ſub Diocletiano paſſus dicatur, cum vltimo Diocletiani anno obijſſe.

6. Id enim probant antiqui Catalogi, ac primò quidem Catalogus tempore Liberij Papæ concinnatus, qui ita habet: *Marcellinus annis octo menſibus tribus, diebus 25. Fuit temporibus Diocletiani, & Maximiani ex die pridie Kal. Iulias, à Conſulibus Diocletiano VI. & Conſtantio II. vſque in Conſulatum Diocletiani IX. & Maximiani VIII. quo tempore fuit perſecutio.* Eadem habentur in ſecundo Catalogo tempore Iuſtini Imperatoris exarato, eaque repetit author libri Pontificalis in vita Marcellini: adeò vt iuxtà hos omnes Marcellinus paſſus ſit Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Coſſ. id eſt anno 304. qui fuit vltimus Diocletiani. Quæ de re adeò conuenit inter recentiores ſcriptores, vt, qui in anteriorum Pontificum chronologia ſæpiùs inter ſe diſcrepant, circa tempus, quo Marcellinus occubuit, vnum idemque ſentiant. Fidem hac dè re faciunt Onuphrius Panuinius, & Antonius Auguſtinus, Cardinales Baronius & Bellarminus, Dionyſius Petauius, & Philippus Labbeus, qui omnes Marcellini obitum in annum 304. referunt. Addit Labbeus diem 26. Aprilis, qui dies idem ipſe eſt, quo in Martyrologijs Bedæ, Rabani, Notkeri, Adonis, & Vſuardi, Marcellini memoria celebratur. Obſeruandum tamen, quòd Diocletianus, & Maximianus eodem anno purpuram depoſuerunt primo die Aprilis: vndè vel dicendum, ante diem primum Aprilis obijſſe Marcellinum, vel anno 303. non 304. occubuiſſe. Pro cuius difficultatis ſolutione notanda ſunt verba Venerabilis Bedæ, quibus teſtatur, Marcellinum poſt mortem dies 36. vt in M. S. vel 35. vt in editione vulgata, inſepultum iacuiſſe, & poſteà ſepultum fuiſſe via Salaria. Fieri autem potuit, non mortis, ſed ſepulturæ diem annotatum fuiſſe

in

in Martyrologijs, & ita contigisse innuit Beda, dum scribit ad VI. Kal. Maij: *Depositio S. Marcellini Papæ*, prout in supra citato manuscripto antiquissimo legitur; quamuis in editione vulgata legatur *natale*. Depositionis itaque dies fuit 26. Aprilis, cum iam 16. Martij passus esset Diocletiano adhuc imperante, vt sub eo Marcellini martyrium rectè collocari possit.

7. Atque his quidem probandis (cum nulla ampliùs quæstio superesse possit) non est, quòd diutiùs inhæreamus. Sed solùm restat, vt inquiramus, quanto tempore sedes vacauerit post Marcellini obitum, & quisnam eidem in Pontificatu successerit. De his enim haud satis conuenit inter recentiores, & antiquiores scriptores Ecclesiasticos. Auctor Catalogi tempore Liberij Papæ conscripti affirmat, cessasse Episcopatum *annis IV. mensibus VI. diebus XXV.* Catalogus tempore Iustini Imperatoris concinnatus refert, vacasse *annos sex, menses sex, dies viginti quinque*. In antiquis membranis sexti sæculi annotatur: *Et cessauit Episcopatus annos VII. M. V. dies XXV.* Auctor libri Pontificalis in Marcellino affirmat, cessasse *annos 7. menses 6. dies 25. persequente Diocletiano Christianos*. Quæ manifestum errorem continent, vt patet ex ijs, quæ iam suprà diximus de tempore, quo Diocletianus purpuram deposuit. Cum enim id contigerit paucis diebus post Marcellini passionem, nullatenùs dici potuit, Sedem Apostolicam vacasse 7. annis, *persequente Diocletiano Christianos*. Dio Cassius narrat de Diocletiano, quod IX. Consul existens Kalendis Maij Nicomediæ *Daiæ purpuram iniecit, qua se exuit, & Diocles iterum factus est: Tum descenditur, & rheda per Ciuitatem veteranus Rex foràs exportatur, in patriamque dimittitur: Daia verò sublatus nuper à pecoribus, & syluis, statim scutarius, continuò Protector, mox Tribunus, postridiè Cæsar accepit Orientem calcandum & conterendum.* Quòd si Diocletianus priuatus effectus in patriam secesserit anno 304. Kal. Maias, id est 30. diebus post Marcellini obitum; persecutio, si quæ vlla in Occidente fuit, à Diocletiano ampliùs moueri non potuit. Vidit hoc Panuinius, ideòque in historia Ecclesiastica M. S. sic vitam Marcelli orditur: *Quum senioribus Augustis abdicantibus, Galerius Orientis, Constantius verò Orientis Imperiũ suscepissent, Constantij moderatione, & pietate Occidentales Ecclesiæ à persecutionis rabie paululùm respirare cœperunt. Vndè in Vrbe duobus post Marcellini cædem mensibus transactis, V. Kal. Iulij omnium S. R. E. Clericorum suffragijs ad Pontificatum accitus est presbyter Marcellus Benedicti filius Romanus, de Regione Viæ latæ.*

Si-

Similia habent Eminentissimus Cardinalis Baronius ad annum 304. vbi obseruat, incertum quidem esse, quo mense, & die Marcellus electus sit, nullatenùs tamen dubitandum, quin eodem anno, quo Marcellinus occubuit, Marcellus Pontificatum obtinuerit. Explodit itaque commentum, vel potiùs errorem, qui in libri Pontificalis textum irrepserit, de septem annis sedis vacantis, ostenditque, id ne quidem subsistere posse iuxta chronotaxim sequentium Pontificum, quos auctor eiusdem libri sub certis Imperatoribus posuit, qui ante septimum à Marcellini obitu annum iam interierant.

8. Discrepant quidem ab auctore libri Pontificalis antiquiores Catalogi, in quorum altero sex, in altero quatuor dumtaxat anni sedis vacantis assignantur: sed & hoc obseruatu dignum est, annos sedis vacantis Marcello adimi, eidemque, quem septem annis sedisse, ex plerisque antiquis Catalogis tradiderant auctor libri Pontificalis, & Anastasius, nonnisi vnum annum, & septem menses Pontificatus tribui. Quòd autem Marcellus plusquàm vno anno Ecclesiam rexerit, probatur ex Actis S. Marcelli, quæ in duobus antiquis M.SS. Codicibus Vaticanis sub num. 1195. & 1196. reperiuntur. In illis namque affirmatur, Marcellum obijsse tempore Maximiani Diocletiani filio, diciturque longo

Secundum editionem Henscenij.

tempore Ecclesiæ præsedisse. Et cùm domum Lucinæ in Ecclesiam consecrasset: *Audiens hoc Maximianus Augustus iratus misit in eandem Ecclesiam, & fecit præceptione sua, vt in eadem Ecclesia tabulæ sternerentur ad animalia Catabuli publici, & eundem Marcellum Episcopum ad seruitium animalium deputauit cum custodia publica. Vbi etiam post multos annos seruiendo emisit spiritum sub die 17. Kal. Februarias.* Dies 17. Kal. Februarij est dies 16. Ianuarij, ad quem Martyrologium D. Hieronymo tributum: *Romæ via Salaria in Cœmeterio Priscillæ depositio Marcelli Episcopi, & Confessoris.* Hæc conuenienter ad Acta, ex quibus ante mille fermè annos, Vener. Beda in Martyrologio ad eundem diem: *Natiuitas S. Marcelli Papæ, qui iubente Maximino Imperatore primò fustibus cæsus, & à facie eius, quem corripiebat, expulsus est. Deindè audiens, quòd domum S. Lucinæ, quam ipse proscriptione damnauerat, eò quòd de facultatibus suis Christianis donauerat, Ecclesiam faceret, atque in ea missas celebraret: in media Ciuitate iussit in eadem Ecclesia plancas externi ad animalia Catabuli publici, & eundem Episcopum ad seruitium animalium deputauit cum custodia publica: vbi etiam post multos annos seruiendo indutus amictu cilicino defunctus est, & conditus aromatibus à Ioanne* pre-

presbytero, & B. Lucina, sepultus est in Cymeterio Priscillæ. Hactenus Beda in Martyrologio, quod antiquissimum, & germanum asseruatur in Bibliotheca Palatino-Vaticana. Eadem omninò verba habent Notkerus, & Hrabanus, quibus consentit Vsuardus ante 900. annos in Martyrologio ad diem 16. Ianuarij: *Romæ via Salaria natale S. Marcelli Papæ, qui ob Catholicæ fidei defensionem iubente Maximiano Tyranno, primò fustibus cæsus, deindè ad seruitium animalium cum custodia publica deputatus, post multos annos ibidem seruiendo amictu indutus cilicino defunctus est.*

9. Cum itaque ex Actis à tot præclaris viris in auctoritatem admissis manifestè constet, S. Marcellum pluribus annis Pontificatum obtinuisse, nescio qua ratione, nouemdecim dumtaxat mensibus sedisse, ex antiquiori Catalogo opinatus sit V. Cl. Papebrochius in Conatu Chronico-Historico, cum fateatur, errorem irrepsisse in Consules à Catalogo exhibitos; dicitur enim sedisse à *Consulatu ...... X, & Maximiani VII. vsque Post Consulatum X. & VII.* hoc est ab anno 308. vsque ad annum 309. cum enim Marcellus occubuerit 16. Ianuarij, non poterat Papebrochius inuenire annum vnum, & menses septem Pontificatus Marcelli, ideoque putauit ad *post Consulatum* adiungendum *iterùm*, siue annum 310. Verùm iam alibi monui, nostrum non esse, antiquitatis monimenta corrigere, vt opinioni cuidam congruant, sed opinionem nostram antiquitatis monimentis accommodare, vt ea, quæ sequimur, vetustati concinant. Prædictam sanè Consulatuum notam ante mille, & centum annos descripsit auctor secundi Catalogi his verbis: *A Consulatu Maxentij IV. & Maximi, vsque Post Consulatum.* Quibus confirmatur, Marcellum sedisse ab anno 308. vsque ad 309. Maxentius enim Romæ, & Maximianus, non verò Maximus, Consules fuerunt anno 308. & Postconsulatus X. Maximiani Herculei cadet in annum sequentem. Verùm & in Maxentij notam Consularem errorem irrepsisse, vel ex eo colligi potest, quòd quartum Consulatum Maxentij ponat, vbi primus eius Consulatus ponendus erat, si ab anno 308. Marcelli Pontificatum auspicari volebat. Cum igitur error irrepserit tam manifestus in Consulatum, quo Marcellus cœpit, & vtriusque Catalogi auctores constanter affirment, Consulatum, quo Marcellus occubuit, esse Postconsulatum X. Maxi Herculei, nihil omninò obesse putamus, quò minùs obitus Marcelli figatur anno 309. ad prædictum Postconsulatum, quo Marcellum martyrio coronatum esse,

affirmant Onuphrius Panuinius, Antonius Augustinus, Bellarminus, Baronius, Petauius, & Labbeus: eiusdem verò Pontificatus exordium cum iisdem auctoribus statuatur anno 304. quo, cum Marcellinus sepultus esset die 26. Aprilis, haud diù posteà electus, & ordinatus fuit Marcellus, cui apprimè conueniunt anni quatuor, quot Marcellum sedisse, auctor secundi Catalogi affirmat. Ab anno enim 304. vsque ad 16. Ianuarij anni 309. quatuor anni intercedunt.

10. Verisimile itaque est, à nonnullis Marcello Papæ detractum fuisse tempus, quo in persecutione sedem Apostolicam vacasse scripserunt. Prouenit autem, meo quidem iudicio, error ille ex alio errore maiori, qui irrepserat in Chronicon Eusebij, in quo Marcelli Pontificatus desideratur: vndè quidam antiqui Catalogi solum Marcellinum agnoscentes, Marcellum quoquè omiserunt. Siue autem Eusebius ex nominum similitudine deceptus, siue ex alia causa peccauerit; nemo crederet, potuisse virum adeò in historia Ecclesiastica versatum omittere Pontificem, qui suo tempore Romæ sedit, nisi id contigisse, ex omnibus M. S S. & editis Eusebij codicibus colligeretur. Magìs autem mirandum videtur, quòd error ille remanserit in Chronico Eusebij, postquàm illud D. Hieronymus latinè vertit, varijsque in locis auxit, & correxit. Quo sanè exemplo docemur, quàm cautè nonnunquam sequenda sint in rebus facti etiam præstantissimorum virorum vestigia, & tutius esse, in successione Romanorum Pontificum sequi Romanæ Ecclesiæ traditionem, iuxta quam non Marcellinus tantùm, sed etiam Marcellus in ordine Romanorum Pontificum ponuntur.

CAPVT NONVM.

De Felice Secundo: an fuerit verus Pontifex, & quot annis sederit?

1. Quòd Felicis ingressus illegitimus fuerit, ipsiusque Pontificatus vacillauerit, testatur D. Athanasius, cuius locus adducitur.

2. Eum in schismate contra Liberium sedisse, affirmant Faustinus & Marcellinus presbyteri in libello precum Valentiniano Imperatori oblato.

3. Quæ Onuphrius Panuinius ex antiquissimo codice Marcelli Secundi Pontificis de intrusione Felicis narrat in historia Ecclesiastica, ex hoc libello desumpta sunt, qui continetur in M. S. Codice Marcelli Secundi.

4. Narratio Faustini, & Marcellini confirmatur ex ijs, quæ de Felice habent Ruffinus, D. Hieronymus, & Sanctus Prosper.

5. D. Optatus, & S. Augustinus Felicem non agnoscunt inter Romanos Pontifices: vndè Romæ deliberatum fuit tempore Baronij de auferenda Felicis memoria ex Martyrologio. Sed corpore eius cum lapidei laterculi inscriptione reperto, mutata est sententia.

6. Variant antiqui scriptores Græci circa Felicis Acta. Socratis, Sozomeni, & Theodoreti testimonia adferuntur.

7. Felicem fuisse Catholicum, & verum Pontificem, firmatur 1. ex Actis Eusebij presbyteri & martyris à Baluzio editis.

8. Eadem confirmantur ex Actis Felicis Papæ, quæ ex varijs M.SS. Codicibus Vaticanis adducuntur.

9. Irrepsit in hæc Acta error de rebaptizatione Constantij per Eusebium Nicomediensem in Aquilone Villa: id enim de Constantino, iuxta D. Hieronymum, aliosque Patres dici potest, non verò de Constantio, vt pluribus ostenditur.

10. Interpolari tamen potuit locus ille, cum sensus Actorum sine verbis, quibus rebaptizatio Constantij asseritur, perfectus sit, & in antiqui laterculi inscriptione nulla hac de re mentio facta reperiatur.

11. Conuenit autem inter mediæ ætatis scriptores, & Catalogorum auctores, Felicem fuisse aliquanto tempore verum Pontificem.

12. Tempus illud vltra annum vnum, menses tres, & dies duos extendendum non esse, paucis indicatur.

1. FElix Secundus, de quo in præsenti agimus, post medium quarti sæculi Romanam sedem, aut consentiente Liberio obtinuit, aut adnitente Constantio Imperatore Ariano inuasit: Quonam ex his duobus modis ad supremum Pontificatus apicem peruenerit, disputant scriptores Ecclesiastici; & cum res nondùm plenè elucidata sit, proferenda sunt antiquitatis monimenta, ex quibus de veritate huius rei constare poterit. Ac primum quidem antiquorum testimonium est D. Athanasij Patriarchæ Alexandrini, qui illis temporibus vixit: in epistola namque ad solitarios de Constantio agens scripsit, quòd *Epicteto ministro vtens in locum Ecclesiæ Palatium suum succedere voluerit, & pro conuentu populi ac Iure Comitiorum tres eunuchos præsentes esse iusserit, tresque item exploratores: non enim tres Episcopos dixeris, vt ipsi Felicem quendam Episcopum in Palatio crearent, dignum profectò talibus suffragatoribus. Cæterùm populi omnes cognita hæreticorum prauitate, non permisere eos Ecclesiam intrare, proculque ab eis recesserunt.*

2. Quæ magnus Athanasius paucis complectitur, pluribus explicant Faustinus, & Marcellinus presbyteri in libello precum, Valentiniano Imperatori aliquot annis post Felicis obitum Romæ oblato: agentes enim de persecutione Constantij, in qua Liberius Romanus Episcopus, Eusebius Vercellensis, Lucifer Calaritanus, & Hilarius Pictauiensis, qui D. Athanasij damnationi subscribere nolebant, exulare coacti sunt: *Hi ergò*, inquiunt, *mittuntur in exilium pro fide seruanda. Cum Liberio Damasus Diaconus eius se simulat proficisci; vndè fugiens de itinere Romam redijt, ambitione corru-*

ptus; sed eo die, quo Liberius ad exilium proficiscebatur, Clerus omnis, id est Presbyteri, & Archidiaconus Felix, & ipse Damasus Diaconus, & cuncta Ecclesiæ officia, omnes pariter præsente populo Romano, sub iureiurando firmauerunt, se viuente Liberio Pontificem alterum nullatenùs habituros. Sed Clerus contra fas, quod minimè decebat, cum summo periurij scelere Felicem Archidiaconum in locum Liberij receperunt. Quod factum vniuerso populo displicuit, & ab eius processione suspendit. Post annos duos venit Romam Constantius Imperator; pro Liberio rogatur à populo, qui mox annuens ait: Habetis Liberium, qui, qualis à vobis profectus est, melior reuertetur. Hoc autem de consensu eius, quo manus perfidiæ dederat, indicabat. Tertio anno redit Liberius, cui obuiam cum gaudio populus Romanus exiuit. Felix notatus à Senatu, vel populo de Vrbe propellitur, & post parum temporis impulsu Clericorum, qui periurauerant, irrumpit in Vrbem, & stationem in Iulij trans Tyberim dare præsumit, quem omnis multitudo fidelium, & Proceres de Vrbe iterùm cum magno dedecore proiecerunt. Post annos octo Valentiniano & Valente Coss. X. Kalen. Decembris die, defunctus est Felix. Liberius misericordiam fecit in Cleros, qui periurauerant, eosque in locis proprijs suscepit. Itemque octauo Kal. Octobris, Gratiano & Dalaipho Coss. Liberius humanis rebus eximitur. Perspicua est hæc Faustini, & Marcellini narratio, qua singula ad Felicis ingressum, eiectionem, ac obitum spectantia exhibentur, vt obseruat Onuphrius Panuinius Tomo primo Historiæ Ecclesiasticæ, quæ manuscripta asseruatur in Bibliotheca Vaticana.

3. Porrò habet Onuphrius ad annum 355. *Arbetione & Lolliano Coss. Pridie quàm Liberius Papa Vrbe, vt ad Imperatorem Constantium proficisceretur, exiret, presbyteri, Archidiaconus Felix, Damasus diaconus, & alij diaconi, reliqui Ecclesiastici ordinis, ac cuncti S. R. E. clerici ad Pontificem congregati; maxima Senatorum parte, populique Romani multitudine astante, iureiurando firmauerunt, se Liberio Papa viuente, neminem alium Episcopum Romæ suscepturos, etiamsi à Synodo Episcoporum, vel Imperatore id facere iuberentur. Quo præstito iuramento crepusculo matutino, cui Idus Augustæ illuxere, Liberius ad Imperatorem Constantium iter arripuit. Eum in certum exilium abeuntem Damasus diaconus, qui postea Episcopus Romanus fuit, Mediolanum vsque comitatus est. Quem vbi relegatum in Thraciam vidit, Romam*

mam rediens, quum nulla eius restitutionis spes esse videretur, auctor Clero fuisse dicitur, vt alium Pontificem in Liberij depositum locum, quemadmodum omnes aliæ Ecclesiæ, quæ suis Pastoribus per eos dies orbatæ fuerant, fecerant, eligerent. Tum Clerus iusiurandi sacramento neglecto, & præter canones agens, quòd se Episcopo non posse carere diceret, Vrsacij, Valentis, & aliorum Arianorum Episcoporum, qui præcipui apud Imperatorem instigatores, & exilij Liberij patratores fuerant, suasione adductus, Felicem Romanum Anastasij filium S. R. E. Achidiaconum à Iulio Papa creatum, vel vt ex Damaso tradit Bibliothecarius, presbyterum, in locum Liberij ordinatum Episcopum Romanum susceperunt, virum alioqui Catholicum, & qui incorruptam seruauit Nicææ expositam fidem. Sed hæreseos suspicionem effugere non potuit, quòd eligi se hæreticorum authoritate permiserit, vt eorum communione coniunctioneque maculatus fuerit. Eius ordinatio Populo Romano, qui Liberij amore flagrabat, ita displicuit, vt à Felicis communione se separauerit, & eo intra sacram ædem docente, vel sacra mysteria celebrante, nemo Ciuis Romanus illuc adesse vnquam voluerit ..... Fl. Constantio Aug. IX. & Fl. Iuliano Cæsare II. Coss. Liberio Papæ ad Vrbem redeunti obuiam cum gaudio populus Romanus exiuit. Felix notatus à Senatu populoque Romano, Vrbe per seditionem popularemque tumultum pulsus, paulò post impulsu Clericorum, qui peierarant, in Vrbem irrupit, & stationem solennem in Basilica trans Tyberim habere ausus est. Quem illicò plebis Romanæ concitatæ multitudo, primatesque è populo Vrbe iterùm magno cum dedecore fugarunt. Is dum vixit, nihilominùs sacerdotij honorem in schismate contra Liberium tenuit. Quæ de Felicis in schismate, electione & morte dixi ...., excerpsi ex vetustissimo S. R. E. Registro, quo Romanorum Pontificum præcipua Acta, & epistolæ decretales plurimæ comprehensæ sunt, à Liberij Papæ exilio vsque Hormisdam Episcopum Romanum, cuius olim mihi copiam exhibuit Vir æterna memoria dignus Marcellus Secundus Papa, quum adhuc Cardinalem S. Crucis ageret, vir in Ecclesiasticæ antiquitatis monimentis perquirendis supra fidem diligentissimus, quem librum literis maiusculis scriptum, ipse ex nobili Bibliotheca Monasterij S. Crucis de Auellana Diœcesis Eugubinæ sibi commendati, se habuisse mihi retulit. Apparet autem, Romanorum Pontificum res gestas in eo comprehensas publica fide ab his, qui singulis interfuerunt, scriptas fuisse. Ha-

Ac-

ctenus Onuphrius Panuinius, qui antiquissimi codicis M. S. meminit, cuius transumptum etiamnum asseruatur in Bibliotheca Vaticana sub numero 4903. Non solùm enim ibidem continentur gesta inter Liberium, & Felicem, Episcopos, multaque acta, & epistolæ Romanorum Pontificum à Liberio ad Hormisdam, sed etiam annotatum reperitur in fine codicis: *Hunc librum acquisiuit D. Damianus S. Crucis. Iste liber est ab originali, quod habet Monasterium S. Crucis fontis Auellanæ, Eugubinæ Diœcesis, de verbo ad verbum fideliter rescriptus: anno Domini N. IESV Christi* 1550. Manifestum inde redditur, hunc codicem Vaticanum esse exemplar illud, quod ad Marcellum II. olim spectauit, simulque indè colligere licet, quænam sint gesta inter Liberium & Felicem, ex quibus Onuphrius historiam Pontificatus Liberij desumpsit. Sunt nempè gesta à Faustino, & Marcellino presbyteris descripta in libello precum, quem Valentiniano, Theodosio, & Arcadio Imperatoribus obtulerunt, quæque Iacobus Sirmondus hoc nostro sæculo publici iuris fecit.

4. Ad hoc autem, quod obijci solet, Faustinum, & Marcellinum, vt Vrsicini partes contra Damasum Felicis successorem tuerentur, in hoc libello precum multa comminisci; responderi potest, illis concordare Ruffinum presbyterum Aquileiensem lib. 1. historiæ, cap. 21. vbi cum egisset de Liberij exilio, adiungit: *Inque eius locum Felix Diaconus suus ab hæreticis subrogatur; & non tam sectæ diuersitate, quàm communionis, & ordinationis conuenientia maculatur.* Ruffino consona scribit D. Hieronymus, qui post paucos annos ab obitu Felicis sub Damaso Romam venit, illique Pontifici per tres integros annos à secretis fuit, adeò vt vix quidquam ipsum circa Felicis Pontificatum latere potuerit. Ita enim habet in Chronici Eusebiani supplemento: *Liberio in exilium ob fidem truso, omnes Clerici iurauerunt, vt nullum alium susciperent. Verùm cum Felix ab Arianis fuisset in sacerdotium substitutus, plurimi peierauerunt, & post annum cum Felice eiecti sunt: quia Liberius tædio victus exilij, & in hæreticam prauitatem subscribens, Romam quasi victor intrauerat.* Repetit ferè D. Hieronymi verba S. Prosper in Chronico integro, vbi scribit: *Romanæ Ecclesiæ 34. Episcopus ordinatur Liberius, quo in exilium nono Episcopatus sui anno ob fidem truso, omnes Clerici iurauerunt, quòd nullum alium susciperent. Verùm cum Felix ab Arianis fuisset in sacerdotio substitutus, plurimi periurauerunt; & post annum reuerso in Vrbem Liberio cum Felice eiecti sunt.*

5. Con-

5. Concinunt his omnibus S. Optatus Episcopus Mileuitanus, & D. Augustinus Episcopus Hipponensis, quorum primus lib. 2. contra Parmenianum, secundus verò epist. 165. Catalogos Romanorum Pontificum ad sua vsque tempora deduxerunt, & omisso Felice, solius Liberij mentionem fecerunt. Hæc autem antiquissimorum Patrum testimonia tanti facienda credidit tempore Cardinalis Baronij Sacra Rituum Congregatio, vt Felicem de serie Romanorum Pontificum expunxisset, nisi pridie festi Felicis corpus eius Romæ inuentum fuisset cum inscriptione, qua de Felicis sanctitate, & martyrio constabat. Cum igitur Annalium parens Baronius ad annum 355. tenuisset, Felicem viuente Liberio non fuisse verum Pontificem, ita subiungit ad annum 357. *Cum ingressus Felicis absque controuersia à maioribus fuerit existimatus iniquus, & de exitu eius eadem inter se pugnantia scripta nutent: inde & accidit, vt temporibus Pontificatus Gregorij Decimitertij, dum de emendatione Romani Martyrologij à viris eruditis ad hoc delectis frequentes haberentur conuentus, & de Felice non leuis controuersia incidisset, expungendusne esset ob vitiosum ingressum eius, vel absque martyrij titulo relinquendus, deque his diù, multumque altercatum esset, & ego in eam sententiam pedibus irem, vt Felicis nomen expungendum esset, eoque argumento volumen haud breue scripsissem, cui fauerent, astipularenturque complures viri eruditi in Vrbe tunc existentes: accidit planè, veluti Diuino miraculo, vt cum in Diaconia Sanctorum Martyrum Cosmæ, & Damiani in Foro, ad templum Pacis posita, quidam malè consulti, sed non sine diuina prouidentia, clàm Altare vnum à dextris positum suffoderent, vt thesaurum inuenirent, quod acceperant, nescio quo reuelante, ibi esse repositum; in marmoream arcam inciderent, in cuius altero latere, tabulæ lapideæ interstitio ab altero distincto, repositæ inuenirentur reliquiæ Sanctorum Martyrum Marci, atque Marcelliani, & Tranquillini; in altero verò arcæ latere Corpus Sancti Felicis, de quo agimus, vnà cum lapideo laterculo ibidem intùs posito hisce literis exarato: CORPVS S. FELICIS PAPAE ET MARTYRIS, QVI DAMNAVIT CONSTANTIVM. Quod accidit pridie eius diei, quo eiusdem S. Felicis in Ecclesia natalis dies agi consueuit quarto Kalendas Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo secundo, cum de eius meritis disceptatio magna esset, iamque penè ob innumeras contrarias assertiones, causa cadere*

dere videretur: quando opportunè ipsemet Felix visus est admiratione omnium rediuiuus comparuisse, per se suam ipse causam acturus, cum iam valdè stylo contradicentium esset oppressus.

6. Hæc Baronius de sensu Romanæ Ecclesiæ, pro cuius confirmatione notandum omninò, non vnam esse omnium antiquorum traditionem de ingressu Felicis. Socrates enim lib. 2. historię cap. 37. in editione Græco-latina H. Valesij (qui lacunam huius loci insignem notat se suppleuisse ex duobus optimis codicibus Florentino, & Sfortiano) affirmat, Liberium in exilium missum fuisse: *Felice in eius locum ab Vrsacianis suffecto, qui cum esset Ecclesiæ Romanæ Diaconus, Arianam tunc amplexus perfidiam, ad Episcopatus honorem promotus est. Nonnulli tamen affirmant, illum opinionem Arianam minimè amplexum esse, sed vi, ac necessitate compulsum ordinationem suscepisse.* Quinam illi sint, qui Felicem vi ac necessitate compulsum ordinationem suscepisse tradiderunt, non indicat Socrates: ante tempora tamen sua id à scriptoribus memoriæ proditum fuisse, affirmat Sozomenus, qui cum Socrate Constantinopoli versatus est, & lib. 4. capite 11. scribit, Liberium Episcopatu Romano spoliatum fuisse: *Eiusque administratio*, inquit, *commissa est Felici cuidam illius Cleri Diacono, quem quidem aiunt fidei Concilij Nicæni perpetuò adhæsisse, & quod ad Religionem pertinet, omni prorsus reprehensione caruisse. Vnum verò illud in eo esse reprehensum, quòd etiam ante ordinationem communione cum hæreticis sociatus fuisset.* Adiungitque cap. 15. postquàm Liberius Episcopis Sirmij congregatis consenserat, & Imperator ei redeundi licentiam dederat, prędictos Episcopos scripsisse *ad Felicem, qui tum Romanæ Ecclesiæ præsidebat, & ad Clerum eiusdem Ciuitatis, vt Liberium susciperent, vtque ambo Apostolicam Sedem gubernarent, & simul sacerdotio fungerentur.* Simile quid ad Romanos scripsisse Constantium, refert Theodoretus lib. 2. c. 17. in edit. Valesiana, testaturque, hanc Constantij epistolam in circo lectam fuisse, sed omnes eam explosisse, & vna voce clamasse: *Vnus Deus, vnus Christus, vnus Episcopus.* Reuerso itaque Liberio, *Felix*, inquit, *recedens in alia Ciuitate habitauit.*

7. Plura sunt in his Græcorum verbis, quæ contra Faustini, & Marcellini testimonia faciunt, ac illud in primis, quòd Felix dicatur coactus Pontificatum suscepisse; deindè Catholicus extitisse; & demùm post Liberij reditum ad aliam Ciuitatem migrasse. Quòd si quæras testem ocu-

ocularem, qui causam Felicis contra Faustinum & Marcellinum tueatur, habes eum apud Orosium, qui in gestis Eusebij presbyteri Romani nuper à Stephano Baluzio Tomo 2. Miscellaneorum ex tribus M. SS. codicibus Bibliothecæ Colbertinæ publicatis, narrat, quòd presbyter Eusebius accusauerit Liberium, & Constantium Imperatorem, quòd *Felicem Episcopum, quem vos non tacuistis Catholicum, & Dominum IESVM Christum inuocantem, purum sacerdotem ab omnibus declaratum, in damnationis causam exilio direxistis, qui tamen in prædiolo suo orationibus vacat. Et quidem iussu tuo Christianis occisionem, & necem præcepisti inferri maximè clericis, & presbyteris, & diaconibus. Tunc iratus Constantius sub rogatu Liberij includit Eusebium presbyterum in quodam cubiculo domus suæ, quod humile erat in latitudine pedibus quatuor, & ibi multis mensibus in oratione constanter perseuerans, inclusus tamen post menses septem dormitionem accepit nono decimo Kalendas Septembris, cuius corpus collegerunt Gregorius, & Orosius presbyteri parentes eius, & sepelierunt in crypta iuxta corpus beati Sixti Martyris, & Episcopi via Appia in Cymiterio Calisti, vbi & titulum eius scribentes posuerunt pro commemoratione eius*: Eusebio homini Dei: *Eodem tempore auditum est à Constantio Imperatore, eò quòd Gregorius, & Orosius collegerunt corpus Eusebij presbyteri, & in eadem crypta viuum præcepit includi Gregorium. Tunc Orosius presbyter collegit semiuiuum beatum Gregorium noctu occultè propter Constantium Augustum, & emisso spiritu sepeliuit eum iuxta corpus Sancti Eusebij presbyteri, qui etiam Orosius hæc gesta conscripsit*. Placuit hunc locum integrum exscribere, quia non solùm ex illo constat de Felicis vita, & Episcopatu, sed etiam de plerisque alijs ipsius occasione Romæ peractis, vti etiam de persecutione Constantij circa Clerum Romanum, adeò vt mirum videri non debeat, quòd in antiqua inscriptione tempore Baronij reperta contineatur Felicis martyrium.

8. Cætera à Græcis auctoribus memorata confirmantur ex Actis ipsius Felicis, quæ manuscripta asseruantur in codice Eminentiss. Cardinalis Casanate ante 800. annos literis longobardicis exarato, alijsque compluribus codicibus Vaticanis, quorum vnum literis maiusculis ante 700. facilè annos elegantissimè conscriptum ego quondam è manibus artificum eripiens redemi, & in Bibliotheca Vaticana reposui. In his Actis dicitur Libe-

rius *tertiò in exilium missus à Constantio*, eò quòd minimè voluisset hæresi Arianæ consentire. *Et fecit in exilio annos tres, & congregantes se sacerdotes cum vniuerso Clero Romano ordinauerunt in locum eius Felicem presbyterum Vrbis Romæ venerabilem virum, & fecit Concilium idem Felix, & inuenit duos presbyteros Romanos consentientes Constantio Augusto Ariano, nomine Vrsacium, & Valentem, & damnauit eos in Concilio coram 40. Episcopis, qui fuerant congregati.* Cumque nonnulla de reuocatione Liberij fuissent relata, sequitur in Actis: *Liberium reuersum mansisse in Cimiterio S. Agnæ Martyris. Eodem autem tempore Constantius Augustus vnà cum Vrsacio, & Valente conuocauerunt Liberium Papam de Cimiterio Agnæ Martyris, & ingressus est Romam. In ipsa autem hora Constantius Augustus fecit Consilium cum hæreticis, simul etiam cum Vrsacio & Valente, & eiecit Sanctum Felicem Vrbis Episcopum de Episcopatu suo, qui erat Catholicus, & bonus, timens Dominum, & iustus homo, & reuocauit Liberium in vicem suam. Ab eodem verò die fuit persecutio maxima in Clero, ita vt intra Ecclesiam presbyteri, & clerici necarentur. Qui depositus est sanctus, ac beatissimus Papa Felix de Episcopatu suo, qui est via Portuense, & leuatus exindè, & ductus in Ciuitate Corona passus est, ibi capite truncato martyrio coronatur nona decima Kalendas Februarias. Exindè raptum corpus eius à presbyteris, & clericis, & sepultum in Basilica, quam ipse construxit quinta decima Kalendas Decembris in milliario secundo. Cuius natalitia celebrantur quarta Kalendas Martias.* Hucusque Acta, quæ in ijsdem MSS. codicibus intitulantur: *S. Felicis Papæ*: quem non modò vt hominem Catholicum, bonum, & iustum, sed etiam vt Martyrem habent. Adiungunt namque, eum in alia Ciuitate passum fuisse; à quo non dissentit Theodoretus, dum refert, Felicem post suam eiectionem ad aliam Ciuitatem se contulisse.

9. Edita sunt hæc Acta à Mombritio, diciturque in illis, quòd Felix declarauerit: *Constantium filium Constantini hæreticum, & secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi iuxta Nicomediam in Aquilone Villa, & pro hoc decreto eijcitur sanctissimus Felix de Episcopatu suo à Constantio Augusto.* Quæ verba manifestum errorem continent. Nam quæ D. Hieronymus, alijque Patres, & scriptores coæui de Constantino Magno narrant, hìc Constantio tribuuntur, qui ab Eusebio Nicomediensi in fine vitæ baptizari

non

non potuit, cum Eusebius 20. fermè annis ante Constantium obierit, & Constantius post mortem Eusebij Nicomediensis adhuc catechumenus fuerit, dum Concilio Mediolanensi paulò ante eius obitum celebrato interfuit: *Quia etiam tum catechumenus* erat, inquit Sulpitius lib. 2. historiæ, cap. 55. Accedit grauissimum D. Athanasij testimonium lib. de Synodis, vbi scribit: *Constantius hæreticus fuit, qui ad finem vsque permanens in ea impietate, ac deindè moriens, voluit non à pijs viris, sed ab Euzoio non semel, sed sæpiùs ob Arianam hæresim deposito, reiectoque baptizari*. Et post D. Athanasium Socrates lib. 2. cap. 47. *Ab Euzoio baptizatus expeditionem suscepit aduersùs Iulianum; sed cum ad fines Cappadociæ, & Ciliciæ peruenisset, præ nimia sollicitudine in morbum apoplexiæ delapsus, Mopsuesti vitam finiuit, Tauro, & Florentino Consulibus, die tertio Nonas Nouembres*. Socrati consentiunt omnes alij, dum absque controuersia affirmant, Constantium ab Euzoio baptizatum fuisse: ita vt omninò ignorem, quomodò in hæc Acta irrepserit, Constantium ab Eusebio Nicomediensi in Aquilone Villa baptizatum fuisse; nisi forsan sciolus aliquis in Eusebiani Chronici supplemento loco Constantij, & Euzoij, nomina Constantini, & Eusebij erroneè inserta repererit, & his Actis adiunxerit, ex quibus posteà auctor secundi Catalogi tempore Iustini & Iustiniani sequentia verba desumpsit: *Hic* (nimirùm Felix) *declarauit Constantinum hæreticum, & rebaptizatum secundò*. Quæ auctor libri Pontificalis sic explicat in Felice: *Hic declarauit Constantium filium Constantini hæreticum, & secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi iuxta Nicomediam in Aquilone Villa; & per hoc declaratum, eiusdem Constantij Augusti filij Constantini præcepto martyrio coronatur, & capite truncatur*. Quæ auctoris verba ex Actis quoquè Felicis desumpta sunt, vti etiam illa, quæ in manuscripto Catalogo Episcoporum Neapolitanorum literis maiusculis exarato habentur hoc modo: *Hic* (Felix) *declarauit Constantium filium Constantini hæreticum, & secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediense iuxta Nicomediam in Aquilone Villa*.

10. Quòd autem ista: *& secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi iuxta Nicomediam in Aquilone Villa*: ab aliquo sciolo adiungi potuerint, facilè colligitur ex contextu, cum sine illis sensus perfectus sit, & quæ de rebaptizatione dicuntur, in antiquissimo lapide iuxta corpus beati Felicis reperto, nulla

eorum mentio reperiatur. In illo enim dicitur S. Felix martyrio coronatus, *quia Constantium damnauit*. Lapidem hunc vidit Baronius, qui ob eiusdem inscriptionem sententiam mutauit. Vtinam & mihi eam videre contigisset, facilè enim iudicassem, num inscriptio illa quarto sæculo marmori incisa fuerit. Enimuerò istius temporis inscriptiones ex inscriptionibus Damasi Papæ, quæ multis in locis etiamnum supersunt, dignosci possunt. Verùm cum sæpiùs in Ecclesia subterranea SS. Cosmæ & Damiani frustrà inscriptionem quæsiuerim, nihil aliud cogitare potui, quàm lapidem, sicut in arca marmorea iuxta corpus beati Felicis inuentus fuit, ita cum corpore sancti Felicis in arca marmorea altaris eidem Sancto dicati sic asseruari, vt nisi altare loco moueatur, haud videri possit.

11. Cæterùm adeò conueniunt mediæ ætatis scriptores de Pontificatu, & martyrio Felicis, vt Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, & Theophanes Felicem ponant in serie Romanorum Pontificum, eumque omnes Catalogi tam manuscripti, quàm typis editi agnoscant. Sic duo Catalogi tempore Vigilij Papæ concinnati, quorum alter in Bibliotheca Corbeiensi, alter in Henscheniana Antuerpiensi asseruantur, habent Felicem in serie Pontificum. Catalogus quoquè secundus sexto sæculo conscriptus non solùm affirmat, eum Pontificem fuisse, & martyrem, sed adiungit quoquè, Damasum cum Clericis Romanis corpus eius rapuisse, & in Basilica ab eodem Felice via Aurelia secundo ab Vrbe lapide constructa sepelijsse. Catalogus Palatino-Vaticanus tempore Caroli Magni scriptus ponit Felicem ordine trigesimum octauum, asseritque, sedisse annum 1. menses 3. & dies aliquot: quod idem affirmant tres Catalogi Vaticani, sæculo nono exarati, & hactenùs non editi, quorum fidem secutus est Anastasius Bibliothecarius, qui Felicem pro Pontifice & martyre habet, prout etiam habuit Sanctus Iuo Carnotensis Episcopus in Manuscripto Romanorum Pontificum Catalogo his verbis: *Felix natione Romanus sedit annum* 1. *menses III. dies II. & cessauit Episcopatus dies* 37. *passus verò est III. Idus Nouembris*. Conuenit Anselmus Lucensis in Catalogo M.S. collectioni ipsius adiuncto in Codice Vaticano, qui tamen non meminit ipsius martyrij, prout meminit Cardinalis Deusdedit in Catalogo collectioni suæ præposito, *Martyr* 2. *Felix*, *ann.* 1. *menses* 3. *dies* 2. Idem omninò reperitur in serie illa Romanorum Pontificum, quæ ante 500. annos depicta fuit

in

in Ecclesia sancti Pauli, vtpotè in qua etiamnum conspicitur Felix ante Damasum, leguntur que hæc verba: *Felix annum I. menses III. dies II.* Ex quibus omnibus colligi potest, Romanam Ecclesiam plurimorum scriptorum auctoritate Felicem in Martyrologio suo retinuisse, vbi ad quartum Kalendas Augusti habetur: *Romæ via Aurelia sancti Felicis Secundi Papæ & Martyris, qui à Constantio Imperatore Ariano ob Catholicæ fidei defensionem è sede sua deiectus, & Ceræ in Tuscia occultè gladio necatus, gloriosè occubuit. Eius corpus indè à Clericis raptum eadem via sepultum fuit: posteà verò ad Ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani delatum, ibidem Gregorio XIII. summo Pontifice repertum est sub altare vnà cum reliquijs sanctorum Martyrum Marci, & Marcelliani, & Tranquillini, atque in eodem loco pridie Kalendas Augusti simul cum eis reconditum.*

12. Cum itaque Romana Ecclesia tot antiquorum testimonijs nixa Felicis memoriam celebrare pergat; inquirendum restat, quanto tempore Felix sederit. Sanè quamuis Acta, & monumenta antiqua perhibeant, Liberium 3. annos in exilio peregisse, tamen annum dumtaxat vnum, menses tres, & dies duos Felici tribuunt Catalogi, & scriptores ferè omnes suprà citati. Magna est hæc difficultas, cuius solutio à grauiori quæstione de lapsu Liberij dependet. Cùm verò alibi de quæstione illa acturi simus, sufficiet hìc breuiter indicasse, nullum omninò dubium videri, quin Felicis initia fuerint turbida, eiusque ingressus potiùs habendus sit pro inuasione, & intrusione, quàm legitima electione, & ordinatione. Iurauerat Clerus, & cum Clero Romano ipse Felix Archidiaconus, se nullum viuente Liberio in eius locum electuros. Vix autem Liberius in exilium trusus erat, quum plerique ex Clero peierauerunt, & viuente legitimo Pontifice Liberio, Felicem in eius locum elegerunt, & Felix ipse, cum à Catholicis Episcopis non potuisset, ab Arianis hominibus in Constantij Palatio ordinatus fuit. Euincunt hæc Patrum coæuorum testimonia superiùs citata; consentiuntque Acta ipsius Felicis, & Catalogi antiquiores cum auctore libri Pontificalis, qui referunt, Felicem consentiente Liberio electum, & confirmatum fuisse in Concilio Episcoporum. Quod qua ratione factum sit, alibi videbimus, cum hìc annotasse sufficiat, legitimum Felicis Pontificatum vltra annum vnum, menses tres, & dies duos non esse extendendum. Atque satìs hactenùs de rebus Chronologicis primorum Pontificum, de quibus pauci inter Catholicos, nullus

Similia habent Eminentissimus Cardinalis Baronius ad annum 304. vbi obseruat, incertum quidem esse, quo mense, & die Marcellus electus sit, nullatenùs tamen dubitandum, quin eodem anno, quo Marcellinus occubuit, Marcellus Pontificatum obtinuerit. Explodit itaque commentum, vel potiùs errorem, qui in libri Pontificalis textum irrepserit, de septem annis sedis vacantis, ostenditque, id ne quidem subsistere posse iuxta chronotaxim sequentium Pontificum, quos auctor eiusdem libri sub certis Imperatoribus posuit, qui ante septimum à Marcellini obitu annum iam interierant.

8. Discrepant quidem ab auctore libri Pontificalis antiquiores Catalogi, in quorum altero sex, in altero quatuor dumtaxat anni sedis vacantis assignantur: sed & hoc obseruatu dignum est, annos sedis vacantis Marcello adimi, eidemque, quem septem annis sedisse, ex plerisque antiquis Catalogis tradiderant auctor libri Pontificalis, & Anastasius, nonnisi vnum annum, & septem menses Pontificatus tribui. Quòd autem Marcellus plusquàm vno anno Ecclesiam rexerit, probatur ex Actis S. Marcelli, quæ in duobus antiquis M.SS. Codicibus Vaticanis sub num. 1195. & 1196. reperiuntur. In illis namque affirmatur, Marcellum obijsse tempore Maximiani Diocletiani filio, diciturque longo tempore Ecclesiæ præsedisse. Et cùm domum Lucinæ in Ecclesiam consecrasset: *Audiens hoc Maximianus Augustus iratus misit in eandem Ecclesiam, & fecit præceptione sua, vt in eadem Ecclesia tabulæ sternerentur ad animalia Catabuli publici, & eundem Marcellum Episcopum ad seruitium animalium deputauit cum custodia publica. Vbi etiam post multos annos seruiendo emisit spiritum sub die 17. Kal. Februarias.* Dies 17. Kal. Februarij est dies 16. Ianuarij, ad quem Martyrologium D. Hieronymo tributum: *Romæ via Salaria in Cœmeterio Priscillæ depositio Marcelli Episcopi, & Confessoris.* Hæc conuenienter ad Acta, ex quibus ante mille fermè annos Vener. Beda in Martyrologio ad eundem diem: *Natiuitas S. Marcelli Papæ, qui iubente Maximino Imperatore primò fustibus cæsus, & à facie eius, quem corripiebat, expulsus est: Deindè audiens, quòd domum S. Lucinæ, quam ipse proscriptione damnauerat, eò quòd de facultatibus suis Christianis donauerat, Ecclesiam faceret, atque in ea missas celebraret: in media Ciuitate iussit in eadem Ecclesia plantas externi ad animalia Catabuli publici, & eundem Episcopum ad seruitium animalium deputauit cum custodia publica: vbi etiam post multos annos seruiendo indutus amictu cilicino defunctus est, & conditus aromatibus à Ioanne*

Secundum editionem Henschenij.

presbytero, & B. Lucina, sepultus est in Cymeterio Priscillæ. Hactenus Beda in Martyrologio, quod antiquissimum, & germanum asseruatur in Bibliotheca Palatino-Vaticana. Eadem omninò verba habent Notkerus, & Hrabanus, quibus consentit Vsuardus ante 900. annos in Martyrologio ad diem 16. Ianuarij: *Romæ via Salaria natale S. Marcelli Papæ, qui ob Catholicæ fidei defensionem iubente Maximiano Tyranno, primò fustibus cæsus, deindè ad seruitium animalium cum custodia publica deputatus, post multos annos ibidem seruiendo amictu indutus cilicino defunctus est.*

9. Cum itaque ex Actis à tot præclaris viris in auctoritatem admissis manifestè constet, S. Marcellum pluribus annis Pontificatum obtinuisse, nescio qua ratione, nouemdecim dumtaxat mensibus sedisse, ex antiquiori Catalogo opinatus sit V. Cl. Papebrochius in Conatu Chronico-Historico, cum fateatur, errorem irrepsisse in Consules à Catalogo exhibitos; dicitur enim sedisse à *Consulatu ...... X, & Maximiani VII. vsque Post Consulatum X. & VII.* hoc est ab anno 308. vsque ad annum 309. cum enim Marcellus occubuerit 16. Ianuarij, non poterat Papebrochius inuenire annum vnum, & menses septem Pontificatus Marcelli, ideòque putauit ad *post Consulatum* adiungendum *iterùm*, siue annum 310. Verùm iam alibi monui, nostrum non esse, antiquitatis monimenta corrigere, vt opinioni cuidam congruant, sed opinionem nostram antiquitatis monimentis accommodare, vt ea, quæ sequimur, vetustati concinant. Prædictam sanè Consulatuum notam ante mille, & centum annos descripsit auctor secundi Catalogi his verbis: *A Consulatu Maxentij IV. & Maximi, vsque Post Consulatum.* Quibus confirmatur, Marcellum sedisse ab anno 308. vsque ad 309. Maxentius enim Romæ, & Maximianus, non verò Maximus, Consules fuerunt anno 308. & Postconsulatus X. Maximiani Herculei cadet in annum sequentem. Verùm & in Maxentij notam Consularem errorem irrepsisse, vel ex eo colligi potest, quòd quartum Consulatum Maxentij ponat, vbi primus eius Consulatus ponendus erat, si ab anno 308. Marcelli Pontificatum auspicari volebat. Cum igitur error irrepserit tam manifestus in Consulatum, quo Marcellus cœpit, & vtriusque Catalogi auctores constanter affirment, Consulatum, quo Marcellus occubuit, esse Postconsulatum X. Maxi. Herculei, nihil omninò obesse putamus, quò minùs obitus Marcelli figatur anno 309. ad prædictum Postconsulatum, quo Marcellum martyrio coronatum esse,

affirmant Onuphrius Panuinius, Antonius Augustinus, Bellarminus, Baronius, Petauius, & Labbeus: eiusdem verò Pontificatus exordium cum iisdem auctoribus statuatur anno 304. quo, cum Marcellinus sepultus esset die 26. Aprilis, haud diù posteà electus, & ordinatus fuit Marcellus, cui apprimè conueniunt anni quatuor, quot Marcellum sedisse, auctor secundi Catalogi affirmat. Ab anno enim 304. vsque ad 16. Ianuarij anni 309. quatuor anni intercedunt.

10. Verisimile itaque est, à nonnullis Marcello Papæ detractum fuisse tempus, quo in persecutione sedem Apostolicam vacasse scripserunt. Prouenit autem, meo quidem iudicio, error ille ex alio errore maiori, qui irrepserat in Chronicon Eusebij, in quo Marcelli Pontificatus desideratur: vndè quidam antiqui Catalogi solum Marcellinum agnoscentes, Marcellum quoquè omiserunt. Siue autem Eusebius ex nominum similitudine deceptus, siue ex alia causa peccauerit; nemo crederet, potuisse virum adeò in historia Ecclesiastica versatum omittere Pontificem, qui suo tempore Romæ sedit, nisi id contigisse, ex omnibus M. S S. & editis Eusebij codicibus colligeretur. Magis autem mirandum videtur, quòd error ille remanserit in Chronico Eusebij, postquàm illud D. Hieronymus latinè vertit, varijsque in locis auxit, & correxit. Quo sanè exemplo docemur, quàm cautè nonnunquam sequenda sint in rebus facti etiam præstantissimorum virorum vestigia, & tutius esse, in successione Romanorum Pontificum sequi Romanæ Ecclesiæ traditionem, iuxta quam non Marcellinus tantùm, sed etiam Marcellus in ordine Romanorum Pontificum ponuntur.

CAPVT NONVM.

De Felice Secundo: an fuerit verus Pontifex, & quot annis sederit?

1. Quòd Felicis ingressus illegitimus fuerit, ipsiusque Pontificatus vacillauerit, testatur D. Athanasius, cuius locus adducitur.

2. Eum in schismate contra Liberium sedisse, affirmant Faustinus & Marcellinus presbyteri in libello precum Valentiniano Imperatori oblato.

3. Quæ Onuphrius Panuinius ex antiquissimo codice Marcelli Secundi Pontificis de intrusione Felicis narrat in historia Ecclesiastica, ex hoc libello desumpta sunt, qui continetur in M. S. Codice Marcelli Secundi.

4. Narratio Faustini, & Marcellini confirmatur ex ijs, quæ de Felice habent Ruffinus, D. Hieronymus, & Sanctus Prosper.

S. D.

5. *D. Optatus, & S. Augustinus Felicem non agnoscunt inter Romanos Pontifices: vndè Romæ deliberatum fuit tempore Baronij de auferenda Felicis memoria ex Martyrologio. Sed corpore eius cum lapidei laterculi inscriptione reperto, mutata est sententia.*

6. *Variant antiqui scriptores Græci circa Felicis Acta. Socratis, Sozomeni, & Theodoreti testimonia adferuntur.*

7. *Felicem fuisse Catholicum, & verum Pontificem, firmatur 1. ex Actis Eusebij presbyteri & martyris à Baluzio editis.*

8. *Eadem confirmantur ex Actis Felicis Papæ, quæ ex varijs M.SS. Codicibus Vaticanis adducuntur.*

9. *Irrepsit in hæc Acta error de baptizatione Constantij per Eusebium Nicomediensem in Aquilone Villa: id enim de Constantino, iuxta D. Hieronymum, aliosque Patres dici potest, non verò de Constantio, vt pluribus ostenditur.*

10. *Interpolari tamen potuit locus ille, cum sensus Actorum sine verbis, quibus rebaptizatio Constantij asseritur, perfectus sit, & in antiqua laterculi inscriptione nulla hac de re mentio facta reperiatur.*

11. *Conuenit autem inter mediæ ætatis scriptores, & Catalogorum auctores, Felicem fuisse aliquanto tempore verum Pontificem.*

12. *Tempus illud vltra annum vnum, menses tres, & dies duos extendendum non esse, paucis indicatur.*

1. FElix Secundus, de quo in præsenti agimus, post medium quarti sæculi Romanam sedem, aut consentiente Liberio obtinuit, aut adnitente Constantio Imperatore Ariano inuasit. Quonam ex his duobus modis ad supremum Pontificatus apicem peruenerit, disputant scriptores Ecclesiastici; & cum res nondùm plenè elucidata sit, proferenda sunt antiquitatis monimenta, ex quibus de veritate huius rei constare poterit. Ac primum quidem antiquorum testimonium est D. Athanasij Patriarchæ Alexandrini, qui illis temporibus vixit: in epistola namque ad solitarios de Constantio agens scripsit, quòd *Epicteto ministro vtens in locum Ecclesiæ Palatium suum succedere voluerit, & pro conuentu populi ac Iure Comitiorum tres eunuchos præsentes esse iusserit, tresque item exploratores: non enim tres Episcopos dixeris, vt ipsi Felicem quendam Episcopum in Palatio crearent, dignum profectò talibus suffragatoribus. Cæterùm populi omnes cognita hæreticorum prauitate, non permisere eos Ecclesiam intrare, proculque ab eis recesserunt.*

2. Quæ magnus Athanasius paucis complectitur, pluribus explicant Faustinus, & Marcellinus presbyteri in libello precum, Valentiniano Imperatori aliquot annis post Felicis obitum Romæ oblato: agentes enim de persecutione Constantij, in qua Liberius Romanus Episcopus, Eusebius Vercellensis, Lucifer Calaritanus, & Hilarius Pictauiensis, qui D. Athanasij damnationi subscribere nolebant, exulare coacti sunt: *Hi ergò*, inquiunt, *mittuntur in exilium pro fide seruanda. Cum Liberio Damasus Diaconus eius se simulat proficisci; vndè fugiens de itinere Romam rediję, ambitione corru-*

ptus; sed eo die, quo Liberius ad exilium proficiscebatur, Clerus omnis, id est Presbyteri, & Archidiaconus Felix, & ipse Damasus Diaconus, & cuncta Ecclesiæ officia, omnes pariter præsente populo Romano, sub iureiurando firmauerunt, se viuente Liberio Pontificem alterum nullatenùs habituros. Sed Clerus contra fas, quod minimè decebat, cum summo periurij scelere Felicem Archidiaconum in locum Liberij receperunt. Quod factum vniuerso populo displicuit, & ab eius processione suspendit. Post annos duos venit Romam Constantius Imperator; pro Liberio rogatur à populo, qui mox annuens ait: Habetis Liberium, qui, qualis à vobis profectus est, melior reuertetur. Hoc autem de consensu eius, quo manus perfidiæ dederat, indicabat. Tertio anno redit Liberius, cui obuiam cum gaudio populus Romanus exiuit. Felix notatus à Senatu, vel populo de Vrbe propellitur, & post parum temporis impulsu Clericorum, qui periurauerant, irrumpit in Vrbem, & stationem in Iulij trans Tyberim dare præsumit, quem omnis multitudo fidelium, & Proceres de Vrbe iterùm cum magno dedecore proiecerunt. Post annos octo Valentiniano & Valente Coss. X. Kalen. Decembris die, defunctus est Felix. Liberius misericordiam fecit in Cleros, qui periurauerant, eosque in locis proprijs suscepit. Itemque octauo Kal. Octobris, Gratiano & Dalaipho Coss. Liberius humanis rebus eximitur. Perspicua est hæc Faustini, & Marcellini narratio, qua singula ad Felicis ingressum, eiectionem, ac obitum spectantia exhibentur, vt obseruat Onuphrius Panuinius Tomo primo Historiæ Ecclesiasticæ, quæ manuscripta asseruatur in Bibliotheca Vaticana.

3. Porrò habet Onuphrius ad annum 355. *Arbetione & Lolliano Coss. Pridiè quàm Liberius Papa Vrbe, vt ad Imperatorem Constantium proficisceretur, exiret, presbyteri, Archidiaconus Felix, Damasus diaconus, & alij diaconi, reliqui Ecclesiastici ordinis, ac cuncti S. R. E. clerici ad Pontificem congregati, maxima Senatorum parte, populique Romani multitudine astante, iureiurando firmauerunt, se Liberio Papa viuente, neminem alium Episcopum Romæ suscepturos, etiamsi à Synodo Episcoporum, vel Imperatore id facere iuberentur. Quo præstito iuramento crepusculo matutino, cui Idus Augustæ illuxere, Liberius ad Imperatorem Constantium iter arripuit. Eum in certum exilium abeuntem Damasus diaconus, qui posteà Episcopus Romanus fuit, Mediolanum vsque comitatus est. Quem vbi relegatum in Thraciam vidit, Romam*

mam rediens, quum nulla eius restitutionis spes esse videretur, auctor Clero fuisse dicitur, vt alium Pontificem in Liberij depositum locum, quemadmodum omnes aliæ Ecclesiæ, quæ suis Pastoribus per eos dies orbatæ fuerant, fecerant, eligerent. Tum Clerus iusiurandi sacramento neglecto, & præter canones agens, quòd se Episcopo non posse carere diceret, Vrsacij, Valentis, & aliorum Arianorum Episcoporum, qui præcipui apud Imperatorem instigatores, & exilij Liberij patratores fuerant, suasione adductus, Felicem Romanum Anastasij filium S. R. E. Achidiaconum à Iulio Papa creatum, vel vt ex Damaso tradit Bibliothecarius, presbyterum, in locum Liberij ordinatum Episcopum Romanum susceperunt, virum alioqui Catholicum, & qui incorruptam seruauit Nicææ expositam fidem. Sed hæreseos suspicionem effugere non potuit, quòd eligi se hæreticorum authoritate permiserit, vt eorum communione coniunctioneque maculatus fuerit. Eius ordinatio Populo Romano, qui Liberij amore flagrabat, ita displicuit, vt à Felicis communione se separauerit, & eo intra sacram ædem docente, vel sacra mysteria celebrante, nemo Ciuis Romanus illuc adesse vnquam voluerit ..... Fl. Constantio Aug. IX. & Fl. Iuliano Cæsare II. Coss. Liberio Papæ ad Vrbem redeunti obuiam cum gaudio populus Romanus exiuit. Felix notatus à Senatu populoque Romano, Vrbe per seditionem popularemque tumultum pulsus, paulò post impulsu Clericorum, qui peierarant, in Vrbem irrupit, & stationem solennem in Basilica trans Tyberim habere ausus est. Quem illicò plebis Romanæ concitatæ multitudo, primatesque è populo Vrbe iterùm magno cum dedecore fugarunt. Is dum vixit, nihilominùs sacerdotij honorem in schismate contra Liberium tenuit. Quæ de Felicis in schismate electione & morte dixi ...., excerpsi ex vetustissimo S. R. E. Registro, quo Romanorum Pontificum præcipua Acta, & epistolæ decretales plurimæ comprehensæ sunt, à Liberij Papæ exilio vsque Hormisdam Episcopum Romanum, cuius olim mihi copiam exhibuit Vir æternæ memoria dignus Marcellus Secundus Papa, quum adhuc Cardinalem S. Crucis ageret, vir in Ecclesiasticæ antiquitatis monimentis perquirendis supra fidem diligentissimus, quem librum literis maiusculis scriptum, ipse ex nobili Bibliotheca Monasterij S. Crucis de Auellana Diœcesis Eugubinæ sibi commendati, se habuisse mihi retulit. Apparet autem, Romanorum Pontificum res gestas in eo comprehensas publica fide ab his, qui singulis interfuerunt, scriptas fuisse. Hactenus

ctenùs Onuphrius Panuinius, qui antiquissimi codicis M. S. meminit, cuius transumptum etiamnum asseruatur in Bibliotheca Vaticana sub numero 4903. Non solùm enim ibidem continentur gesta inter Liberium, & Felicem Episcopos, multaque acta, & epistolæ Romanorum Pontificum à Liberio ad Hormisdam, sed etiam annotatum reperitur in fine codicis: *Hunc librum acquisiuit D. Damianus S. Crucis. Iste liber est ab originali, quod habet Monasterium S. Crucis fontis Auellanæ, Eugubinæ Diæcesis, de verbo ad verbum fideliter rescriptus: anno Domini N. IESV Christi* 1550. Manifestum inde redditur, hunc codicem Vaticanum esse exemplar illud, quod ad Marcellum II. olim spectauit, simulque indè colligere licet, quænam sint gesta inter Liberium & Felicem, ex quibus Onuphrius historiam Pontificatus Liberij desumpsit. Sunt nempè gesta à Faustino, & Marcellino presbyteris descripta in libello precum, quem Valentiniano, Theodosio, & Arcadio Imperatoribus obtulerunt, quæque Iacobus Sirmondus hoc nostro sæculo publici iuris fecit.

4. Ad hoc autem, quod obijci solet, Faustinum, & Marcellinum, vt Vrsicini partes contra Damasum Felicis successorem tuerentur, in hoc libello precum multa comminisci; responderi potest, illis concordare Ruffinum presbyterum Aquileiensem lib. 1. historiæ, cap. 21. vbi cum egisset de Liberij exilio, adiungit: *Inque eius locum Felix Diaconus suus ab hæreticis subrogatur; & non tam sectæ diuersitate, quàm communionis, & ordinationis conuenientia maculatur.* Ruffino consona scribit D. Hieronymus, qui post paucos annos ab obitu Felicis sub Damaso Romam venit, illique Pontifici per tres integros annos à secretis fuit, adeò vt vix quidquam ipsum circa Felicis Pontificatum latere potuerit. Ita enim habet in Chronici Eusebiani supplemento: *Liberio in exilium ob fidem truso, omnes Clerici iurauerunt, vt nullum alium susciperent. Verùm cum Felix ab Arianis fuisset in sacerdotium substitutus, plurimi peierauerunt, & post annum cum Felice eiecti sunt: quia Liberius tædio victus exilij, & in hæreticam prauitatem subscribens, Romam quasi victor intrauerat.* Repetit ferè D. Hieronymi verba S. Prosper in Chronico integro, vbi scribit: *Romanæ Ecclesiæ 34. Episcopus ordinatur Liberius, quo in exilium nono Episcopatus sui anno ob fidem truso, omnes Clerici iurauerunt, quòd nullum alium susciperent. Verùm cum Felix ab Arianis fuisset in sacerdotio substitutus, plurimi periurauerunt; & post annum reuerso in Vrbem Liberio cum Felice eiecti sunt.*

5. Con-

5. Conueniunt his omnibus S. Optatus Episcopus Mileuitanus, & D. Augustinus Episcopus Hipponensis, quorum primus lib. 2. contra Parmenianum, secundus verò epist. 165. Catalogos Romanorum Pontificum ad sua vsque tempora deduxerunt, & omisso Felice, solius Liberij mentionem fecerunt. Hæc autem antiquissimorum Patrum testimonia tanti facienda credidit tempore Cardinalis Baronij Sacra Rituum Congregatio, vt Felicem de serie Romanorum Pontificum expunxisset, nisi pridie festi Felicis corpus eius Romæ inuentum fuisset cum inscriptione, qua de Felicis sanctitate, & martyrio constabat. Cum igitur Annalium parens Baronius ad annum 355. tenuisset, Felicem viuente Liberio non fuisse verum Pontificem, ita subiungit ad annum 357. *Cum ingressus Felicis absque controuersia à maioribus fuerit existimatus iniquus, & de exitu eius eadem inter se pugnantia scripta nutent: inde & accidit, vt temporibus Pontificatus Gregorij Decimitertij, dum de emendatione Romani Martyrologij à viris eruditis ad hoc delectis frequentes haberentur conuentus, & de Felice non leuis controuersia incidisset, expungendusne esset ob vitiosum ingressum eius, vel absque martyrij titulo relinquendus, deque his diù, multumque altercatum esset, & ego in eam sententiam pedibus irem, vt Felicis nomen expungendum esset, eoque argumento volumen haud breue scripsissem, cui fauerent, astipularenturque complures viri eruditi in Vrbe tunc existentes: accidit planè, veluti Diuino miraculo, vt cum in Diaconia Sanctorum Martyrum Cosmæ, & Damiani in Foro, ad templum Pacis posita, quidam malè consulti, sed non sine diuina prouidentia, clàm Altare vnum à dextris positum suffoderent, vt thesaurum inuenirent, quod acceperant, nescio quo reuelante, ibi esse repositum; in marmoream arcam inciderent, in cuius altero latere, tabulæ lapideæ interstitio ab altero distincto, repositæ inuenirentur reliquiæ Sanctorum Martyrum Marci, atque Marcelliani, & Tranquillini; in altero verò arcæ latere Corpus Sancti Felicis, de quo agimus, vnà cum lapideo laterculo ibidem intùs posito hisce literis exarato: CORPVS S. FELICIS PAPAE ET MARTYRIS, QVI DAMNAVIT CONSTANTIVM. Quod accidit pridie eius diei, quo eiusdem S. Felicis in Ecclesia natalis dies agi consueuit quarto Kalendas Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo secundo, cum de eius meritis disceptatio magna esset, iamque penè ob innumeras contrarias assertiones, causa cadere*

dere

dere videretur: quando opportunè ipsemet Felix visus est admiratione omnium rediuiuus comparuisse, per se suam ipse causam acturus, cum iam valdè stylo contradicentium esset oppressus.

6. Hæc Baronius de sensu Romanæ Ecclesiæ, pro cuius confirmatione notandum omninò, non vnam esse omnium antiquorum traditionem de ingressu Felicis. Socrates enim lib. 2. historię cap. 37. in editione Græco-latina H. Valesij (qui lacunam huius loci insignem notat se suppleuisse ex duobus optimis codicibus Florentino, & Sfortiano) affirmat, Liberium in exilium missum fuisse: *Felice in eius locum ab Vrsacianis suffecto, qui cum esset Ecclesiæ Romanæ Diaconus, Arianam tunc amplexus perfidiam, ad Episcopatus honorem promotus est. Nonnulli tamen affirmant, illum opinionem Arianam minimè amplexum esse, sed vi, ac necessitate compulsum ordinationem suscepisse.* Quinam illi sint, qui Felicem vi ac necessitate compulsum ordinationem suscepisse tradiderunt, non indicat Socrates: ante tempora tamen sua id à scriptoribus memoriæ proditum fuisse, affirmat Sozomenus, qui cum Socrate Constantinopoli versatus est, & lib. 4. capite 11. scribit, Liberium Episcopatu Romano spoliatum fuisse: *Eiusque administratio*, inquit, *commissa est Felici cuidam illius Cleri Diacono, quem quidem aiunt fidei Concilij Nicæni perpetuò adhæsisse, & quod ad Religionem pertinet, omni prorsus reprehensione caruisse. Vnum verò illud in eo esse reprehensum, quòd etiam ante ordinationem communione cum hæreticis sociatus fuisset.* Adiungitque cap. 15. postquàm Liberius Episcopis Sirmij congregatis consenserat, & Imperator ei redeundi licentiam dederat, prędictos Episcopos scripsisse *ad Felicem, qui tum Romanæ Ecclesiæ præsidebat, & ad Clerum eiusdem Ciuitatis, vt Liberium susciperent, vtque ambo Apostolicam Sedem gubernarent, & simul sacerdotio fungerentur.* Simile quid ad Romanos scripsisse Constantium, refert Theodoretus lib. 2. c. 17. in edit. Valesiana, testaturque, hanc Constantij epistolam in circo lectam fuisse, sed omnes eam explosisse, & vna voce clamasse: *Vnus Deus, vnus Christus, vnus Episcopus.* Reuerso itaque Liberio, *Felix*, inquit, *recedens in alia Ciuitate habitauit.*

7. Plura sunt in his Græcorum verbis, quæ contra Faustini, & Marcellini testimonia faciunt, ac illud in primis, quòd Felix dicatur coactus Pontificatum suscepisse; deindè Catholicus extitisse; & demùm post Liberij reditum ad aliam Ciuitatem migrasse. Quòd si quæras testem ocu-

ocularem, qui causam Felicis contra Faustinum & Marcellinum tueatur, habes eum apud Orosium, qui in gestis Eusebij presbyteri Romani nuper à Stephano Baluzio Tomo 2. Miscellaneorum ex tribus M. SS. codicibus Bibliothecæ Colbertinæ publicatis, narrat, quòd presbyter Eusebius accusauerit Liberium, & Constantium Imperatorem, quòd *Felicem Episcopum, quem vos non tacuistis Catholicum, & Dominum IESVM Christum inuocantem, purum sacerdotem ab omnibus declaratum, in damnationis causam exilio direxistis, qui tamen in prædiolo suo orationibus vacat. Et quidem iussu tuo Christianis occisionem, & necem præcepisti inferri maximè clericis, & presbyteris, & diaconibus. Tunc iratus Constantius sub rogatu Liberij includit Eusebium presbyterum in quodam cubiculo domus suæ, quod humile erat in latitudine pedibus quatuor, & ibi multis mensibus in oratione constanter perseuerans, inclusus tamen post menses septem dormitionem accepit nono decimo Kalendas Septembris, cuius corpus collegerunt Gregorius, & Orosius presbyteri parentes eius, & sepelierunt in crypta iuxta corpus beati Sixti Martyris, & Episcopi via Appia in Cymiterio Calisti, vbi & titulum eius scribentes posuerunt pro commemoratione eius*: Eusebio homini Dei: *Eodem tempore auditum est à Constantio Imperatore, eò quòd Gregorius, & Orosius collegerunt corpus Eusebij presbyteri, & in eadem crypta viuum præcepit includi Gregorium. Tunc Orosius presbyter collegit semiuiuum beatum Gregorium noctu occultè propter Constantium Augustum, & emisso spiritu sepeliuit eum iuxta corpus Sancti Eusebij presbyteri, qui etiam Orosius hæc gesta conscripsit*. Placuit hunc locum integrum exscribere, quia non solùm ex illo constat de Felicis vita, & Episcopatu, sed etiam de plerisque alijs ipsius occasione Romæ peractis, vti etiam de persecutione Constantij circa Clerum Romanum, adeò vt mirum videri non debeat, quòd in antiqua inscriptione tempore Baronij reperta contineatur Felicis martyrium.

8. Cætera à Græcis auctoribus memorata confirmantur ex Actis ipsius Felicis, quæ manuscripta asseruantur in codice Eminentiss. Cardinalis Casanate ante 800. annos literis longobardicis exarato, alijsque compluribus codicibus Vaticanis, quorum vnum literis maiusculis ante 700. facilè annos elegantissimè conscriptum ego quondam è manibus artificum eripiens redemi, & in Bibliotheca Vaticana reposui. In his Actis dicitur Libe-

rius *tertiò in exilium missus à Constantio*, eò quòd minimè voluisset hæresi Arianæ consentire. *Et fecit in exilio annos tres, & congregantes se sacerdotes cum vniuerso Clero Romano ordinauerunt in locum eius Felicem presbyterum Vrbis Romæ venerabilem virum, & fecit Concilium idem Felix, & inuenit duos presbyteros Romanos consentientes Constantio Augusto Ariano, nomine Vrsacium, & Valentem, & damnauit eos in Concilio coram 40. Episcopis, qui fuerant congregati.* Cumque nonnulla de reuocatione Liberij fuissent relata, sequitur in Actis: *Liberium reuersum mansisse in Cimiterio S. Agnæ Martyris. Eodem autem tempore Constantius Augustus vnà cum Vrsacio, & Valente conuocauerunt Liberium Papam de Cimiterio Agnæ Martyris, & ingressus est Romam. In ipsa autem hora Constantius Augustus fecit Consilium cum hæreticis, simul etiam cum Vrsacio & Valente, & eiecit Sanctum Felicem Vrbis Episcopum de Episcopatu suo, qui erat Catholicus, & bonus, timens Dominum, & iustus homo, & reuocauit Liberium in vicem suam. Ab eodem verò die fuit persecutio maxima in Clero, ita vt intra Ecclesiam presbyteri, & clerici necarentur. Qui depositus est sanctus, ac beatissimus Papa Felix de Episcopatu suo, qui est via Portuense, & leuatus exindè, & ductus in Ciuitate Corona passus est, ibi capite truncato martyrio coronatur nona decima Kalendas Februarias. Exindè raptum corpus eius à presbyteris, & clericis, & sepultum in Basilica, quam ipse construxit quinta decima Kalendas Decembris in milliario secundo. Cuius natalitia celebrantur quarta Kalendas Martias.* Hucusque Acta, quæ in iisdem MSS. codicibus intitulantur: *S. Felicis Papæ*: quem non modò vt hominem Catholicum, bonum, & iustum, sed etiam vt Martyrem habent. Adiungunt namque, eum in alia Ciuitate passum fuisse; à quo non dissentit Theodoretus, dum refert, Felicem post suam eiectionem ad aliam Ciuitatem se contulisse.

9. Edita sunt hæc Acta à Mombritio, diciturque in illis, quòd Felix declarauerit: *Constantium filium Constantini hæreticum, & secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi iuxta Nicomediam in Aquilone Villa, & pro hoc decreto eijcitur sanctissimus Felix de Episcopatu suo à Constantio Augusto.* Quæ verba manifestum errorem continent. Nam quæ D. Hieronymus, aliique Patres, & scriptores coæui de Constantino Magno narrant, hìc Constantio tribuuntur, qui ab Eusebio Nicomediensi in fine vitæ baptizari

non

non potuit, cum Eusebius 20. fermè annis ante Constantium obierit, & Constantius post mortem Eusebij Nicomediensis adhuc catechumenus fuerit, dum Concilio Mediolanensi paulò ante eius obitum celebrato interfuit: *Quia etiam tum catechumenus* erat, inquit Sulpitius lib. 2. historiæ, cap. 55. Accedit grauissimum D. Athanasij testimonium lib. de Synodis, vbi scribit: *Constantius hæreticus fuit, qui ad finem vsque permanens in ea impietate, ac deindè moriens, voluit non à pijs viris, sed ab Euzoio non semel, sed sæpiùs ob Arianam hæresim deposito, reiectoque baptizari*. Et post D. Athanasium Socrates lib. 2. cap. 47. *Ab Euzoio baptizatus expeditionem suscepit aduersùs Iulianum; sed cum ad fines Cappadociæ, & Ciliciæ peruenisset, præ nimia sollicitudine in morbum apoplexiæ delapsus, Mopsuesti vitam finiuit, Tauro, & Florentino Consulibus, die tertio Nonas Nouembres*. Socrati consentiunt omnes alij, dum absque controuersia affirmant, Constantium ab Euzoio baptizatum fuisse: ita vt omninò ignorem, quomodò in hæc Acta irrepserit, Constantium ab Eusebio Nicomediensi in Aquilone Villa baptizatum fuisse; nisi forsan sciolus aliquis in Eusebiani Chronici supplemento loco Constantij, & Euzoij, nomina Constantini, & Eusebij erroneè inserta repererit, & his Actis adiunxerit, ex quibus posteà auctor secundi Catalogi tempore Iustini & Iustiniani sequentia verba desumpsit: *Hic* (nimirùm Felix) *declarauit Constantinum hæreticum, & rebaptizatum secundò*. Quæ auctor libri Pontificalis sic explicat in Felice: *Hic declarauit Constantium filium Constantini hæreticum, & secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi iuxta Nicomediam in Aquilone Villa; & per hoc declaratum, eiusdem Constantij Augusti filij Constantini præcepto martyrio coronatur, & capite truncatur*. Quæ auctoris verba ex Actis quoquè Felicis desumpta sunt, vti etiam illa, quæ in manuscripto Catalogo Episcoporum Neapolitanorum literis maiusculis exarato habentur hoc modo: *Hic* (Felix) *declarauit Constantium filium Constantini hæreticum, & secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediense iuxta Nicomediam in Aquilone Villa*.

10. Quòd autem ista: *& secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi iuxta Nicomediam in Aquilone Villa*: ab aliquo sciolo adiungi potuerint, facilè colligitur ex contextu, cum sine illis sensus perfectus sit, & quæ de rebaptizatione dicuntur, in antiquissimo lapide iuxta corpus beati Felicis reperto, nulla

eorum mentio reperiatur. In illo enim dicitur S. Felix martyrio coronatus, *quia Constantium damnauit*. Lapidem hunc vidit Baronius, qui ob eiusdem inscriptionem sententiam mutauit. Vtinam & mihi eam videre contigisset, facilè enim iudicassem, num inscriptio illa quarto sæculo marmori incisa fuerit. Enimuerò istius temporis inscriptiones ex inscriptionibus Damasi Papæ, quæ multis in locis etiamnùm supersunt, dignosci possunt. Verùm cum sæpiùs in Ecclesia subterranea SS. Cosmæ & Damiani frustrà inscriptionem quæsiuerim, nihil aliud cogitare potui, quàm lapidem, sicut in arca marmorea iuxta corpus beati Felicis inuentus fuit, ita cum corpore sancti Felicis in arca marmorea altaris eidem Sancto dicati sic asseruari, vt nisi altare loco moueatur, haud videri possit.

11. Cæterùm adeò conueniunt mediæ ætatis scriptores de Pontificatu, & martyrio Felicis, vt Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, & Theophanes Felicem ponant in serie Romanorum Pontificum, eumque omnes Catalogi tam manuscripti, quàm typis editi agnoscant. Sic duo Catalogi tempore Vigilij Papæ concinnati, quorum alter in Bibliotheca Corbeiensi, alter in Henscheniana Antuerpiensi asseruantur, habent Felicem in serie Pontificum. Catalogus quoquè secundus sexto sæculo conscriptus non solùm affirmat, eum Pontificem fuisse, & martyrem, sed adiungit quoquè, Damasum cum Clericis Romanis corpus eius rapuisse, & in Basilica ab eodem Felice via Aurelia secundo ab Vrbe lapide constructa sepelijsse. Catalogus Palatino-Vaticanus tempore Caroli Magni scriptus ponit Felicem ordine trigesimum octauum, asseritque, sedisse annum 1. menses 3. & dies aliquot: quod idem affirmant tres Catalogi Vaticani, sæculo nono exarati, & hactenùs non editi, quorum fidem secutus est Anastasius Bibliothecarius, qui Felicem pro Pontifice & martyre habet, prout etiam habuit Sanctus Iuo Carnotensis Episcopus in Manuscripto Romanorum Pontificum Catalogo his verbis: *Felix natione Romanus sedit annum 1. menses III. dies II. & cessauit Episcopatus dies 37. passus verò est III. Idus Nouembris*. Conuenit Anselmus Lucensis in Catalogo M. S. collectioni ipsius adiuncto in Codice Vaticano, qui tamen non meminit ipsius martyrij, prout meminit Cardinalis Deusdedit in Catalogo collectioni suæ præposito, *Martyr 2. Felix, ann. 1. menses 3. dies 2.* Idem omninò reperitur in serie illa Romanorum Pontificum, quæ ante 500. annos depicta fuit

in Ecclesia sancti Pauli, vtpotè in qua etiamnum conspicitur Felix ante Damasum, leguntur que hæc verba: *Felix annum I. menses III. dies II.* Ex quibus omnibus colligi potest, Romanam Ecclesiam plurimorum scriptorum auctoritate Felicem in Martyrologio suo retinuisse, vbi ad quartum Kalendas Augusti habetur: *Romæ via Aurelia sancti Felicis Secundi Papæ & Martyris, qui à Constantio Imperatore Ariano ob Catholicæ fidei defensionem è sede sua deiectus, & Ceræ in Tuscia occultè gladio necatus, gloriosè occubuit. Eius corpus indè à Clericis raptum eadem via sepultum fuit: posteà verò ad Ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani delatum, ibidem Gregorio XIII. summo Pontifice repertum est sub altare vnà cum reliquijs sanctorum Martyrum Marci, & Marcelliani, & Tranquillini, atque in eodem loco pridie Kalendas Augusti simul cum eis reconditum.*

12. Cum itaque Romana Ecclesia tot antiquorum testimonijs nixa Felicis memoriam celebrare pergat; inquirendum restat, quanto tempore Felix sederit. Sanè quamuis Acta, & monumenta antiqua perhibeant, Liberium 3. annos in exilio peregisse, tamen annum dumtaxat vnum, menses tres, & dies duos Felici tribuunt Catalogi, & scriptores ferè omnes suprà citati. Magna est hæc difficultas, cuius solutio à grauiori quæstione de lapsu Liberij dependet. Cùm verò alibi de quæstione illa acturi simus, sufficiet hìc breuiter indicasse, nullum omninò dubium videri, quin Felicis initia fuerint turbida, eiusque ingressus potiùs habendus sit pro inuasione, & intrusione, quàm legitima electione, & ordinatione. Iurauerat Clerus, & cum Clero Romano ipse Felix Archidiaconus, se nullum viuente Liberio in eius locum electuros. Vix autem Liberius in exilium trusus erat, quum plerique ex Clero peierauerunt, & viuente legitimo Pontifice Liberio, Felicem in eius locum elegerunt, & Felix ipse, cum à Catholicis Episcopis non potuisset, ab Arianis hominibus in Constantij Palatio ordinatus fuit. Euincunt hæc Patrum coæuorum testimonia superiùs citata; consentiuntque Acta ipsius Felicis, & Catalogi antiquiores cum auctore libri Pontificalis, qui referunt, Felicem consentiente Liberio electum, & confirmatum fuisse in Concilio Episcoporum. Quod qua ratione factum sit, alibi videbimus, cum hìc annotasse sufficiat, legitimum Felicis Pontificatum vltra annum vnum, menses tres, & dies duos non esse extendendum. Atque satis hactenùs de rebus Chronologicis primorum Pontificum, de quibus pauci inter Catholicos, nul-

lus ferme inter Catholicæ religionis aduersarios egit ante Pearsonium, qui dissertationes de successione primorum Pontificum, eorumque ætate conscripsit, quas Henricus Dodvvellus Londini anno 1688. inter opera eius posthuma infelici planè successu edidit: chronotaxis namque, quam Pearsonius post se reliquit, ad sententiam Eutychij Patriarchæ Alexandrini, in rebus Romanorum Pontificum planè peregrini, composita tali vbique emendatione indiguit, vt Dodvvellus ipse nouis commentarijs, iisque prolixioribus, & confusis eandem chronotaxim resarcire conatus sit. His proinde meritò neglectis ad veriorem Romanorum Pontificum Chronotaxim accedamus, quam pro maiori huius materiæ elucidatione hic subiungimus.

SERIES

SERIES CHRONOLOGICA.

Ab anno Aeræ vulgaris primo vſque ad annum 566. quo obijt Iuſtinianus, & Conſulares Faſti, ac plerique Pontificum Catalogi finem accipiunt.

Anni æræ vulgar.	Conſules iuxta Onuphrij faſtos ab alijs correctos.	Imperatores.	Anni Chriſti.	Obſeruatu digna.
1.	C. Cæſar, L. Æmilius Paullus.	Auguſti 44. & 45. à morte Cæſaris Dictatoris.	Chriſti 6.	Caius bellum gerens cum Parthis hoc anno in Syria Conſulatum init, cuius veritatis indices extant apud Occonem nummi, cum inſcriptione: *C. Cæſar Pont. Coſ.* Et in Cenotaphio Piſano commemoratur eius *Poſtconſulatus, quem vltra extremos Populi Romani fines bellum gerens feliciter peregit.* Ex his corrigi poſſunt Annales, in quibus & alia multa circa Conſules errata irrepſerunt, quæ non quidem omnia, ſed plura corrigimus, adductis faſtis conſularibus ex editione Onuphrij Panuinij, & emendatione Gruteri, Noriſij, Pagij, aliorumque recentiorum auctorum, libertatem relinquentes alijs, qui poſt nos ſcribent, vt ſi quid ex certis monimentis in Conſulum nominibus emendandum reperient, illud quam liberrime præſtare poſſint.
2.	P. Vinicius, P. Varus.	Auguſti 45. & 46.	Chriſti 7.	
3.	M. Seruilius, L. Ælius Lamia.	Auguſti 46. & 47.	Chriſti 8.	
4.	Sex. Ælius Catus, C. Sentius Saturninus.	Auguſti 47. & 48.	Chriſti 9.	
5.	Cn. Cornelius Cinna, L. Valerius Meſſalla Voluſus.	Auguſti 48. & 49.	Chriſti 10.	
6.	M. Æmilius Lepidus, L. Arruntius.	Auguſti 49. & 50.	Chriſti 11.	
7.	Q. Metellus Creticus, A. Licinius Nerua Silanus.	Auguſti 50. & 51.	Chriſti 12.	Lucæ cap. 2. *Cum factus eſſet annorum duodecim ..... remanſit puer Ieſus in Ieruſalem .... & factum eſt, poſt triduum inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum* &c.

8.

Anni æræ vulgar.	Consules iuxta Onuphrij fastos, ab alijs correctos.	Imperatores.	Anni Christi.	Obseruatu digna.
8.	M. Furius Camillus, Sex. Nonius Quinctilianus.	Augusti 51. & 52.	Christi 13.	
9.	C. Poppæus Sabinus, Q. Sulpicius Camerinus.	Augusti 52. & 53.	Christi 14.	Suetonius in Vespasiano c. 2. *Vespasianus natus est .... 15. Kal. Decemb. vesperi, Q. Sulpicio Camerino, C. Poppæo Sabino Coss. quinquennio antequàm Augustus excederet.* Et cap. 24. *Extinctus est 8. Kal. Iulij annum agens ætatis 69.* Ab hoc autem Coss. exclusiuè vsque ad Coss. Vespasiani IX. & Titi VII. quo Vespasianus obijt, in Chronologia nostra *69.* anni intercedunt.
10.	P. Cornelius Dolabella, C. Iunius Silanus.	Augusti 53. & 54.	Christi 15.	
11.	M. Æmilius Lepidus, T. Statilius Taurus.	Augusti 54. & 55. Tiberij Imperij Proconsularis 1.	Christi 16.	Suetonius in Tiberio cap. 21. *Lege per Consules lata, vt Prouincias cum Augusto communiter administraret, simulque censum ageret.*
12.	Germanicus Cæsar, C. Fonteius Capito.	Augusti 55. & 56. Tiberij Imperij Proc. 1. & 2.	Christi 17.	Suetonius in Caio, cap. 8. *Natus est pridie Kal. Sept. patre suo & C. Fonteio Capitone Coss.* Et cap. 59. *Vixit annis XXIX.* quod Chronologiæ nostræ consonum est.
13.	C. Silius, L. Munacius Plancus.	Augusti 56. & 57. Tiberij Imp. Proc. 2. & 3.	Christi 18.	Suetonius in Augusto c. 101. *Testamentum L. Planco C. Silio Coss. III. Nonas Aprilis, ante annum & 4. menses, quàm decederet, factum ab eo.*
14.	Sex. Pompeius, Sex. Apuleius.	Augustus obit die 19. Augusti, & incipit Monarchia Tiberij 1. Imperij verò Proc. 3. & 4.	Christi 19.	Auctor libri de claris Oratoribus à Consulatu Hirtij & Pansæ vsque ad mortem Augusti numerat annos 56. *Adyce,* inquit, *Tiberij tres & viginti, & propè quadriennium Caij, ac bis quaternos denos Claudij, & Neronis annos, atque ipsum Galbæ, & Othonis, & Vitellij vnum annum, ac sextam iam felicis huius Principatus stationem, qua Vespasianus Rempublicam fouet, centum & viginti anni colliguntur.* Errat auctor in supputatione annorum, cum anni Imperatorum ab ipso citati tantùm 118. annos efficiant, quot reuerà à Consulatu Hirtij & Pansæ ad sextum annum Vespasiani intercedunt.
15.	Drusus Cæsar Ti. F. C. Norbanus Flaccus.	Tiberij 1. & 2. Imperij Proconf. 4. & 5.	Christi 20.	

16.

Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Anni Christi.	Obseruatu digna
16.	T. Statilius Sisenna Taurus, L. Scribonius Libo.	Tiberij 2. & 3. Imperij Proconf. 5. & 6.	Christi 21.	Eminentissimus Cardinalis Baronius ad hunc annum refert mortem Augusti, biennio à vera Chronotaxi deflectens, prout in Annalibus deflectit vsque ad Imperium Probi, vbi duobus annis à Probo ablatis, Annales ad veram Chronologiam propiùs accedunt, vt in dissertatione I. cap. 1. fusiùs explicatur.
17.	C. Cœlius Rufus, L. Pomponius Flaccus.	Tiberij 3. & 4. Imperij Proconf. 6. & 7.	Christi 22.	
18.	Ti. Cæs. Aug. III. Germanicus Cæsar Ti. F. II.	Tiberij 4. & 5. Imperij Proconf. 7. & 8.	Christi 23.	
19.	M. Iunius Silanus, L. Norbanus Balbus.	Tiberij 5. & 6. Imperij Proconf. 8. & 9.	Christi 24.	His Coss. veneno extinctus est Germanicus, de cuius morte Dio Cassius lib. 57. *Summæ delectationi Tiberio fuit.* Et infrà: *Cùm antehac plurima egregia fecisset, tum in contraria omnia mutatus est.* Ab hoc autem anno Tiberij, & non à primo eius anno (vt putabat Herwartius) numerandi sunt anni 50. quos Dames comes Apollonij Tyanei post primum Imperatorem vsque ad Vespasianum intercessisse affirmat apud Philostratum in vita Apollonij, lib. 5. cap. 9. *Cum Vespasianus Imperium affectaret apud Gentes Ægypto finitimas, & in Ægyptum procederet, Dion & Euphrates lætari inferunt. Nam post primum Imperatorem, à quo res Romana in ordinem est redacta, & exornata (Augustum videlicet) tyrannides alleò sæuæ rerum potiebantur in annos circiter quinquaginta, vt nec Claudius, qui hoc interiecto spatio per annos tredecim imperauit, inter bonos censendus sit.* Notanda sunt hæc Dameris verba: *post Primum Imperatorem*, non enim dicit, immediatè post
20.	M. Valerius Messalla, M. Aurelius Cotta.	Tiberij 6. & 7. Imperij Proconf. 9. & 10.	Christi 25.	
21.	Ti. Cæs. Aug. IV. Drusus Ti. F. II.	Tiberij 7. & 8. Imperij Proconf. 10. & 11.	Christi 26.	
22.	D. Haterius Agrippa, C. Sulpicius Galba.	Tiberij 8. & 9. Imperij Proconf. 11. & 12.	Christi 27.	

Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Anni Christi.	Obseruatu digna.
23.	C. Asinius Pollio, C. Antistius Vetus.	Tiberij 9. & 10. Imperij Proconſ. 12 & 13.	Christi 28.	mortem Augusti, sed imperaare Tiberio Tyrannidem cœpisse. Tiberius namque sub Principatus initium ferocitatem animi sui mira arte dissimulauit, vt rectè obseruat Petauius, & ab anno Imperij sexto post mortem Germanici Tyrannidem cœpit, vt testatur Dio Cassius, à quo anno vsque ad initium Vespasiani quinquaginta anni à Damete assignati numerantur.
24.	Sex. Corn. Cethegus, L. Visellius Varro. *ex Dione, & Tacito.*	Tiberij 10. & 11. Imperij Proconſ. 13. & 14.	Christi 29.	
25.	Corn. Lentulus Isauricus, M. Asinius Agrippa.	Tiberij 11. & 12. Imperij Proconſ. 14. & 15.	Christi 30.	
26.	Cn. Cornelius Lentulus Getulicus, C. Caluisius Sabinus.	Tiberij 12. & 13. Imperij Proconſ. 15. & 16.	Christi 31. primus annus prædicationis.	
27.	M. Licinius Crassus, L. Calpurnius Piso.	Tiberij 13. & 14. Imperij Proconſ. 16. & 17.	Christi 32. secundus annus prædicationis.	
28.	Ap. Iunius Silanus, P. Silius Nerua.	Tiberij 14. & 15. Imperij Proconſ. 17. & 18.	Christi 33. tertius annus prædicationis.	

Anni à morte Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices.	Obseruatu digna.
1.	29.	C. Fusius Geminus, L. Rubellius Geminus. Suff. Kal. Iul. A. Plautius, L. Nonius Asprenas. *ex Norisio Epist. Cons.*	Tiberij 15. & 16. Imperij Procon. 18. & 19.	Christus Dominus crucifigitur pro salute humani generis: succeditque Petrus, cui ouile suum commisit, antequàm in Cœlum ascendit.	Christus Dominus moritur consulatu duorum Geminorum, vt Dissertatione 1. Veterum testimonijs comprobauimus: Scribit autem Q. Julius Hilario in libello de Hebdom. Danielis: *Ex Luculli Consulatu annos iam Consules requirentes inuenimus vsq; ad Passionem Domini N. Iesu Christi vsque ad annum 16. Imperij Tiberij Cæsaris 179. annos esse completos.* Quod fastis concinit.
1. & 2.	30.	M. Vinicius, L. Cassius Longinus, Suff. Kal. Iul. C. Cassius Longinus. L. Neuius Surdinus. *ex eodem Noris.*	Tiberij 16. & 17. Imperij Procon. 19. & 20.	Petri 1. & 2.	Hoc anno dedicat Velleius Paterculus libros suos historiarum M. Vinicio Cos. & scribit lib. 1. *Carthago diruta est (cum stetisset annis 667.) abhinc annos 177. Cn. Corn. Lentulo L. Mummio Coss.* Anno ante æram vulgarem 146. Scipio Carthaginem deleuit, à quo tempore vsque ad ann. 30. sunt anni 176.
2. & 3.	31.	Ti. Augustus V. L. Ælius Seianus. Suff. VII. idus Maij. Faust. Corn. Sulla, Sexteidius Catullinus. Suff. Kal. Iul. L. Fulcinius Trio. Suff. Kal. Octob. P. Memmius Regulus. *ex Norisio.*	Tiberij 17. & 18. Imperij Procon. 20. & 21.	Petri 2. & 3.	
3. & 4.	32.	Cn. Domitius Ahenobarbus. M. Furius Camillus Scribonianus. Suff. Kal. Iul.	Tiberij 18 & 19. Imperij Procon. 21. & 22.	Petri 3. & 4.	

Anni à morte Christi.	Anni æræ vulgaris.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices.	Obseruatu digna.
		A. Vitellius. *ex Norisio.*			
4. & 5.	33.	Sulpicius Galba, L. Corn. Sulla.	Tiberij 19. & 20. Imperij Procon. 22. & 23.	Petri 4. & 5.	
5. & 6.	34.	Paullus Fabius Persicus, L. Vitellius.	Tiberij 20. & 21. Imperij Procon. 23. & 24.	Petri 5. & 6.	His Consulibus ludi decennales celebrati sunt. Qua de re Dio lib. 58. in Tiberio: *Vicesimo anno Imperij, quum frequens in Albano, & Tusculi esset, in Vrbem non venit. Sed Consules L. Vitellius, & Fabius Priscus decennium nuncupauere, tamquam ei, vt Augusto vsitatum, tunc imperium prorogarent. Verùm hi ludos (decennales) simul celebrarunt, & pœnas dederunt*. Non *decennales*, sed *vicennales* à morte Augusti enumerarunt Tiberij annos, sicque secundò ludos celebrauerunt *decennales*.
6. & 7.	35.	C. Cestius Gallus, M. Seruilius Rufus Nonianus.	Tiberij 21. & 22. Imperij Procon. 24. & 25.	Petri 6. & 7.	
7. & 8.	36.	Q. Plautius Lælianus, Sex. Papinius Allenius. *ex Norisio.*	Tiberij 22. & 23. Imperij Procon. 25. & 26.	Petri 7. & 8.	
8. & 9.	37.	Cn. Acerronius Proculus, C. Pontius Nigrinus.	Tiberius moritur 16. Martij; eique succedit Caius Caligula.	Petri 8. & 9.	Iosephus libro de vita sua scribit, se natum *anno primo Imperij Caligulæ*. Libro autem 20. Antiquitatum ait, se eosdem libros scripsisse *decimo tertio Principatus Domitiani anno*, ætatis vero suæ *sexto & quinquagesimo*. Quod Chronotaxim nostrã confirmat, ab anno enim primo Caligulæ, ad decimum tertium Domitiani, sunt anni 56.
9. & 10.	38.	M. Aquillius Iulianus, P. Nonius Asprenas. *ex Pagiò.*	C. Caligulæ 1. & 2.	Petri 9. & 10.	
10. & 11.	39.	Caius Aug. II. L. Aprohius Cæsianus. Suff. Kal. Febr. M. Sanquinius Max. II. Suff. Kal. Iul. Cn. Domitius Corbulo.	C. Caligulæ 2. & 3.	Petri 10. & 11.	

Anni à morte Christi.	Anni æræ vulgaris.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruata digna.
11. & 12.	40.	C. Aug. III. Suffecti. L. Gellius Poblicola, M. Cocceius Nerua. *ex Norisio.*	C. Caligulæ 3. & 4.	Petri 11. & 12.	Suetonius in Caligula: *vixit annis XIX. imperauit triennio, & decem mensibus, diebusque octo.* Idem quoad Imperij durationem habent Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, & Tertullianus aduersùs Iudæos, alijque communiter.
12. & 13.	41.	C. Augustus IV. Cn. Sentius Saturninus.	Caligula occiditur 24. Ianuarij, eique succedit Claudius.	Petri 12. & 13. & Pontif. Rom. 1.	Petrus sub Claudio Romam venit, duodecim autem annos inter Christi mortem & Petri ad Vrbem aduentum intercessisse, adfirmat Apollonius apud Eusebium, & indicat Lactantius lib. de mortibus persecutorum. A die autem, quo ad Vrbem venit, Pontificatum Romanum 25. annis tenuisse, fidem faciunt antiqui scriptores post Eusebium, & Hieronymum.
13. & 14.	42.	Ti. Claudius Aug. II. C. Cæcina Largus.	Claudij 2.	Petri Pontificatus Romani 2.	
14. & 15.	43.	Claudius Aug. III. L. Vitellius II.	Claudij 3.	Petri 3.	
15. & 16.	44.	L. Quinctius Crispinus II. M. Statilius Taurus. *Apud Grut. pag.* 1041.	Claudij 4.	Petri 4.	
16. & 17.	45.	M. Vinicius II. T. Statilius Coruinus. *ex Norisio Epist. Cons.*	Claudij 5.	Petri 5.	
17. & 18.	46.	C. Valerius Asiaticus II. M. Iunius Silanus. *ex Norisio supra.*	Claudij 6.	Petri 6.	
18. & 19.	47.	Claudius Aug. IV. L. Vitellius III.	Claudij 7.	Petri 7.	Censorinus de Die natali cap. 17. *Sextos* (ludos) *fecit Tiberius Claudius Cæsar se IV. & L. Vitellio tertiùm Coss.*

Anni à morte Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.
19. & 20.	48.	A. Vitellius, Vipsanius Poblicola.	Claudij 8.	Petri 8.
20. & 21.	49.	C. Pompeius Longinus Gallus, Q. Verannius Nepos. *ex Solino cap. 2.* *	Claudij 9.	Petri 9.
21. & 22.	50.	C. Antistius Vetus, M. Suillius Nerulianus. *ex Norisio Epist. Cons.*	Claudij 10.	Petri 10.
22. & 23.	51.	Claudius Aug. V. Ser. Cornelius Orfitus.	Claudij 11.	Petri 11.
23. & 24.	52.	Faustus Sulla, Saluius Otho. *ex Tacito lib. 12. cap. 52.*	Claudij 12.	Petri 12.
24. & 25.	53.	D. Iunius Silanus. Q. Haterius Antoninus.	Claudij 13.	Petri 13.
25. & 26.	54.	Q. Asinius Marcellus, M. Acilius Auiola.	Claudius veneno occumbit 13. Octobris, eique succedit Nero.	Petri 14.
26 & 27.	55.	Nero Cæs. Aug. L. Antistius Vetus.	Neronis 1. & 2.	Petri 15.
27. & 28.	56.	Q. Volusius Saturninus, P. Corn. Scipio.	Neronis 2. & 3.	Petri 16.

Obseruatu digna.

Coss. anno IↃCCC. Septimos Domitianus se XIV. & L. Minucio Rufo Coss. anno IↃCCCXLI. Octauos Imperatores Septimius, & M. Aurelius Antoninus Cilone, & Libone Coss. an. IↃCCCCLVII. Ex annis Vrbis à Censorino citatis colligitur, quòd à Consulatu Claudij IV. vsque ad Consulatum Domitiani XIV. intercedant anni 41. & a prædicto Cos. Domitiani vsque ad Chilonis, & Libonis Consulatum anni 116. Quę egregiè Chronologiam nostram confirmant; cum à Consulatu Claudij IV. seu ab anno 47. ad annum 88. quo Domitianus Consulatum 14. egit, sint anni 41. & ab eodem Consulatu anno vulgari 88. vsque ad annum 204. quo Chilo, & Libo Consules fuerunt, sint anni 116.

* Solinus in Polyhistore, c. 2. numerat à Consulatu Hircij, & Pansæ, quem cum an. 710. Vrbis conditæ illigat, vsque ad Consulatum Pompei & Galli; & Verannij, quem cum anno 801. Vrbis conditæ componit, annos 91, vt cuique constare potest ex nostra chronotaxi, quæ apprimè conuenit cum testimonio Solini.

Lactantius lib. de mortibus persecutorum ad Donatum: *A morte Christi vsque ad principium Neroniani Imperij sunt ann. viginti quinque.* Quo testimonio rectè Chronotaxis nostra confirmatur.

Anni à morte Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Observatu digna.
28. & 29.	57.	Nero Aug. II. L. Calpurnius Piso.	Neronis 3. & 4.	Petri 17.	
29. & 30.	58.	Nero Aug. III. M. Valerius Messalla.	Neronis 4. & 5.	Petri 18.	
30. & 31.	59.	C. Vipstanus Apronianus, L. Fonteius Capito. *ex Pagio.*	Neronis 5. & 6.	Petri 19.	
31. & 32.	60.	Nero Aug. IV. Cossus Cornel. Lentulus.	Neronis 6. & 7.	Petri 20.	D. Hieronymus libro de Scriptoribus: Iacobus anno *post Passionem ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus . . . . triginta annis Hierosolymis rexit Ecclesiam, id est vsque ad septimum Neronis annum*. Idem habet Venerabilis Beda lib. de ratione temporum. Ex quorum testimonijs constat, inter mortem Christi, & septimum Neronis annum intercedere triginta annos Episcopatus Iacobi: quod in nulla alia quàm nostra Chronologia locum habet.
32. & 33.	61.	C. Cæsonius Pætus, C. Petronius Turpilianus.	Neronis 7. & 8.	Petri 21.	
33. & 34.	62.	P. Marius Celsus, L. Asinius Gallus.	Neronis 8. & 9.	Petri 22.	
34. & 35.	63.	C. Memmius Regulus, L. Verginius Rufus. *ex Norisio Epist. Consf.*	Neronis 9. & 10.	Petri 23.	
35. & 36.	64.	C. Lecanius Bassus, M. Licinius Crassus Frugi.	Neronis 10 & 11.	Petri 24.	
36. & 37.	65.	A. Silius Nerua, M. Vestinus Atticus.	Neronis 11. & 12.	Petri 25. quo martyrio coronatur die 29. Iunij, eique succedit Linus.	Epiphanius hæresi 26. cap. 6. *Petri, & Pauli mors in 12. Neronis annum incurrit*: Antiquissimus Catalogus: *Nerua, & Vestino Coss.* D. Hierony-

Anni à morte Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
					ronymus, & Isidorus *anno 37. post Christi Passionem.* Quæ Chronotaxim nostram confirmant.
37. & 38.	66.	C. Suetonius Paullinus, L. Pontius Telesinus.	Neronis 12. & 13.	Lini 1. & 2.	
38. & 39.	67.	L. Fonteius Capito, C. Iulius Rufus.	Neronis 13. & 14.	Lini 2. & 3.	His Coss. ponunt Lini martyrium antiquiores Catalogi, & ex illis author libri Pontificalis, qui in duobus Codicibus Florentinis, & vno Vaticano adiungit ea, quæ ad Vicariatum Lini, & Cleti spectant. Qua de re agimus dissert. 2.
39. & 40.	68.	C. Silius Italicus, M. Galerius Trachalus.	Nero seipsum interimit die 10. Iunij, eique succedit Galba.	Lini 3. & 4.	Fasti Idatij: His Coss. *Nero non comparuit.* Vt enim habet Eutropius lib. 7. *obijt trigesimo, & altero ætatis anno.* Quarè ab hoc anno retronumerando annus primus, quo natus est Nero, incidet in annum 37. æræ vulgaris, quo Tiberius è vita excessit, scribente Suetonio: *Nero natus est Antij post nouem menses quàm Tiberius excessit è vita VIII. Kal. Ianuarij.* Tiberius mortuus est iuxta nostram Chronologiam ann. 37. die 16. Martij, à quo die vsque ad VIII. Kal. Ian. nouem menses, & à quo anno vsque ad 68. intercurrunt anni 31.
40. & 41.	69.	Imp. Ser. Sulpicius Galba Aug. II. Vinius Rufinus. *1. ex Onuphrio. 2. ex Norisio.*	Galba occiditur 16. Ianuarij, & post ipsum hoc anno occisis Othone, & Vitellio, succedit Vespasianus Kal. Iul.	Lini 4. & 5.	Philostratus lib. 5. de vita Apollonij Tyanei, cap. 4. *Galba iam regno potitus in ipsa ciuitate interfectus est: Vitellius autem interijt, dum Imperij captaret auguria: Otho quoquè apud occidentales Gallos moriens, honestaque sepultura carens tamquam priuatus,* qui-

Anni à morte Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Observatu digna.
					quidam & ignobilis fuerit. Atque hæc omnia intra anni spatium à fortuna celeriter acta sunt. Suetonius autem in Vitellio ait, eum natum mense Septemb. *Druso Cæsare, Norbano Flacco Coss.* hoc est anno vulgari 15. Scribit quoquè Zonaras: *Vixit annos 54. & dies 89.* quot anni inter Consulatum præfatum, & annum 69. intercedunt in nostra Chronologia.
41. & 42.	70.	Imp. Cæs. Vespasianus August. II. Titus Cæsar.	Vespasiani 1. & 2.	Lini 5. & 6.	Suetonius in Othone c. 2. *Otho Imperator IV. Kal. Maij natus est Camillo Aruntio, Domitio Aenobarbo Coss.* Porrò refert Plutarchus in vita Othonis se vidisse eius monumentum Brixelli cum hac inscriptione: *M. OTHONIS. OBIIT ANNO AETATIS XXXVII.* quot omninò anni intercedunt in nostra Chronologia inter Coss. Camilli, Ænobarbi, ac mortem Othonis.
42. & 43.	71.	Vespasianus August. III. M. Cocceius Nerua. Suff. Kal. Martij Fl. Domitianus Cæsar, Cn. Pedius Castus. *Norisius, & Pagius, ex inscriptione.*	Vespasiani 2. & 3.	Lini 6. & 7.	Iosephus lib. 6. cap. 47. & Eusebius in Chronico affirmant, quòd euersio Hierosolymæ contigerit, *anno 2. Vespasiani*. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Origenes lib. 4. contra Celsum, & D. Hieronymus comm. in cap. 1. Sophoniæ adiungunt; *anno post passionem Christi* 42. Ex quibus apertè constat, quòd inter mortem Christi, & annum secundum Vespasiani intercedant anni 42.
43. & 44.	72.	Vespasianus August. IV. Titus Cæsar II.	Vespasiani 3. & 4.	Lini 7. & 8.	
44. & 45.	73.	Domitianus Cæs. II. M. Valerius Messallinus.	Vespasiani 4. & 5.	Lini 8. & 9.	
45. & 46.	74.	Vespasianus August. V. Titus Cæsar III. Suff. Domitianus Cæs. III.	Vespasiani 5. & 6.	Lini 9. & 10.	Auctor libri de claris oratoribus: *Hirtio, & Pansa Coss. VII. Idus Decembris occisus est Cicero, à quo tempore usque ad sextum annum Vespasiani centum & viginti anni numerantur*. Duobus tantùm annis à vera Chrono-

no-

Anni à morte Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
46. & 47.	75.	Vespasianus August. VI. Titus Cæs. IV. Suff. Domitianus Cæsar IV.	Ve spasiani 6. & 7.	Lini 10. & 11.	nologia deflexit, idque ex errore supputationis annorum prouenit, vt suprà indicauimus.
47. & 48.	76.	Vespasianus August. VII. Titus Cæs. V. Suff. Domitianus Cæsar V.	Vespasiani 7. & 8.	Lini 11. & 12. quo obijt VI. Kal. Decembris, vel vt alij volunt VIII. Kal. Octobris.	Eusebius in Chronico: *Post Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit Linus annis XI.* Alij catalogi, & liber Pontificalis iuxta fidem duorum M. SS. Codd. Florentinorum, & vnius Vaticani tribuunt annos XI. menses III. dies XX.
48. & 49.	77.	Vespasianus August. VIII. Titus Cæs. VI. Suff. Domitianus Cæsar VI. *ita ex Onuphrio Pagius.*	Vespasiani 8. & 9.	Cleti 1.	
49. & 50.	78.	L. Ceionius Commodus, D. Nouius Priscus. *ex Norisio, & Pagio.*	Vespasiani 9. & 10.	Cleti 2.	
50. & 51.	79.	Vespasianus August. IX. Titus Cæs. VII.	Moritur Vespasianus die 24. Iunij, & succedit Titus.	Cleti 3.	Vespasianus, teste Dione lib. 66. mortuus est, cum vixisset *annos 69. menses octo: regnauit annos 10. sex diebus exceptis.* Et addit de Tito, eum vixisse in Principatu: *annos duos, menses 2. dies 20.*
51. & 52.	80.	Titus Aug. VIII. Domitianus Cæs. VII.	Titi 1. & 2.	Cleti 4.	*antè verò quàm esset Imperator, annos 39. menses 5. dies 25.* Cum autem Titus Imperium adeptus sit anno æræ
52. & 53.	81.	Sex. Annius Siluanus. T. Verus Pollio. *Noris ex Grutero. p. 1040.*	Titus moritur die 13. Septembris, eique succedit Domitianus.	Cleti 5.	vulgaris 79. ætatis 39. patet omninò, anno æræ vulgaris 70. ætatis verò trigesimo Titum rectè dixisse ad Apollonium, quod refert Philostratus in vita eiusdem Apollonij Tyanei, lib. 6. cap. 14. *Ego autem natus sum an-*

Anni à morte Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.
53. & 54.	82.	Imp. Domitianus Aug. VIII. T. Flauius Sabinus.	Domitiani 1. & 2.	Cleti 6.
54. & 55.	83.	Imp. Domitianus Aug. IX. Q. Petilius Rufus II. *ex Phlegonte c. 24. Norisius Epist. Consul.*	Domitiani 2. & 3.	Cleti 7.
55. & 56.	84.	Imp. Domitianus Aug. X. C. Appius Sabinus.	Domitiani 3. & 4.	Cleti 8.
56. & 57.	85.	Domitianus August. XI. Titus Aurelius Fuluus.	Domitiani 4. & 5.	Cleti 9.
57. & 58.	86.	Domitianus August. XII. Ser. Cornelius Dolabella.	Domitiani 5. & 6.	Cleti 10.
58. & 59.	87.	Domitianus August. XIII. A. Volusius Saturninus.	Domitiani 6. & 7.	Cletii 11.
59. & 60.	88.	Domitianus August. XIV. L. Minutius Rufus.	Domitiani 7. & 8.	Cleti 12.

Obseruatu digna.

annos triginta, iisdemque honoribus, quibus pater iam sexagenarius, ornatus. Idem confirmatur ex Suetonio in Tito, vbi affirmat, quòd *natus sit III. Kal. Ianuarij insigni anno Caiana nece.* Annus enî Caiana nece insignis, vt rectè obseruat Petauius lib. XI. de Doctrina temporum c. 18. est annus Vrbis conditę 793. qui ab XI. Kal. Maij anni æræ vulgaris 40. vsque ad XI. Kal. Maij anni 41. protenditur, adeò vt si anno Caiana nece insigni natus sit Titus III. Kal. Ian. nõ quidẽ an. 41. post mortẽ Caij, sed an. 40. diebus 26. ante Caij obitũ natũ fuisse oportuerit: à fine autem anni 40. vsque ad annum 79. quo Titus Imperium assumpsit, anni 39. intercedunt, vt Dio obseruat, & vsque ad Titi mortem anni 41. vt Suetonius affirmat his verbis: *Excessit altero & quadragesimo ætatis anno.*

Antiquus Chronologus apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Stromatum: *A Consulatu Augusti IV. vsque ad Consulatum Domitiani XII.* quo certamen Romæ instituit, *anni*, inquit, 114. exclusò nimirùm vltimo anno, quem si comprehendas, erunt anni 115. Scribit quoquè Censorinus, cap. 18. de Die natali, *Agonem Capitolinum institutum esse, Domitiano XII. & Dolabella Coss.* qui anno 86. respondet. Idem autem scribit, anno 238. cœpisse agonem 39. Cùm verò agon quatuor integros annos complecteretur, agones 38. quater completi conficiunt annos 152. quibus si detrahas annos 237. remanent anni 85. Vnde anno Christi 86. primus agon celebratus est.

Anni à morte Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
60. & 61.	89.	T. Aurelius Fulnus II. A. Sempronius Atratinus.	Domitiani 8. & 9.	Cletus obijt, eique succedit Clemens post VI. Kal. Maij.	Cletum post Linum Ecclesiam 12. annis rexisse, affirmat Eusebius, & post eum S. Prosper. Omnes antiqui Catalogi tribuunt ei annos XII. mensem I. dies XI. hosque secutus est auctor libri Pontificalis. Epiphanius hæresi 27.: *Linus, & Cletus duodecim annorum spatio singillatim Episcopatum obtinuerunt*. Demùm Rabanus in Martyrologio ad 3. Kal. Maij: *Romæ passio Cleti Papæ, qui tertius post Petrum Romanæ Vrbis Episcopatum annos 12. habuit, & ibidem martyrio coronatus est sub Domitiano Imperatore.*
61. & 62.	90.	Domitianus August. XV. M. Cocceius Nerua II.	Domitiani 9. & 10.	Clementis 1. & 2.	
62. & 63.	91.	M. Vlpius Traianus Crinitus, M. Acilius Glabrio.	Domitiani 10. & 11.	Clementis 2. & 3.	
63. & 64.	92.	Domitianus August. XVI. Q. Volusius Saturninus. *ex Grutero 300. Norisius.*	Domitiani 11. & 12.	Clementis 3. & 4.	
64. & 65.	93.	Pompeius Collega, Cornelius Priscus.	Domitiani 12. & 13.	Clementis 4. & 5.	
65. & 66.	94.	L. Nonius Asprenas Torquatus, M. Arricinius Clemens.	Domitiani 13. & 14.	Clementis 5. & 6.	
66. & 67.	95.	Domitianus August. XVII. T. Flauius Clemens.	Domitiani 14. & 15.	Clementis 6. & 7.	
67. & 68.	96.	C. Fuluius Valens, C. Antistius Vetus.	Domitianus occisus est 14. Kal. Octobris, anno ætatis 45. Imperij 15. Ita Suetonius, & alij. Successit ei M. Cocceius Nerua.	Clementis 7. & 8.	Suetonius in Domitiano cap. 1. *Natus est IX. Kal. Nouembris patre Cos. designato.* Et cap. 17. *Occisus est XIV. Kal. Octob. anno ætatis 45. Imperij 15.* quæ chronotaxim nostram confirmant vti & illa, quæ Eu-

Anni à morte Christi.	Anni aeræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
68. & 69.	97.	Imp. Nerua August. III. L. Verginius Rufus III. *ex Norisio Epist. Cons.* Suff. Cornelius Tacitus historicus.	Neruæ 1. & 2.	Clementis 8. & 9.	Eutropius initio libri 8. scribit: *Anno 850. ab Vrbe Condita, Vetere, & Valente Coss. . . . Domitiano exitiali Tyranno Nerua succedit.* Portò idem Eutropius habet de Iouiniano: *Decessit Imperij mense 7. quartodecimo Calend. Martias, . . . Iouiniano eodem & Varroniano Coss. anno Vrbis conditæ* 1119. Ab anno V. C. 850. ad annum 1119. intercedunt anni 268. quot Consulum paria, & anni inter Neruæ initium, & Iouiniani interitum in nostra Chronologia intercedunt: quæ proinde confirmatur egregio Eutropij Viri Consularis testimonio.
69. & 70.	93.	Imp. Nerua August. IV. Traianus Cæs. II.	Moritur Nerua 27. Ianuarij, eique succedit Traianus.	Clementis 9. quo in exilium deportatur, cui Anacletus succedit.	
70. & 71.	99.	C. Sossius Senecio II. A. Cornelius Palma.	Traiani 2.	Anacleti 2.	
71. & 72.	100.	Imp. Traianus Aug. III. Sex. Iulius Fronto III. *ex Pagio.*	Traiani 3.	Anacletus obijt, & Clemens martyrio coronatur 8. Kal. Decembris, cui Euaristus succedit.	Clementem obijsse tertio Traiani anno, obseruat Eusebius, qui libro 3. historiæ, cap. 34. *Clemens anno supradicti Imperatoris tertio abijt è vita.* D. Hieronymus libro de Scriptoribus: *Obijt tertio Traiani anno.* Catalogus secundus sęculo sexto exaratus: *Obijt martyr tertio Traiani.* Addit Beda in Martyrologio: *XI. Kal. Decembris. Romæ natale Sancti Clementis, qui iubente Traiano missus est in exilium.* Demùm author libri Pontificalis in vita Clementis iuxta fidem duorum M. SS. Florentinorum: *Obijt martyr anno Traiani tertio.*
72. & 73.	101.	Imp. Traianus Aug. IV. Sex. Articuleius Pætus.	Traiani 4.	Euaristi 1.	
73. & 74.	102.	C. Sossius Senecio III. L. Licinius Sura II.	Traiani 5.	Euaristi 2.	
74. & 75.	103.	Imp. Traianus Aug. V. L. Appius Maximus II.	Traiani 6.	Euaristi 3.	

Anni à morte Christi.	Anni æræ vulgaris.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Observatu digna.
75. & 76.	104.	Suranus II. P. Neratius Marcellus.	Traiani 7.	Euaristi 4.	
76. & 77.	105.	Iulius Candidus II. A. Iulius Quadratus II.	Traiani 8.	Euaristi 5.	
77. & 78.	106.	L. Ceionius Commodus Verus. L. Tutius Cerealis.	Traiani 9.	Euaristi 6.	
78. & 79.	107.	L. Licinius Sura III. C. Sosius Senecio IV.	Traiani 10.	Euaristi 7.	
79. & 80.	108.	Ap. Annius Trebonius Gallus, M. Attilius Metilius Bradua.	Traiani 11.	Euaristi 8.	
80. & 81.	109.	A. Cornelius Palma II. C. Caluisius Tullus II.	Traiani 12.	Euaristus moritur, eique succedit Alexander.	Euaristo annos 9. tribuit Eusebius, & S. Prosper in Chronicis. Annos 9. menses 10. ei assignant duo Catalogi tempore Iustini, & Caroli M. exarati. Catalogus Vigilij temporibus scriptus tribuit ei solummodò annos 8. & menses 10. quam sententiam hic secuti sumus ob mortem Alexandri, quæ certo Traiani anno tribuitur.
81. & 82.	110.	Cl. Crispinus, Solenus Orfitus.	Traiani 13.	Alexandri 2.	
82. & 83.	111.	L. Calpurnius Piso, M. Vettius Bolanus. *Pagins ex inscriptionibus Gruteri pag. 163. & 128.*	Traiani 14.	Alexandri 3.	Anno Traiani 14. *iuxta diligentiorem computum*, teste Euagrio lib. 2. cap. 12. Terremotus contigit Antiochiæ: æra Antiochena 159. Cum enim duplex sit æra Antiochena, quarum prima à bello Pharsalico, idest anno ante æram vulgarem

Anni à morte Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
83. & 84.	112.	Traianus VI. T. Sextius Africanus. *ex Norisio Ep. Conf.* Fasti Idatij *His Coss. persecutio Christianorum.*	Traiani 15	Alexandri 4.	rem 48. altera à pugna Actiaca, ideſt anno ante æram vulgarem 31. incipiunt; Euagrius loco citato annum 159. aſſignans, primam æram indicat, & an. CXI. æræ vulgaris, qui eſt Traiani 14. terræmotum figit. Secundum Dionem terræmotus
84. & 85.	113.	L. Publilius Celsus II. C. Clodius Crispinus. *Correcti sunt hi Consules ex lapide apud Gruterum pag. 214.*	Traiani 16.	Alexandri 5.	Antiochiæ contigit Meſſalla & Pedone Coſſ. vel vt alij tradunt, *ſub anno* 3. *Olymp.* 223. Sic enim habetur in Collectaneis Græcis Scaligeri, & addit in Chronico M. S. Ioannes Melela Antiochenus: *Menſe Decembri, die* 13. *feria* 1. *poſt gallicinium, anno æra Antiochena* 144. quo loco æra
85. & 86.	114.	Q. Ninnius Hasta, P. Manilius Vopiscus.	Traiani 17.	Alexandri 6.	Antiochena non à pugna Pharſalica, ſed à pugna Actiaca ſimiliter inchoatur. Porrò ab anno 31. ante æram vulgarem vſque ad annum 115. intercedunt an-
86. & 87.	115.	L. Vipstanus Messalla, C. Popilius Carus Pedo. *Apud Gruterum p. 457. 6.*	Traiani 18.	Alexandri 7.	ni 144. completi, ſicut ab anno ante æram vulgarem 48. vſque ad annum 111. anni 159. ab Euagrio computantur.
87. & 88.	116.	L. Ælius Lamia, Ælianus Veter. *ex Phlegonte c. 9. Norisius ep. Conf.*	Traiani 19.	Alexandri 8.	
88. & 89.	117.	Quinctius Niger, C. Vipstanus Apronianus. *Ex Norisio Epist. Conf.*	Traianus moritur 10. Aug. eique succedit Hadrianus.	Alexander martyrio coronatur quinto Nonas Maias, eique succedit Xystus.	Vettius Valens Aſtrologus Antiochenus in libris Ἀνθολογιῶν γενεθλιακῶν comparat annum primum Hadriani *cum anno* 148. *Auguſtorum*. A pugna autem Actiaca, ſiue anno 31. ante æram vulgarem vſque ad an-
89. & 90.	118.	Imp. Hadrianus Aug. II. Ti. Claudius Fuscus Salinator.	Hadriani 1. & 2.	Xysti 1. & 2.	num 117. ſunt anni 148. Porrò licet Alexandro annos 10. tribuant Euſebius, S. Proſper, Catalogi ſub Iuſtiniano, & Carolo M. exarati, cum auctore libri Pontificalis iuxta duos M. SS. Florent.

Anni à morte Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
90. & 91.	119.	Imp. Hadrianus Aug. III. Q. Iunius Rusticus.	Hadriani 2. & 3.	Xysti 2. & 3.	rent. & duos Codices Vaticanos; antiqua tamen lectio habet annos 8. quot & non plures ei tribuit antiquior Catalogus tempore Libetij Papæ concinnatus, & M.SS. Acta Alexandri habent: *Eodem anno post mortem S. Alexandri nutu Dei defunctus Traianus Imperator.* Et Martyrologium Bedæ: *Alexander .... punctis creberrimis per tota membra peremptus est .... sub Aureliano Iudice tempore Traiani Principis.* M. S. codex Palatinus, & Notkerus, eum iubente Traiano passum fuisse, affirmant: quibus omnibus accedit auctor libri Pontificalis, qui scripsit: *Fuit temporibus Traiani vsq; ad Aelianum, & Veterem.*
91. & 92.	120.	L. Catilius Seuerus, T. Aurelius Fuluus.	Hadriani 3. & 4.	Xysti 3. & 4.	
92. & 93.	121.	M. Annius Verus II. L. Augur. *Ex Pagio.*	Hadriani 4. & 5.	Xysti 4. & 5.	
93. & 94.	122.	MV. Acilius Aniola. C. Corellius Pansa.	Hadriani 5. & 6.	Xysti 5. & 6.	
94. & 95.	123.	Q. Arrius Pætinus, C. Ventidius Apronianus.	Hadriani 6. & 7.	Xysti 6. & 7.	
95. & 96.	124.	MV. Acilius Glabrio, C. Bellicius Torquatus.	Hadriani 7. & 8.	Xysti 7. & 8.	
96. & 97.	125.	P. Cornelius Scipio Asiaticus II. Q. Vettius Aquilinus,	Hadriani 8. & 9.	Xysti 8. & 9.	
97. & 98.	126.	MV. Annius Verus III. L. Varius Ambibulus. *Ex Norisio Epist. Cons.*	Hadriani 9. & 10.	Xysti 9. & 10.	

Anni post mortem Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Observatu digna.
98. & 99.	127.	Gallicanus, Cœlius Titianus.	Hadriani 10. & 11.	Xysto succedit Telesphorus.	Xysto tribuit Eusebius annos 10. quot cum duobus aut tribus mensibus eidem tribuunt omnes antiqui Catalogi.
99. & 100.	128.	L. Nonius Torquatus, M. Annius Libo. *Ex Dione lib. 69.*	Hadriani 11. & 12.	Telesphori 2.	
100. & 101.	129.	P. Iuuentius Celsus II. Q. Iulius Balbus.	Hadriani 12. & 13.	Telesphori 3.	
101. & 102.	130.	Q. Fabius Catullinus, M. Flauius Aper.	Hadriani 13. & 14.	Telesphori 4.	
102. & 103.	131.	Ser. Octauius Lænas Pontianus, M. Antonius Rufinus.	Hadriani 14. & 15.	Telesphori 5.	
103. & 104.	132.	Sentius Augurinus, Arrius Seuerianus.	Hadriani 15. & 16.	Telesphori 6.	
104. & 105.	133.	Hiberus, Iunius Silanus Sisenna.	Hadriani 16. & 17.	Telesphori 7.	
105. & 106.	134.	C. Iulius Seruianus III. C. Vibius Varus. *Ex Norisio Epist. Consul.*	Hadriani 17. & 18.	Telesphori 8.	

Anni post mortem Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices.	Obseruatu digna.
106. & 107.	135.	Pontianus, Atilianus, *ex Norisio Epist. Consf.*	Hadriani 18. & 19.	Telesphori 9.	
107. & 108.	136.	L. Ceionius Commodus Verus, Sex. Vetulenus Ciuica Pompeianus,	Hadriani 19. & 20.	Telesphori 10.	
108. & 109.	137.	L. Ælius Verus Cæsar II. P. Cœlius Balbinus Vibullius.	Hadriani 20. & 21.	Telesphori 11.	Libri Phlegontis Hadriano familiaris finiunt anno 1. Olympiadis 229. id est anno æræ vulg. 137.
109. & 110.	138.	Sulpicius Camerinus, Quinctius Niger Magnus.	Hadrianus ante mortem adoptat T. Aurelium Fuluum, qui idem est cum Ælio Antonino Pio, 25. Feb. & moritur 12. Iul.	Telesphoro succedit Hyginus.	Telesphoro annos vndecim tribuunt Eusebius, S. Prosper, antiquior Catalogus tempore Liberij Papæ, & secundus Catalogus sexto sæculo concinnati. Iulius Capitolinus in vita Antonini Pij: *Ipse Antoninus Pius natus est 13. Kal. Octobres sub Domitiano XII. & Cornelio Dolabella Coss.*
110. & 111.	139.	Imp. Antoninus Pius Aug. II. Bruttius Præsens.	Antonini Pij 2.	Hygini 2.	Censorinus ab hoc Consulatu vsque ad Consulatum Vlpij & Pontiani, qui in annum 238. incidit, annos centum numerat; scribens enim librum suum anno 238. habet sequentia: *Ab hinc annos centum Antonino Pio Augusto II. & Bruttio Præsente Coss.* Tertullianus lib. 1. aduersus Marcionem, cap. 19. Marcionem, quem sub Hygino Papa Romam venisse asserunt Irenæus, Cyprianus,
111. & 112.	140.	Anton. Aug. III. M. Aurelius Cæsar.	Antonini Pij 3.	Hygini 3.	

Euse-

Anni post mortem Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
112. & 113.	141.	M. Pedneæus Syloga Priscinus; T. Hœnius Seuerus. *Gruter. pag.* 182. 4.	Antonini Pij 4.	Hygini 4.	Eusebius, & Epiphanius, vocat hæreticum Antonini Pij; vnde Hygini Pontificatus in Antonini Pij imperium incurrere debet.
113. & 114.	142.	L. Cuspius Rufinus, L. Statius Quadratus.	Antonini Pij 5.	Hygino succedit Pius.	Hyginum non annis 12. sedisse, ex Consulibus in priori Catalogo adductis collegit Henschenius, & post eum Papebrochius: at quatuor annis tantummodò sedisse scribit Eusebius lib. 4. hist. cap. 10. *Hygino post quartum Pontificatus sui annum decedente è vita*. Idem habent D. Hieronymus in Chronico, S. Prosper in Chronico integro, Georgius Syncellus in Chronographia, Catalogus quem secundum dicimus, duo alij Catalogi sub Iustiniano Imperatore concinnati, alter Catalogus tempore Caroli Magni exaratus, Catalogus in codice Ecclesiæ Pergamensis conscriptus, & Anastasius Bibliothecarius cum auctore libri Pontificalis, qui omnes, quatuor annos cum aliquot mensibus Hygino tribuunt: quod tempus ei quoquè assignant Baronius, & Onuphrius Panuinius.
114. & 115.	143.	C. Bellicius Torquatus, Ti. Claudius Atticus Herodes.	Antonini Pij 6.	Pij 2.	
115. & 116.	144.	Lollianus Auitus, C. Gauius Maximus.	Antonini Pij 7.	Pij 3.	
116. & 117.	145.	Imp. Antoninus Pius Aug. IV. M. Aurelius Cæsar II.	Antonini Pij 8.	Pij 4.	
117. & 118.	146.	Sex. Erucius Clarus II. Cn. Claudius Seuerus.	Antonini Pij 9.	Pij 5.	
118. & 119.	147.	M. Valerius Largus, M. Valerius Messallinus.	Antonini Pij 10.	Pij 6.	Clemens Alexandrinus numerat à captiuitate Iudaica vsque ad 10. annum Antonini annos 77. quos si subducas ab annis 147. manebunt anni 70. Annò autem septuagesimo, qui concur-

Anni post mortem Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
119. & 120.	148.	C. Bellicius Torquatus II. M. Saluius Iulianus II.	Antonini Pij 11.	Pij 7.	rit cum anno 2. Vespasiani, euersam Hierosolymam, & Iudæorum reliquias venumdatas fuisse, ostendi suprà, & confirmari potest authoritate nummorum, in quorum antica Caput Vespasiani cum *Coss. III.* & in postica figura gemebunda sub Palma, & inscriptione *Iudæa capta.* Quorũ vnus apud me est, & plures apud omnes rei nummariæ studiosos reperiuntur. Hi enim nummi cum Cos. Vespasiani III. spectant ad Triumphum de Iudæa, & Ierosolymæ expugnatione anno 71. Romæ à Vespasiano & filio eius Tito peractum.
120. & 121.	149.	Sex. Cornel. Scipio Orfitus, Q. Nonnius Priscus.	Antonini Pij 12.	Pij 8.	
121. & 122.	150.	Romulus Gallicanus, Antistius Vetus.	Antonini Pij 13.	Pij 9.	
122. & 123.	151.	Sex. Quinctilius Gordianus, Sex. Quinctilius Maximus.	Antonini Pij 14.	Pij 10.	
123. & 124.	152.	MV. Acilius Glabrio, M. Valerius Homulus Verianus. *Ex Grut. pag.* 1077.	Antonini Pij 15.	Pij 11.	
124. & 125.	153.	C. Bruttius Præsens, A. Iunius Rufinus. *Apud Gruter. p.*300. *ex corr. Norisij in Epist. Cons.*	Antonini Pij 16.	Pij 12.	
125. & 126.	154.	L. Aelius Aurelius Commodus. T. Sextius Lateranus. *ex Norisio Epist. Cons.*	Antonini Pij 17.	Pij 13.	

Anni post mortem Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
126. & 127.	155.	C. Iulius Seuerus, M. Rufinus Sabinianus.	Antonini Pij 18.	Pij 14.	
127. & 128.	156.	M. Ceionius Siluanus, C. Serius Augurinus. *Ita Norisius, & Pagius.*	Antonini Pij 19.	Pij 15.	Pium sedisse annis 16. scribunt Eusebius lib. 4. historiæ, cap. 10. D. Hieronymus in Chronico Eusebij, D. Prosper in Chronico integro, Catalogus in Liberio desinens, in quo tamen Pius post Anicetum collocatur.
128. & 129.	157.	Vetulenus Barbarus, Regulus. *ex Norisio Epist. Cons.*	Antonini Pij 20.	Aniceti 1.	Quod ipsum ex eodem aut simili Catalogo didicisse videntur S. Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum, & S. Augustinus Epistola 165. & auctor secundi Catalogi sæpè citati. Verùm Pium ante Anicetum sedisse, testatur Hegesippus
129. & 130.	158.	Tertullus, Claudius Sacerdos. *ex Norisio, ibid.*	Antonini Pij 21.	Aniceti 2.	apud Eusebium lib. 4. cap. 21. his verbis: *Cum essem Romæ, mansi ibi vsque ad Pontificis Aniceti tempora, cuius tum quidem Eleutherius Diaconus erat. Huic successit Soter, quo morte extincto*
130. & 131.	159.	Plautius Quintillus, M. Statius Priscus. *ex eodem Norisio.*	Antonini Pij 22.	Aniceti 3.	*Eleutherius munus Episcopale capessit.* Cum itaque Aniceto successerit Soter, Sotheri Eleutherius, non potuit Aniceto successisse Pius sed eum præcessisse necesse est, prout quoque affirmat D. Irenæus, qui sub Eleuthero Romam venit. Ita
131. & 132.	160.	T. Vibius Varus, Ap. Annius Bradua.	Antonini Pij 23. Extant Antonini nummi apud Occonem nouæ edit. cum Trib. Potest an. XXIV. nec vltra procedunt.	Aniceti 4.	enim lib. 3. cap. 3. *Hyginus, post Pius, post quem Anicetus.* Concinunt auctor Carminum contra Marcionem, Eusebius lib. 4. cap. 10. Epiphanius hæresi 27. cap. 6. S. Prosper in Chronico, Georgius Syncellus, & Nicephorus Constantin. in Chronographijs, duo Catalogi tempore Vigilij Papæ scripti, alter Catalo-

gus

Anni post mortem Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
132. & 133.	161.	M. Ælius Aurelius Cæsar III. L. Ælius Commodus II. *ita Pagius ex Norisij Epist. Cons. & Grutero pag. 300.*	Antoninus Pius moritur 7. Mart. eique succedunt Marcus Aurelius Antoninus, cognomento Philosophus, & L. Ælius Verus; Et tum primum duo Imperatores visi. Ita Spart.	Aniceti 5.	gus sub Carolo Magno exaratus, auctor libri Pontificalis, & omnes recentiores, Exceptis VV. CC. Henschenio & Papebrochio, qui frustra antiquioris Catalogi authoritatem defendendam susceperunt.
133. & 134.	162.	Q. Iunius Rusticus, C. Vettius Aquilinus. *ex Norisio suprà.*	M. Aurelij, & Lucij Veri 1. & 2.	Aniceti 6.	
134. & 135.	163.	L. Papirius Ælianus, Iunius Pastor.	M. Aurelij, & Lucij Veri 2. & 3.	Aniceti 7.	
135. & 136.	164.	M. Nonius Macrinus, Celsus. *ex Norisio Epist. Cons.*	M. Aurelij, & Lucij Veri 3. & 4.	Aniceti 8.	
136. & 137.	165.	L. Arrius Pudens, M. Gauius Orfitus. *ex Norisio suprà.*	M. Aurelij, & Lucij Veri 4. & 5.	Aniceti 9.	
137. & 138.	166.	Q. Seruilius Pudens, T. Fufidius Pollio. *ex inscrip. Gruteri.*	M. Aurelij, & Lucij Veri 5. & 6.	Aniceti 10.	

138.

Anni post mortem Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Observatu digna.
138. & 139.	167.	L. Aurelius Verus Aug. III. T. Numidus Quadratus.	M. Aurelij, & Lucij Veri 6. & 7.	Aniceti 11.	
139. & 140.	168.	L. Vettius Paullus, T. Iunius Montanus.	M. Aurelij, & Lucij Veri 7. & 8.	Aniceti 12.	
140. & 141.	169.	Q. Sosius Priscus, P. Cœlius Apollinaris. *Norisius Epist. Cons. ex Grut. pag. 300.*	Lucius Verus obit. M. Aurelij 8. & 9.	Aniceto succedit Soter.	Aniceto annos 12. tribuit Eusebius. Annos XI. tribuunt tres Catalogi temporibus Iustiniani, & Iustini Impp. concinnati. S. Prosper, & Catalogus tempore Caroli M. exaratus assignant annos 10. & menses 4. Soterem autem sedisse annis 8. tradunt Eusebius, S. Prosper, & Catalogus tempore Iustini Imperatoris conscriptus, quamuis antiquior Catalogus, Syncellus, & Nicephorus Constantinopolitanus cum duobus alijs Catalogis Soteri tribuant annos nouem, menses tres.
141. & 142.	170.	M. Cornelius Cethegus, C. Erucius Clarus. *Norisius ex inscrip. Foroliuiensi.*	M. Aurelij 9. & 10.	Soteris 2.	
142. & 143.	171.	L. Septimius Seuerus II. L. Alfidius Herennianus. *ex Norisio Epist. Cons.*	M. Aurelij 10. & 11. Extant Aurelij nummi: *primi Decennales Coss. III.* in laurea.	Soteris 3.	
143. & 144.	172.	Claudius Maximus, Corn. Scipio Orfitus.	M. Aurelij 11. & 12.	Soteris 4.	
144. & 145.	173.	M. Aurelius Seuerus II. T. Claudius Pompeianus. *ex Norisio Epist. Cons. & Pagio.*	M. Aurelij 12. & 13.	Soteris 5.	

Anni post mortem Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
145. & 146.	174.	Ap. Annius Trebonius Gallus, Flaccus.	M. Aurelij 13. & 14.	Soteris 6.	
146. & 147.	175.	Calpurnius Piso, M. Saluius Iulianus.	M. Aurelij 14. & 15.	Soteris 7.	
147. & 148.	176.	T. Vitrasius Pollio II. M. Flauius Aper II.	M. Aurelij 15. & 16.	Soteris 8.	
148. & 149.	177.	L. Aurelius Commodus, Plautius Quintillus.	M. Aurelij 16. & 17.	Soteri succedit Eleutherius.	Eleutherius, teste Eusebio lib. 5. hist. in procenuo, ad Pontificatum peruenit anno 17. Antonini Veri, quo tempore persecutio illa mota est, in qua Martyres Lugdunenses perierunt, quorum epistolam ad Ecclesias Asiæ & Phrygiæ ibidem refert, adiungens, martyres, dum adhuc in vinculis erant, ad Elentherum frequenter scripsisse, & Irenæum per litteras Eleuthero commendasse.
149. & 150.	178.	Iulianus Rufus, Gauius Orfitus. *Norisius Ep. Cons. ex inscript. apud V. Cl. Fabrettum.*	M. Aurelij 17. & 18.	Eleutherij 1. & 2.	
150. & 151.	179.	L. Aurelius Commodus Aug. II. T. Annius Aurelius Verus II. *Norisius ex Grutero.*	M. Aurelij 18. & 19.	Eleutherij 2. & 3.	

Anni post mortem Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
151. & 152.	180.	L. Fulnins Bruttius Præsens II. Sex. Quintilius Condianus. *ex Norisio Ep. Consf.*	M. Aurelius obit die 16. Martij, eique succedit eius filius Aurel. Commodus Antoninus.	Eleutherij 3. & 4.	Sextus Aurelius Victor in Epitome de Cæsaribus habet de M. Aurelio: *Ipse vita anno 59. apud Vendobonam morbo consumptus est*. Vnde colligitur, M. Aurelium natum fuisse anno Christi 121. quo Consules fuerunt Annius Verus & Augur. Quod ita esse, testatur Capitolinus affirmans, M. Aurelium in lucem editum *Auo suo Vero & Augure Coss.* Inter Consulatum itaque Veri & Auguris, quo natus est M. Aurelius, & Consulatum Bruttij & Quintilij, quo obijt, intercedunt anni 59. quod egregiè Chronotaxim nostram confirmat.
152. & 153.	181.	L. Aurel. Commodus Aug. III. Antistius Burrhus.	Commodi 1. & 2.	Eleutherij 4. & 5.	
153. & 154.	182.	Petronius Mamertinus, M. Vettius Trebellius Rufus.	Commodi 2. & 3.	Eleutherij 5. & 6.	
154. & 155.	183.	L. Aur. Commodus Aug. IV. M. Aufidius Victorinus II. *Norisius ex Grutero pag. 35.*	Commodi 3. & 4.	Eleutherij 6. & 7.	
155. & 156.	184.	L. Eggius Marullus, Cn. Papirius Ælianus. *ex duabus inscriptionibus recognitis à V. Cl. Fabretto.*	Commodi 4. & 5.	Eleutherij 7. & 8.	Oceo noue edit. *L. Eggius Marcellus. Cn. Papirius Allianus.*
156. & 157.	185.	Triarius Maternus, M. Atilius Metilius Bradua.	Commodi 5. & 6.	Eleutherij 8. & 9.	

Anni post mortem Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
157. & 158.	186.	L. Aur. Commodus Aug. V. MV. Acilius Glabrio II. *Norisius ex Grutero pag. 94.*	Commodi 6. & 7.	Eleutherij 9. & 10.	
158. & 159.	187.	Clodius Crispinus, Papirius Ælianus.	Commodi 7. & 8.	Eleutherij 10. & 11.	
159. & 160.	188.	C. Allius Fuscianus II. Dullius Silanus II. *ex Norisio Ep. Conf.*	Commodi 8. & 9.	Eleutherij 11. & 12.	
160. & 161.	189.	Duo Silani. *prænomina dubia.*	Commodi 9. & 10.	Eleutherij 12. & 13.	
161. & 162.	190.	L. Aur. Commodus Aug. VI. Petronius Septimianus.	* Commodi 10. & 11.	Eleutherij 13. & 14.	* Quamuis Eusebius tradat, Eleutherium obijsse anno 10. Commodi, notat tamen, regnante Ælio Victorem ei successisse, adeò vt sedes iuxta Eusebium duobus annis vacare debuerit. Notandum nihilominùs, quòd S. Prosper referat in Chronico, Victorem Commodo VII. & Pertinace Coss. Pontificatum adeptum esse, & omnes M. SS. Catalogi affirment, Eleutherum 15. annis sedisse. Quæ omninò Chronotaxim nostram stabiliunt.
162. & 163.	191.	Cassius Apronianus, Bradua. *ex Norisio Ep. Conf.*	Commodi 11. & 12.	Eleutherij 14. & 15.	
163. & 164.	192.	L. Aur. Cōmodus Aug. VII. P. Heluius Pertinax II.	Commodus occiditur vlt. die Decemb. succeditque	Eleutherius obit, eique succedit Victor.	De Commodo ait Lampridius, eum M. Aurelio patruo, & Lucio Vero Coss. natum esse. Refert quoquè Xiphilinus

Anni post mortem Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
164. & 165.	193.	Q. Sosius Falco, Iulius Erucius Clarus. *ex Norisio Pagius.*	Ælius Pertinax ab initio Iannarij, at occiditur nondum trimestris. Similiter Didius Iulianus post menses 2. & dies 5. cui succedit Septimius Seuerus.	Victoris 2.	linus, cum Cos. VII. vltimo die Septemb. fuisse interfectum, postquàm vixerat ann. 31. menses 4. Vndè Sex. Aurelius Victor: *Expirauit anno vitæ trigesimo secundo*; adeò vt 32. annos ab Aurelij & Lucij Veri Consulatu, qui in annum 161. æræ vulgaris incidit, vsque in Consulatum Commodi VII.
165. & 166.	194.	Seuerus Aug. II. D. Clodius Sept. Albinus Cæs. II.	Seueri 1. & 2.	Victoris 3.	qui cum anno 192. concurrit, intercessisse constet. Habet quoque Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, quòd à Vespasiano vsque ad mortem Commodi iuxta Barbarorum supputationem intercedant anni 121. menses 6. dies 24.
166. & 167.	195.	Scapula Tertullus, Tineius Clemens. *ex Grutero & Norisio.*	Seueri 2. & 3.	Victoris 4.	Obtinuit Imperium Vespasianus iuxta nos anno vulgari 69. Kal. Iulij. Mortuus autem est Commodus anno 192. vltimo Decembris, hoc est 120. annis, & mensibus 6. post Vespasianum, vt ante 1500. annos ex
167. & 168.	196.	Domitius Dexter II. L. Valerius Messalla Priscus.	Seueri 3. & 4.	Victoris 5.	Barbarorum historijs tradidit Clemens Alexandrinus. Quæ omnia cum Chronotaxi nostra conueniunt, eamque mirum in modum comprobant.
168. & 169.	197.	Ap. Claudius Lateranus. M. Marius Titius Rufinus.	Seueri 4. & 5.	Victoris 6.	
169. & 170.	198.	Ti. Aterius Saturninus, C. Annius Trebonius Gallus.	Seueri 5. & 6.	Victoris 7.	

Anni post mortem Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
170. & 171.	199.	P. Corn. Anulinus, M. Aufidius Fronto. *inscrip. apud Sponium pag. 271. & alia apud Gruter. pag. 369.*	Seueri 6. & 7.	Victoris 8.	
171. & 172.	200.	Ti. Claudius Seuerus, C. Aufidius Victorinus.	Seueri 7. & 8.	Victoris 9.	
172. & 173.	201.	L. Annius Fabianus, M. Nonius Mucianus.	Seueri 8. & 9.	Victoris 10.	D. Hieronymus lib. de Scriptoribus habet de Victore: *Rexit Ecclesiam sub Seuero Principe annis* 20. Totidem annos ei tribuit Eusebius in Chronico, quocum sentiunt auctores Catalogorum, quorum alter sæculo 6. alter sub Carolo Magno, & tertius tempore Ioannis 8. scripserunt.
173. & 174.	202.	Seuerus Aug. III. M. Aurel. Antoninus Aug.	Seueri 9. & 10.	Victori succedit Zephyrinus.	
174. & 175.	203.	P. Septimius Geta Cæsar, L. Septimius Plautianus II.	Seueri 10. & 11.	Zephyrini 2.	
175. & 176.	204.	L. Fabius Cilo II. M. Annius Libo.	Seueri 11. & 12.	Zephyrini 3.	Zosimus non procul ab initio lib. 2. historiarum: *A Consulatu Chilonis & Libonis, quo Seuerus ludos sæculares exhibuit, vsque ad Diocletiani IX. & Maximiani VIII. Consulatum, centum & vnus annus elapsi fuerunt.* Quo testimonio præclarè firmatur nostra Chronologia, & manifestum est, corrigendas esse chronologias Em. Card. Baronij, qui duos Consulatus, & Onuphrij, qui vnum omittunt, duosque vel vnum annum in computandis Imperatorum annis, & cum æra vulgari componendis aberrant.
176. & 177.	205.	M. Aur. Antoninus Aug. II. P. Septimius Geta Cæsar II.	Seueri 12. & 13.	Zephyrini 4.	
177. & 178.	206.	M. Nummius Annius Albinus, Fuluius Æmilianus.	Seueri 13. & 14.	Zephyrini 5.	

Anni post mortem Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
178. & 179.	107.	M. Flauius Aper, Q. Allius Maximus.	Seueri 14. & 15.	Zephyrini 6.	
179. & 180.	208.	M. Aurelius Antoninus Aug. III. P. Sept. Geta Cæs. II.	Seueri 15. & 16.	Zephyrini 7.	
180. & 181.	209.	Claudius Pompeianus, Auitus.	Seueri 16. & 17.	Zephyrini 8.	
181. & 181.	210.	MV. Acilius Faustinus, Triarius Rufinus. *ex Grutero pag.* 300.	Seueri 17. & 18.	Zephyrini 9.	
182. & 183.	211.	Q. Elpidius Rufus Lollianus Gentianus, Pomponius Bassus,	Seuerus moritur 4. Feb. eique succedunt M. Aurelius Antoninus Caracalla, & Geta eius filij. Geta occiditur à fratre 26. Feb.	Zephyrini 10.	
183. & 184.	211.	Duo Aspri. *De prænominibus sub indice lis est.*	Caracallæ 2.	Zephyrini 11.	
184. & 185.	213.	Imp. Antoninus Aug. IV. D. Cœlius Balbinus II. *ex Grutero pag.* 44. *num.* 2. *& Norisio Ep. Consf.*	Caracallæ 3.	Zephyrini 12.	

Anni post mortem Christi.	Annij æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
185. & 186.	214.	Silius Messalla, Q. Aquillius Sabinus.	Caracallæ 4.	Zepherini 13.	
186. & 187.	215.	Æmilius Lætus II. Anicius Cerealis.	Caracallæ 5.	Zephyrini 14.	
187. & 188.	216.	C. Atius Sabinus II. Cornelius Anullinus. *Norisius ex inscriptione apud Sponium in Itinerario.*	Caracallæ 6.	Zephirini 15.	
188. & 189.	217.	C. Bruttius Præsens, T. Messius Extricatus. *ex Norisio Ep. Cons.*	Caracalla occiditur 8. Aprilis, eique succedit Macrinus.	Zephyrini 16.	
189. & 190.	218.	Imp. Marcus Opelius Macrinus Augustus, cuius è fastis erasi loco semet substituit Imp. M. Aurelius Antoninus Augustus, ... Aduentus *ita Norisius.*	Macrinus occiditur, & M. Aurelius Antoninus Heliogabalus, qui alijs Alagabalus, ei succedit.	Zephyrino succedit Callistus.	Zephyrino annos septemdecim tribuit Eusebius in Chronico iuxta multorum M.SS. fidem. Vnde idem scriptor anno 1. Heliogabali ponit Pontificatum Callisti, qui Zephyrino successit. Cõcinit S. Prosper, qui Callistum Antonino & Aduento Coss. collocat: quod ipsum habet antiquior Catalogus.
190. & 191.	219.	M. Aurel. Antoninus Aug. II. Sacerdos II.	Heliogabali 1. & 2.	Callisti 2.	
191. & 192.	220.	M. Aur. Antoninus Aug. III. Eutychianus Comazon II.	Heliogabali 2. & 3.	Callisti 3.	

Anni post mortem Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
192. & 193.	221.	Annius Gratus, Claudius Seleucus.	Heliogabali 3. & 4.	Callisti 4.	Africanus in fragmento apud Syncellum pag. 324. *A resurrectione Christi ad Olympiadem 250. anni 192. intercurrunt*. Hæc autem
193. & 194.	222.	M. Aur. Antoninus Aug. IV. M. Aur. Seuerus Alexander Cæsar.	Heliogabalus occiditur *6.* aut 10. Martij, eique succedit Alexander.	Callisti 5.	Olympias 250. teste Syncello, incidit in Consulatum Grati & Seleuci. Quod omninò consonum est nostræ Chronotaxi, quæ à morte Christi ad hunc Consulatum 192. annos computat.
194. & 195.	223.	L. Marius Maximus II. L. Roscius Ælianus. *ex tabula ænea Norisius Ep. Cons.*	Alexandri 1. & 2.	Callisto succedit Vrbanus.	Eusebius tradit, Callistum sedisse annis 5. quot ei tribuunt duo antiquiores Catalogi; quibus consentit Beda in Martyrologio, ad 2. Id. Octobris, vbi Callistum ad Alexandri Imperatoris tempora peruenisse, supponit.
195. & 196.	224.	Claudius Iulianus II. Crispinus.	Alexandri 2. & 3.	Vrbani 2.	
196. & 197.	225.	L. Fuscus II. Dexter. *ex inscript. Gruteri.*	Alexandri 3. & 4.	Vrbani 3.	
197. & 198.	226.	Seu. Alexander Aug. II. C. Quinctilius Marcellus.	Alexandri 4. & 5.	Vrbani 4.	
198. & 199.	227.	M. Nummius Albinus, Maximus. *Noris. & Pag.*	Alexandri 5. & 6.	Vrbani 5.	
199. & 200.	228.	Ti. Manilius Modestus, Sergius Calpurnius Probus. *ex Noris. & Pag.*	Alexandri 6. & 7.	Vrbani 6.	

Anni post mortem Christi	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
200. & 201.	229.	Seu. Alexander Aug. III. Cassius Dio II. qui & Historicus.	Alexandri 7. & 8.	Vrbani 7.	
201. & 202.	230.	L. Virius Agricola, C. Catius Clementinus. *ex Grutero pag. 300. Norisius Epist. Cons.*	Alexandri 8. & 9.	Vrbani 8.	
202. & 203.	231.	Claudius Pompeiauns, Felicianus.	Alexandri 9. & 10.	Vrbani vltimus, cui successit Pontianus.	Vrbanum nouem annis rexisse Ecclesiam, habent Eusebius, & S. Prosper in Chronicis. Annos VIII. menses XI. & dies XII. ei tribuunt auctores Catalogorum tempore Liberij & sæculo 6. concinnatorum, quos secutus est auctor libri Pontificalis, & conueniunt Acta S. Vrbani in M.S. codice Vaticano 1191. his verbis. *Et cessauit Episcopatus eius dies 30. cum gubernasset Ecclesiam annos VIII. menses XI. dies XII.*
203. & 204.	232.	Iulius Lupus, Maximus.	Alexandri 10. & 11.	Pontiani 1.	
204. & 205.	233.	Maximus, Ouinius Paternus. *Prior sine nota numerali in omnibus fermè fastis.*	Alexandri 11. & 12.	Pontiani 2.	
205. & 206.	234.	Maximus II. C. Cælius Vrbanus. *Pagius ex fastis.*	Alexandri 12. & 13.	Pontiani 3.	S. Hyppolitus Portuensis Episcop. in Chronotaxi, quæ sine auctoris nomine edita est a Canisio in antiquis lectionibus: *A Passione Christi vsque ad hunc annum, qui est 13. Alexandri, anni 206.* quo testimonio pro confirmanda nostra Chronologia nullum luculentius adferri potest.
206. & 207.	235.	Seuerus, Quinctianus. *de prænominibus dubitant eruditi.*	Alexander occiditur 15. aut 18. Martij, cui à militibus substituitur Iulius Maximinus.	Pontiani 4.	
207. & 208.	236.	C. Iulius Maximinus Aug. C. Iulius Africanus.	Maximini 1. & 2. M. Anton. Gordianus, & eius filius Romæ proclamari Imperatores 27. Maij. Mortuo	Pontiani vltimus, cui successit Antherus.	Eusebius, & S. Prosper in Chronicis, ac auctor antiquioris Catalogi tribuunt Pontiano annos 5.

Gor-

Anni post mortem Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
			Gordiani filio declarantur Augusti Pupienus & Balbinus.		
208. & 209.	237.	P. Titius Perpetuus, L. Oninius Rusticus Cornelianus.	Maximinus occiditur mense Octob. & anteà Gordianus circa mensem Maij seipsum interimit, & 2. Aprilis fit Imperator Gordianus Iunior.	Anthero post vnum mensem Pontificatus succedit Fabianus.	S. Prosper *Consulatu Perpetui & Corneliani*, ac Eusebius ad *annum I. Gordiani* habent, quòd Antherus præfuerit *mense vno*, & post eum *Fabianus annis* 13. Vno mense & decem diebus rexisse Ecclesiam, habet, in Anthero antiquior Catalogus, cui fauent Acta S. Pontij Senatoris Romani, in quibus legitur: *Post Pontianum Antherus præfuit Ecclesiæ mense non amplius vno*. Vnde corrigendi Catalogi, qui XI. aut XII. annos ei tribuunt.
209. & 210.	238.	M. Vlpius Crinitus, Proculus Pontianus. *Primum Consulem Pium vocat Pagius, sed vide in margine Censorinum.*	Gordiani 1. & 2.	Fabiani 2.	Censorinus hoc anno scribens librum suum de die natali, refert cap. 13. *Hic annus (cuius velut index & titulus quidam est Vlpij & Pontiani Consulatus) ab Olympiade prima millesimus est & decimusquartus, ex diebus dumtaxat æstiuis, quibus agon Olympicus celebratur; à Roma autem condita 991. & quidem ex Parilibus, vnde Vrbis anni numerantur: eorum verò annorum, quibus Iulianis nomen est, 283. sed ex die Kal. Ian. vnde Iulius Cæsar anni à se constituti fecit principium. At eorum, qui vocantur anni Augustani 265. perinde Kal. Ianuarij, quamuis & ante diem XVI. Kal. Febr. Iu. Cæsar D. F. Imperator Augustus sententia Munatij Planci à Senatu cæterisque ciuibus appellatus est se VII. & M. Vipsanio Agrippa III. Coss.* Hic Consulatus incidit in annum ante æram vulgarem 27. à quo vsque ad
210. & 211.	239.	Gordianus Augustus, MV. Acilius Auiola.	Gordiani 2. & 3.	Fabiani 3.	
211. & 212.	240.	Vettius Sabinus II. Venustus.	Gordiani 3. & 4.	Fabiani 4.	
212. & 213.	241.	Gordianus Aug. II. M. Aurelius Claudius Pompeianus. *ex Capitolino cap. 23.*	Gordiani 4. & 5.	Fabiani 5.	

Anni post mortem Christi.	Anni æræ vulg.	Consules iuxta Onuphrij fastos ab alijs correctos.	Imperatores.	Pontifices Rom.	Obseruatu digna.
213. & 214.	242.	C. Aufidius Atticus, C. Asinius Prætextatus.	Gordiani 5. & 6.	Fabiani 6.	Consulatum Vlpij Criniti & Pontiani sunt anni 265. Item annus Vrbis Conditæ 991. concurrit cum anno æræ vulgaris 238. vt statim in Philippo videbimus, vnde Chronotaxis nostra duplici testimonio Censorini scriptoris exactissimi comprobatur.
214. & 215.	243.	C. Iulius Arrianus, Æmilius Papus.	Gordiani 6. & 7.	Fabiani 7.	
215. & 216.	244.	Peregrinus, Fuluius Æmilianus.	Gordianus occiditur 1. Martij, eique succedit Philippus.	Fabiani 8.	
216. & 217.	245.	M. Iulius Philippus Aug. Ti. Fabius Titianus.	Philippi 1. & 2.	Fabiani 9.	
217. & 218.	246.	Bruttius Præsens, Nummius Albinus.	Philippi 2. & 3.	Fabiani 10.	
PLVRES quidem nostra, & parentum nostrorũ memoria Romanorum Pontificũ vitas conscripserunt: sed ex antiquioribus pauci reperiuntur, qui in hac parte historica operam, industriamque suam collocarunt. Sunt tamen nonnulli, qui in operibus, & Chronicis suis aut successionem Pontificum, aut annos & menses Pontificatuum assignarunt, quorum cum hic Catalogos referre debeamus, placuit in primis de auctoribus ipsis nonnulla præmittere, & quandonam, & qua exactitudine singuli scripserunt, breuiter inuestigare. Ac primò quidem agendum est de Sanctis Patribus, illisque auctoribus, qui Romanorum Pontificum successionem annotarunt. Horum antiquissimus est D. Irenæus Lugdunensis in Gallia Episcopus, qui lib. 3. cap. 3. Romanorum Pontificum Catalogum texuit, his verbis illi finem imponens: *Nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius*. Vixit Eleutherius ante medium secundi sæculi, quo omnibus de successione Romanorum Pontificum in Vrbe constare debebat: nondum enim à morte Petri octoginta quinque anni effluxerant. Cum itaque Irenæus sub Eleutherij Pontificatu Romæ fuerit, & Romanorum Pontificum Catalogum texuerit; eius hac de re testimonium non contemnendum, sed vt præstantissimum antiquitatis monimentum magni faciendum videtur. Irenæo autem subiungimus duos Africanorum Patrum Catalogos, quorum alterum S. Optatus Mileuitanus Episcopus sub Siricio, alterum D. Augustinus sub Anastasio Siricij successore ediderunt. Patres verò illi D. Irenæi sententiam secuti Cletum omittunt, & solum Anacletum agnoscunt, vt latiùs infra ex eorum Catalogis constabit.

2. Porrò cum superiorum Patrum Catalogi solùm ad Anastasij Pontificatum pertingant, nosque seriem chronologicã vsq; ad Ioannem III. qui Iustiniano superstes fuit, prosequi debeamus; horum Patrum Catalogum supplebimus ex Chronico Victoris, qui Tununensis in Africa Episcopus fuit, & teste Isidoro libro 1. Originum, capite vltimo, *gesta sequentium ætatum vsque ad Consulatum Iustini Iunioris Imperatoris expleuit*. Habet quoquè Isidorus libro de Viris illustribus, cap. 38. de eodem Victore

Tu-

Tununensi, cum cœpisse suam historiam à mundi principio; ita enim ibidem refert: *Victor Tununensis Ecclesiæ Africanæ Episcopus. Hic à principio mundi vsque ad primum Iustini Iunioris Imperium, breuem per Consules annuos bellicarum, Ecclesiasticarumque rerum nobilissimam promulgauit historiam, laude, & notatione illustrem, ac memoria dignissimam. Hic pro defensione trium Capitulorum à Iustiniano Augusto exilio in Aegyptum transportatur. Inde rursus Constantinopolim vocatus, dum Iustiniano Imperatori, & Eutychio Constantinopolitanæ Vrbis Episcopo obtrectatoribus eorundem trium Capitulorum resisteret, rursus in monasterio eiusdem Ciuitatis custodiendus mittitur, atque in eadem damnatione, vt dicunt, permanens moritur.* Præclarum est hoc Isidori de Victore Tununensi testimonium, ex quo non solùm constat de Chronico, sed etiam de persona, & actis Victoris, qui trium Capitulorum defensor existens nonnulla pro partium studio historiæ suæ inseruisse creditur. Edidit Chronicon ipsius in Thesauro temporum Iosephus Scaliger, apud quem his verbis incipit: *Anno decimo octauo, Consulatu Theodosij Iunioris Victor Episcopus Tununensis Ecclesiæ Africæ historiam prosequitur, vbi Prosper reliquit.* Quæ verba non sunt Victoris Tununensis, sed alterius scriptoris, qui Eusebij, Hieronymi, Prosperi, & Victoris Chronica in vnum opus collegit, & quæ antiquioris scriptoris Chronico deerant, ex posterioris historia, aut Chronico adiunxit. Finit verò Chronicon suum his verbis: *Colliguntur omnes anni ab Adamo primo homine vsque ad natiuitatem Domini nostri IESV Christi secundum carnem, quæ facta est VMCXCIX. à natiuitate verò Domini nostri IESV Christi, quæ facta est XLIII. Augusti Octauiani Cæsaris Imperij anno, vsque in annum Iustini primum Principis Rom. qui Iustiniano in Imperio successit, anni DXXVII. Fiunt simul ab Adã vsque in annum primum memorati Principis Romanorum, anni VMDCCXXVI.* In quibus verbis certum est, errorem deprehendi circa annos, qui à natiuitate Christi vsque ad Principatum Iustini intercessisse dicuntur: ab anno enim 43. Augusti Imperatoris, quo Christi natiuitas à Victore ponitur, vsque ad primum annum Iustini quingenti sexaginta septem anni intercesserunt, non autem anni dumtaxat quingenti viginti septem; vt habetur in verbis suprà citatis. Hunc autem errorem vitio tabellariorum irrepsisse putarem, numero L. in X. mutato. Quamuis enim vltimus annorum numerus ab Adam vsque in primum Iustini annum apud Victorem adiunctus, supra-

 di-

dictum errorem Victori tribui debere innuat; id tamen non magnoperè curandum videtur, cum primo numero semel corrupto, posterior à tabellarijs ad priorem accommodatus videatur. Quòd autem vitio tabellariorum, non verò Victoris Tununensis hic error in Chronicon irrepserit, ex vltimis duobus numeris XVII. & XVI. manifestum fit. Hi enim numeri omninò respondent veræ Chronotaxi, quæ ab anno 43. Augusti, vsque ad annum primum Iustini annos DLXVII. computat; & si anno mundi VMCXCIX. quo Christus secundum Victorem natus est, quingenti sexaginta septem anni adiungantur, habebitur annus mundi VMDCCLXVI. qui debet esse primus Iustini iuxta computum Victoris. Atque hæc quidem de errore, qui irrepsit in Chronicon Victoris, quod desinit primo anno Iustini, quo etiam finis impositus est Fastis Consularibus, ac Iustinianus Imperator mortalitatem expleuit; vnde & eodem anno nos quoquè finem rebus chronologicis ad antiquitatẽ spectantibus imponemus.

3. Priori Chronotaxi à Petro vsque ad Pelagium I. deductę adijcimus secundam, quam Eusebius Cæsareensis in Palæstina Episcopus Græco sermone conscripsit, & D. Hieronymus, alijque prosecuti sunt. Ac primum quidem locum, vt iam indicaui, inter illos obtinet Eusebius, qui natus est tertio Christi sæculo; quo nondùm perierant complura Apostolicorum Virorum scripta, ex quibus de primis Pontificibus, eorumque Actis præclarè constabat. Ex ijs ab Eusebio Chronicorum Canonum omnimodam historiam scriptam fuisse, testis est D. Hieronymus, qui libro de Scriptoribus Ecclesiasticis fatetur, eam à se, & latinitate donatam, & varijs in locis auctam fuisse: *Sciendum enim est*, inquit in præfatione ad Chronicon Eusebij, *me & interpretis, & scriptoris ex parte officio vsum: quia & Græca fidelissimè expressi, & nonnulla, quæ mihi intermissa videbantur, adieci, in Romana maximè historia, quam Eusebius, huius conditor libri non tam ignorasse, vtpotè eruditissimus, quàm vt græcè scribens parum suis necessariam perstrinxisse mihi videtur. Itaque à Nino, & Abraham vsque ad Troiæ captiuitatem pura Gręca translatio est. A Troia vsque ad vicesimum Constantini annum nunc addita, nunc mixta sunt plurima, quæ de Tranquillo, & cæteris illustribus Historicis curiosissimè excerpsimus*. Vocat hoc opus planè mirandum Marcellinus Comes, aitque, non solùm Eusebium, sed & D. Hieronymum auctorem eius statui debere. Qua de re audienda sunt eius verba: *Post mirandum opus, quod à mundi fabrica vsque in Constantinum Principem*

pem

pene Eusebius Cæsareensis huius sæculi originem, tempora, annos, regna, virtutesque mortalium, & variarum artium repertores, omniumque penè prouinciarum monumenta commemorans græco edidit stylo, nosterque Hieronymus transtulit in Latinum, & vsque in Valentem Cæsarem Romano adiecit eloquio. Igitur vterque huius Operis auctor. Atque hæc quidem de præstantia Chronici Eusebiani, de qua plura alia addemus, postquam nonnulla notauerimus de Eusebij Historia, cui series quoquè Pontificum inserta reperitur. Extat in Archiuo Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe M. S. Codex antiquus, qui hunc titulum habet: *In Christi nomine incipit Historia Ecclesiastica, quam S. Hieronymus de Chronico Eusebij Cæsariensis Palestinæ de Græco transtulit in Latinum ad Chromatium Episcopum.* Verùm, vt quidam huius libri possessor in margine notauit, versio non est D. Hieronymi, sed Rufini Aquileiensis presbyteri, qui eam iussu Chromatij Aquileiensis Episcopi fecit, vt ex præfatione patet, & eandem historiam prosecutus est, vt post librum 9. in quo Eusebius desinit, in codice M. S. additur: *Hucusque Eusebius rerum in Ecclesia gestarum memoriam tradidit. Cætera verò, quæ vsque ad præsens tempus per ordinem subsequuta sunt, quæ vel in maiorum literis reperimus, vel nostra memoria adsciuit, Patris religiosi præceptis & in hoc parentes, qua poterimus breuitate, addemus.* Hæc Rufinus, qui duos libros adiecit, & vsque ad Theodosij senioris obitum historiam Ecclesiasticam perduxit. Atque hæc de historia Eusebij: redeamus iam ad eius Chronicon.

4. Extant Eusebiani Chronici editiones quamplurimæ, in quibus annotantur anni Christi, quos certum est, nec ab Eusebio positos, nec à D. Hieronymo additos, quandoquidem hic modus numerandi auctore Dionysio Exiguo primùm introductus sit post sæculum quintum, tempore Iustiniani Imperatoris: vnde & in manuscripto codice Amandino nusquam anni Christi notantur. Exhibentur tamen in M. SS. codicibus anni Imperatorum, quibus adeò certum est acta annotata fuisse ab antiquis, vt ipse Eusebius in historia Ecclesiastica passim per annos Imperatorum assignet Romanorum Pontificum tempora, & illustriora sub ipsis in Ecclesia gesta. Hinc & Eusebij Chronicon per annos Imperatorum exhibituri, certam iuxta sententiam Eusebij Romanorum Pontificum epocham figeremus, si certum, & fidele Eusebiani Chronici exemplar nancisci potuissemus. Verùm cum manuscripta, quæ Romæ vidimus, recentiora sint, & antiquiora alibi seruata etiam varient in notandis

Imperatorum annis, idemque obſeruet Aubertus Miræus de M. SS. Codicibus Aquicintinis, Ortelianis, & Lipſianis: quin etiam cum editio Arnaldi Pontaci Vazatenſis Epiſcopi ex pluribus M. SS. exemplaribus elucubrata, à Scaligeri editione plurimùm differat; patet profectò, vacillare codicum, & editionum authoritatem, nihilque certi ex ijs haberi poſſe. Docet id editio ipſius Miræi, quæ habet, regnante Aelio Pertinace Victorem ſuſcepiſſe Epiſcopatum, vbi ipſe Euſebius libro 5. hiſtoriæ, capite 20. tradit, Eleutherium obijſſe decimo anno Commodi Imperatoris, tribus annis antequàm Aelius Pertinax ad Imperium peruenit, & tunc quoquè Eleutherio ſucceſſiſſe Victorem. Habet plura ſimilia Chronicon Euſebij, quæ pugnant cum ijs, quæ traduntur in ipſius hiſtoria; quin etiam alia, quæ correctione indigent, vt ea, quæ refert de Marcellino, & Marcello, quorum temporibus floruit, quos tamen pro vno eodemque Pontifice inſigni errore habuit. Finit ſubindè Pontificatum Melchiadis anno 3. Conſtantini, cum conſtet anno 7. aut 8. Conſtantini ſub Melchiade celebratum fuiſſe Romanum in cauſa Donati Concilium. Ponit denique Nicænum Concilium ad annum 15. Imperatoris Conſtantini, quod 20. eius Imperij anno celebratum fuiſſe, non ſolùm patet ex alijs, ſed ex ipſo quoquè Euſebio lib. 3. de vita Conſtantini, cap. 14. Adeò vt ex his omnibus appareat, Chronicon Euſebij valdè corruptum ad manus noſtras perueniſſe, neque ab ipſo quidem Hieronymo, qui plura de ſuo addidit, fuiſſe plenè ab erroribus purgatum, aut veritati ſuæ vbique reſtitutum.

5. Enimuerò quæ modo extant in Bibliotheeis manuſcripta Chronica Euſebij, ferè omnia Latina ſunt ex verſione D. Hieronymi, qui illud ab anno vigeſimo Conſtantini, in quo Euſebij Chronicon deſinit, vſque ad Conſulatū Valentis VI. & Valentiniani II. Auguſtorum proſecutus eſt. Sunt, qui putant, D. Hieronymum Euſebiani Chronici ſupplementum ſcripſiſſe in iuuenili ætate, adeòque illud tantæ auctoritatis cenſendum non eſſe. Opinionem ſuam confirmare poſſunt ijs rationibus, quibus Baronius ad annum 420. permotus Hieronymum 78. ætatis anno obijſſe tradidit. Cum enim conſtet inter omnes, D. Hieronymum circa annum 420. obijſſe, & ipſe Hieronymus Chronico ſuo finem impoſuerit anno Valentis 14. qui cum anno 377. concurrit, conſequeretur omninò, Hieronymum circa annum 35. ætatis Chronicon abſoluiſſe. Verùm prætérquàm quòd trigeſimus quintus annus vitæ dici non poſſit iuuenilis ætatis, notant alij, haud adeò certum eſſe, quod Baronius probandum ſuſcepit, Hieronymum

ſci-

scilicet 78. ætatis anno obijsse. Quinimò id reijcit communis recentiorum sententia ob tres potissimùm rationes, quarum prima ex verbis ipsius Hieronymi desumitur, vtpotè ex quibus habemus, Hieronymum non semel se senem, Augustinum verò iuniorem vocasse. Cum enim constet, S. Augustinum anno 430. vulgaris æræ, ætatis verò suæ septuagesimo sexto Hipponæ in Africa obijsse, si D. Hieronymus anno 420. & ætatis suæ septuagesimo octauo mortalitatem expleuisset, tantùm duodecim annis natu maior Augustino fuisset Hieronymus, ob quorum annorum differentiam idem Hieronymus numquam se senem, Augustinum verò iuuenem dixisset. Secunda ratio desumitur ex testimonio S. Prosperi D. Augustini discipuli, qui in Chronico suo annotat tempus natiuitatis & obitus D. Hieronymi. Ita enim habet iuxta codicem Lodonensem apud Pontacum: *Basso & Ablauio Consulibus, Hieronymus nascitur*. Et in omnibus manuscriptis, & editis: *Hieronymus presbyter moritur anno ætatis 91. pridie Kal. Octobris Theodosio 9. & Constantio 3. Consulibus*. Theodosius, & Constantius prædictum Consulatum gesserunt anno 420. Bassus verò & Ablauius anno 331. Ab anno autem 331. vsque ad annum 420. plusquàm 78. anni reperiuntur, cum 90. anni intercedant: adeò vt S. Prosper veritati proximè accesserit, dū Hieronymū anno ætatis 91. obijsse tradidit. Et hisce planè conueniunt, quæ apud Marcellinum Comitem leguntur, *Hieronymum admodùm senem vitæ suæ finem fecisse*: & quę apud S. Augustinum lib. 1. contra Iulianum, cap. 7. *vsque ad decrepitam ætatem peruenisse*. Hæc enim cum de homine 78. annorum vix dici possint, & viro 90. annorū meliùs conueniant; sequeretur omninò D. Hieronymum eo tempore, quo Chronicon absoluit, annum ætatis 47. egisse. Vnde illud numquam pro iuuenilis ætatis opere habuerunt antiqui, sed vt eximium Hieronymi opus in pretio habuerunt. Cum Idatius in præfatione sui Chronici, nonnulla dixisset de Chronico Eusebij: *Post hunc*, inquit, *successor syngrapheus perfectus vniuersis factorum, dictorumque monimentis Hieronymus presbyter idem Eusebius cognomento, de græco in latinum scripturæ huius interpres à 20. anno supradicti Imperatoris in 14. Valentis Augusti annum subditam texit historiam*. Ita Idatius Prouinciæ Gallæciæ Episcopus, qui se in iuuenili ætate Hieronymum in partibus Orientis vidisse testatur. Notandum autem est verbum illud *perfectus*, siquidem illo vtitur, vt significet, Chronicon D. Hieronymi maximi faciendum esse ob operis perfectionem, adeòque contemni non debere tamquam imperfectum, aut inconsideratè editum.

6. Se-

6. Sequitur Chronicon Prosperi fidelissimi quondam magni Augustini discipuli, cuius supplementum post Chronicon Eusebij, & D. Hieronymi, sæpiùs typis prodijt. Vndè plerique credebant, S. Prosperum nihil amplius quàm Eusebiani, & Hieronymiani Chronici supplementum conscripsisse. In quo eos grauiter errasse, notat Labbeus Tomo 1. Nouæ Bibliothecæ manuscriptorum librorum in syllabo scriptorum his verbis: *Deceptos fuisse quamplurimos etiam eruditissimos, qui Prosperum arbitrati sunt Hieronymo dumtaxat Chronico appendicem attexuisse. Certum quippè est, multisque veterum testimonijs comprobatum, ab initio rerum ad sua vsq; tempora vno veluti filo, ac tenore chronicam epitomen perduxisse. Testatur id Victor Aquitanus in præfatione Canonis Paschalis ad Hilarum Vrbis Romæ Archidiaconum posteà Papam: cuius Eusebij tenorem vir venerabilis Prosper secutus ijsdem Chronicis hæc eadem egregia breuitate composuit, vt eorum initium à mundi inchoaretur exordio.* Addit testimonium Gennadij in Catalogo de viris illustribus: *Prosper homo Aquitanicæ regionis sermone scholasticus, & assertionibus neruosus, multa composuisse dicitur. Ex quibus ego Chronica nominis illius prætitulata legi, continentia à primi hominis conditione iuxta diuinarum Scripturarum fidem vsque ad obitum Valentiniani Augusti, & captiuitatem Vrbis Romæ à Genserico Vuandalorum Rege factum.* Edidit hoc S. Prosperi Chronicon Philippus Labbeus Tomo superiùs citato Parisijs anno 1657. & ex illo videre licet, S. Prosperum iuxta Eusebij, & Hieronymi fidem sua chronica ijsdem plerumque verbis exhibuisse, præterquamquòd Consules addiderit à morte Christi ad sua vsque tempora: *Consules*, inquit, *à manifestatione Domini, id est à Rufino Gemino, & Rubellio Gemino Consulibus, incboamus.* Et in Chronico: *Incipit adnotatio Consulum cum historia, Rufino Gemino & Rubellio Gemino Coss.* Et finit: *Valentiniano VIII. & Anthemio.* Habet & S. Prosper in hoc Chronico errores Eusebij circa Cletum & Anacletum, ac Marcellinum & Marcellum, ex quibus duos tantum Pontifices conflat. Facta quoquè Ecclesiastica certis Consulibus perperàm quandoque apposita retinuit, vti & lacunam manifestam post Soteris Episcopatum Aproniano & Paulo Consulibus adscriptam, deest enim Eleutherij Pontificatus, non quidem vitio auctoris omissus, sed temporis iniuria corrosus, vt insinuat ordo Romanorum Pontificum, quorum vndecimus ibi scriptus est Soter, Victor autem decimus tertius, nulla mentione duodecimi Pontificis facta. Atque

que hæc de Prosperi Chronico, ex quo integrum Romanorum Pontificum Catalogum exhibuimus in prima antiquitatis editione: hic verò, ne antiquorum scriptorum Chronotaxes multiplicemus, supplementum dumtaxat Pontificum tradituri sumus.

7. Prosperum prosecuti sunt alij scriptores, qui historiam Ecclesiasticam vsque ad sua tempora deduxerunt. Inter hos præcipuum locum obtinet Marcellinus Comes Illyricianus, de quo Cassiodorus senator libro diuinarum lectionum, cap. 17. scribit: *Hieronymum subsecutus est Marcellinus Illyricianus, qui adhuc Patricij Iustiniani fertur egisse cancellos, sed meliore dictione deuotus à tempore Theodosij Principis vsque ad fores Imperij Triumphalis Augusti Iustiniani, opus suum Domino iuuante perduxit.* Audiendus est de suo Chronico ipse Marcellinus, qui in præfatione, postquàm Eusebiani, & Hieronymi Chronici mentionem fecisset, de supplemento illi à se adiecto sic habet: *Ego verò simplici dumtaxat computatione Orientale tanquam secutus Imperium, Indictiones, perque Consules infrascriptos, centum & quinquaginta annos, à septima videlicet Indictione, & à Consulatu Ausonij, & Olybrij (quibus etiam Consulibus Theodosius Magnus creatus est Imperator) enumerans, & vsque in Consulatum Magni, Indictionis XI. colligens, eorundem auctorum Operi subrogaui, itemque alios 17. annos à Consulatu Iustini Augusti primo, vsque in Consulatum Iustiniani Augusti IV. suffeci, hi sunt simul anni* 156. Hactenus Marcellinus, qui Chronico suo omnes Pontifices Romanos, qui 156. annorum spatio sederunt, inseruit, & satis accuratè Pontificatus illorum annos adnotauit.

CAPVT SECVNDVM.

De antiquissimo Catalogo, qui in Liberio Papa desinit.

1. *Antiquissimus Romanorum Pontificum Catalogus tempore Liberij Papæ exaratus, Cuspiniano quondam notus, sed Onuphrio Panuinio incognitus, tandem typis descriptus est à Bucherio, at seruatur manuscriptus in Codice Bibliothecæ Cæsareæ.*

2. *Codex Bibliothecæ Cæsareæ non continet autographum sed apographum recentius à 300. annis scriptum.*

3. *Ex prædicto Codice variantes lectiones obtinui, quæ cum editione Bucherij conueniunt non cum editione Henschenij, quæ differentia tamen non obest antiquitati Operis, sed eam potius commendat.*

4. *Henschenij sententia, quòd prior Catalogi pars vsque ad Vrbanum ab Antbero Papa conscripta sit, secunda pars vsque ad Liberium adiecta fuerit à Sancto Damaso.*

5. *Papebrochius de primæ partis auctore cum Henschenio conuenit, secundæ partis quatuor auctores posuit.*

6. *Osten-*

6. Ostenditur, quòd Antherus Papa non sit auctor prioris partis Catalogi.

7. Comprobatur ex duobus erroribus in hoc Catalogo circa ordinem succedentium sibi Pontificum commissis: ponit enim Clementem ante Cletum, & Pium post Anicetum, cum constet Clementem Cleto, & Anicetum Pio successisse.

8. De secundæ partis auctoribus ostenditur, nequaquam ab auctore tertij sæculi Pontifices additos fuisse vsque ad Felicis Pontificatum, idque probatur ex erroribus Chronologicis, ad quos euitandos non iuuat recurrere ad Vicariatum, vt constat ex tempore, quo Stephanus Pontificatum tenuit.

9. Monstratur quoquè, sequentes post Felicem Pontifices non esse à tribus auctoribus diuersis adiunctos, sed ab vno, eodemque auctore.

10. Quòd tamen his non obstantibus auctor huius Catalogi antiquissimus sit, & circa Liberij Pontificatum vixerit, varijs rationibus comprobatur.

11. Idem admiserunt non solùm Catholici, sed etiam Hæretici, excepto Dodvvello, cuius sententia exploditur.

1. ANtiquissimus Romanorum Pontificum Catalogus, qui hodiè superest, ille quidem videtur, qui vsque ad Liberij Pontificatum peruenit, ex quo Cuspinianus Consules desumpsit, quos Commentario suo in Aurelij Cassiodori Fastos inseruit, vt ad finem huius capitis ex ipso commentario demonstrabimus. Eundem Catalogum habuit in antiquis membranis Nicolaus Fabricius Peirescî Dominus & Senator Aquensis, vti testatur Antonius Cappellus de Cœna & Passione Christi, cap. 5. & si Henschenio credamus, hunc eundem Catalogum habuit Onuphrius Panuinius, qui Commentario in librum 2. Fastorum incipit citare Damasum de Vitis Pontificum, à Consulatu Saturnini & Scipionis, sub quibus S. Linus in præfato Catalogo dicitur creatus fuisse Episcopus. Verùm errat vir eruditus. Extat enim in Bibliotheca Vaticana post Onuphrij Panuinij Fastorum librum, Index librorum & actorum M. SS. quæ Onuphrius Panuinius de Vitis Pontificum viderat, aut penès se habuerat, in quo Indice nullatenùs supradictus Catalogus comparet, sed solùm citantur *Pontificum Romanorum vitæ Damasi Papæ, Anastasij, & Gulielmi S. R. E. Bibliothecariorum, Pandulfi Pisani, & recentiorum auctorum:* à quibus Onuphrius putauit conscriptum fuisse librum Pontificalé, de quo infrà agemus. Onuphrius itaq; numquam vidit antiquissimum Catalogum, qui desinit in Liberio Papa, quemque nonnulli credebant deperditum fuisse, vsque dum Aegidius Bucherius illum in Commentario suo ad Canonem Paschalem edidit, notans autographũ penes se habuisse Cuspinianum. Quod idem testatur Lambecius libro 4. Commentariorum de Bibliotheca Cæsarea his verbis: *Eximius Codex M.S. quem Bucherius laudat, & desiderat, sed ferè tanquam perditum deplorat, superest etiamnum in augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi æquè integer, vt ipse Cuspinianus eo olim vsus est, obtinetque inter Codices manuscri-*

scriptos historicos latinos locũ 56.

2. Ex hisce Lambecij verbis dubium mihi ortum est, num autographum prædicti Catalogi in membranis antiquissimis tempore Liberij exaratis etiamnùm superesset in Bibliotheca Cæsarea. Magno proinde addiscendæ veritatis desiderio ductus scripsi ad V. Cl. Conradum Ianingũ pro compilandis Sanctorum Actis anno 1688. Bibliothecas Germaniæ visitantem, & iter Viennam vsque instituentem, vt inter Codices manuscriptos historicos Latinos quinquagesimum sextum peruolueret, nec modò vetustioris Catalogi varias lectiones excerperet, sed etiam characteris specimen, vt de ætate scripturæ iudicare possem, ad me transmitteret. Fecit vir ille pro sua humanitate, quod ab ipso petieram, literisque die 29. Iulij anno 1688. Viennæ ad me datis, non modò varias lectiones istius Codicis misit, sed significauit quoquè: *Ex ijs palàm fieri, neque hunc Catalogum Cæsareæ Bibliothecæ ex Catalogo Henschenij, neque Henschenij Catalogum ex Codice Bibliothecæ Cæsareæ descriptos esse, sed vtrumque ex alio, atque alio exemplo desumptum, idem aliquod antiquius prototypon mediatè habuisse, propter quosdam eosdem planè in vtroque defectus. Quod autem ad antiquitatem spectat, vt mihi verosimile videtur, ætatem primi eius authoris posse ad tempus Liberij Papæ referri, ita ausim affirmare, hoc exemplum Cæsareum annis, vt summum quingentis vetustius non esse: idque suadet (si non & persuadeat) adiunctum in eodem Codice opusculum, quod inscribitur Chronicon Polonorum, facitque mentionem Alexandri Papæ III. vt de notis posterorum temporum, quas inquirere alijs impedito non licet, taceam; adeoque illius ætatem excedere non potest. Iam verò hoc opusculum scriptura quidem diuersum à Catalogo est; charta tamen (neque enim membranaceus est codex hic, neque idem cum illo, de quo Bucherius noster apud Lambecium libro 4.) adeò simile, vt ne ouum ouo quidem magis esse possit; neque verò character ipse Catalogi antiquitatem maiorem indicat, si non & minorem. Addo tamen eius specimen &c.* Hæc ille, quem rectè iudicasse de ætate scripturæ, ex specimine ipso ad me transmisso conieci, vix enim 300. annorum ætatem superare posse iudicaui.

3. Cum itaque ex præfatis litteris constet, huius vetustioris Catalogi autographum deperditum esse, & non nisi recentiora transumpta reperiri, quæ multum inter se differre cognoscuntur; operæ prætium me facturum existimaui, si prædictum Catalogum infrà cum variantibus lectionibus ederem: vnde nil aliud hoc loco adiungam, quàm Catalogum, prout ab Henschenio in Actis Sanctorum, & à nobis in

Antiquitate illustratā editus fuit, longè integriorem esse eo, qui in Bibliotheca Cæsarea etiamnùm reperitur. In Codice enim Cæsareo desunt Pontifices Anicetus, Eleutherius, & Zephyrinus, qui in nostra editione extant: cum autem ijdem tres Pontifices etiam desiderentur in editione Bucherij, valdè verosimile mihi visum est, membranas, quas Bucherius penès se habuit, ex codice Cæsareo descriptas fuisse. In qua sententia vel maximè confirmatus fui, dum collatis lectionibus Codicis Cæsarei, easdem ferè omnes, duabus vel tribus exceptis, in editione Bucherij reperiri animaduerti. Alio itaque exemplari Bucherius, alio ante nos Henschenius vsus est. Quæ tamen nihil obstant huius Catalogi & germanitati, & antiquitati, cùm facilè contingere potuerit, sicut in cæteris antiquorum operibus frequenter contigit, librarios, & tabellarios non exactè descripsisse codices, sed cum multis mendis, & lacunis ad posteros transmisisse. Vndè affirmare audeo, menda & lacunas signum esse, quòd opera ab antiquis scriptoribus profecta sint. Quæ cum ita esse, passim ex manuscriptis codicibus doceamur, restat, vt de auctoribus huius Catalogi, & quibus temporibus scripserint, paucis inquiramus.

4. Putauit quidem Henschenius Tom. Primo Sanctorū Aprilis, huius Catalogi duas partes esse, singulásque à diuersis auctoribus conscriptas fuisse: *Prima*, inquit, *eius pars completur cum S. Vrbano Pontifice anno 230. martyrium passo. In hac priori parte nulli Consules bis repetuntur, quamuis sub ijsdem, sub quibus sedere inceperunt, quidam fuerint vita functi, aut martyrio coronati eorum decessores .... Auctor huius partis videtur posse statui Sanctus Antherus Papa, qui gesta Martyrum diligenter à Notarijs exquisiuit, & in Ecclesia recondidit. Sedit is solùm vno mense in suo Pontificatu, videturque gesta Martyrum, potissimùm Summorum Pontificum exquisiuisse necdum Pontifex sub Sancto Pontiano successore Sancti Vrbani; imò Acta Sanctorum Vrbani, & Calisti huius decessoris videri à Sancto Anthero scripta, dicemus 25. Maij, quo colitur S. Vrbanus, & 10. Maij, quò coluntur SS. Calepodius Presbyter, Palmatius Consul, Simplicius Senator, alijque Martyres, quorum res gestæ in Actis S. Calisti continentur. Secunda ergò pars inciperet à dicto Pontiano, & in hac passim maiora Pontificum elogia referuntur, ijdem Consules repetuntur dies, ordinationis, & mortis Pontificum assignantur. Et hæc pars ad finē ferè deducitur, vbi S. Iulij elogium præter morem aliorum habet accuratam Basilicarum ab eo extructarum narrationem, ex qua XII. Aprilis ad huius S. Iu-*

lij

ij vitam confirmamus huius Catalogi eminentem soliditatem. Successit S. Iulio Liberius, cuius tempore hunc veterem Indiculum Romanorum Pontificum contextum fuisse, asserit Dionysius Petauius libro 5. Rationarij temporum, cap. 5. qui eum penès se habuit. Post obitum Liberij constitutus est Pontifex Romanus S. Damasus, qui rogatus à S. Hieronymo gesta Pontificum, quæ potuit reperire in suæ Sedis studio, ad eum direxit. Quæ Damasi verba arbitramur intelligenda de iam indicato Catalogo vsque ad Liberium eius decessorem deducto. Epistolas vtriusque hac de re, & S. Hieronymi, & S. Damasi ex Codicibus MSS. præponimus. Idem S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 15. statuit, S. Clementem quartum post Petrum Romanum Pontificem, siquidem, inquit, secundus Linus fuit, & tertius Anacletus, etsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem. Vbi opinamur, nomine Latinorum indicari hunc Catalogum à S. Damaso missum ad S. Hieronymum, qui etiam lib. 1. aduersùs Iouinianum appellat Clementem successorem Apostoli Petri, & in cap. 52. Isaiæ scribens ait, eum post Petrum Romanam rexisse Ecclesiam, scilicet interposito ad modicum tempus S. Lino, cui successisse Clementem, tradunt Optatus Mileuitanus lib. 2. & Sanctus Augustinus epist. 165.

5. Hactenus Henschenius de antiquiore Catalogo, circa cuius sententiam nonnulla habuit V. C. Papebrochius, quæ corrigenda duxit. Duos enim Catalogi authores facit Henschenius, Antherum scilicet prioris, & Damasum posterioris partis, quam tamen posteriorem partem à quatuor diuersis compositam fuisse, credidit Papebrochius; vndè in Propylæo ad Acta Sanctorum Maij sequentia notauit: *Secunda ergo pars inciperet à dicto Pontiano, & in hac passim maiora Pontificũ elogia referuntur, ijdem Consules repetuntur, dies ordinationis & mortis Pontificum assignantur. Et hæc pars quatuor successiuè auctores videtur habuisse nonnulla styli diuersitate dignoscendos; quorum primus cũ Sancto Felice finiuerit, secundus tres huius successores adiecerit, Eutychianum, Caium, & Marcellinũ; tertius iunxerit Marcellum, & Eusebium; quartus à Melchiade vsque ad Liberij initia scriptionem continuauerit, floruerit autem sub huius decessore Iulio, in cuius elogio præter morem in prioribus elogijs seruatum, habetur accurata Basilicarum ab eo extructarum narratio.* Omitto cætera, quæ cum Henschenij sententia superiùs indicata coincidunt, adeò vt iuxta Papebrochium nihil corrigendum sit in eius verbis, quàm quòd loco duo-

rum antiquissimi Catalogi Auctorum, quinque omninò auctores substituendi sint. Circa quam correctionem an feliciùs processerit, quàm Henschenius, iam inquirendum est; omnia enim, quæ de primæ, & secundæ partis auctoribus à duobus his Viris Cll. dicta sunt, nullatenùs subsistere existimo.

6. Et vt de prioris partis auctore in primis agamus, dicitur auctor fuisse S. Antherus Papa, de quo Catalogus secundus, qui in Felice IV. desinit, sæculo sexto conscriptus: *Hic gesta Martyrum diligenter à Notarijs exquisiuit, & in Ecclesia recondidit*. Alius Romanorum Pontificum Catalogus tempore Caroli Magni exaratus, & in Bibliotheca Palatino-Vaticana asseruatus habet de Anthero: *Hic gesta Martyrum diligenter exquisiuit*. Liber Pontificalis, prout hodie extat, repetit verba Catalogi sexto sæculo contexti, ita vt constanti Catalogorum, & libri Pontificalis traditione constet, Antherum Papam gesta Martyrum diligenter à Notarijs exquisita, in Ecclesia condidisse. Sed quęso, quid hęc faciunt ad priorem partē Catalogi, in qua à Petro Apostolo vsque ad Pontianum sola Romanorum Pontificum nomina exhibentur, nullaque Actorum, aut Martyrij mentio reperitur; præterquàm in Petro, qui vnico verbo sub Nerone passus dicitur, & in Pontiano, qui in exilium missus perhibetur? Si hæc pars contineret illa, quorum antiqui Catalogi meminerunt, nonne gesta Pontificum, eorumque martyrij genus in illa annotata fuissent? Hæc enim sunt, quæ Antherus Papa à Notarijs diligenter conquisiisse, & in Ecclesia recondidisse fertur, non autem mera Romanorum Pontificum nomina cum Consulibus, quibus singuli cœperunt, & desierunt, vt in priori parte antiquioris Catalogi, de qua in præsenti agimus. Deindè notandum omninò est, *Antherum gesta Martyrum conquisiuisse*, non solum summorum Pontificum, sed aliorum quorumcumque fidelium, qui pro Christi fide in dies martyrium obibant, adeò vt gesta, quæ ipse in Ecclesia recondidit, potiùs Martyrologij, quàm Catalogi formam habuisse oportuerit. Subiungit verò auctor libri Pontificalis in Fabiano: *Fecit septem subdiaconos, qui septem Notarijs imminerent, vt gesta Martyrum in integrum colligerent*. Quo loquendi modo indicatur, cunctos Martyrum processus, tormenta, verba, & gesta à Notarijs iussu Fabiani diligenter quoquè annotata fuisse.

7. Vt autem clariùs constet, Antherum Papam non esse auctorem prioris Catalogi partis, refert Catalogi auctor Clementem ante Cletum contrà perpetuam Romanæ Ecclesiæ traditionem, quæ in antiquissimo Canone Missę iam inde à tertio, vel quar-

to sæculo memoriam fecit *Lini*, *Cleti*, *Clementis*, qui est ordo primorum Pontificum iuxta Romanam Ecclesiam. Fieri ergo non potest, quòd gesta Martyrum à Notarijs Romanis diligenter conscripta, & ab Anthero Papa in scrinijs Romanæ Ecclesiæ recondita, alium ordinem habuerint, & Clementem Cleto præposuerint. Neque ad huius Catalogi auctorem respexit D. Hieronymus, dum scripsit in Clemente, eum fuisse *ordine quartum, tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum fuisse putent*. Enimuerò per plerosque Latinorum non intellexit D. Hieronymus Romanam Ecclesiam, aut eius Pontifices, sed S. Optatum, nonnullosque scriptores Latinos, & forsan auctorem huius Catalogi, qui tempore Liberij vixit, & non Damasus, sed priuatus scriptor fuit; vndè D. Hieronymus ab huius auctoris, & S. Optati sententia discessit, & Clementem non secundum, sed quartum à Petro Pontificem fuisse statuit. Secundò ponit prior Catalogi pars Anicetum ante Pium, quod esse alterum Catalogi errorem, ostendunt istorum temporum scriptorum duo omni exceptione maiores, Irenæus nimirùm Lugdunensis in Gallia Episcopus, & Hegesippus Historicus, qui sub Aniceto, & Eleutherio Romam venerunt, & quorum testimonia ante 1350. annos in libris de Historia Ecclesiastica retulit Eusebius Cæsareensis in Palestina Episcopus. Sanè tam Irenæus, quàm Hegesippus tradunt, Anicetũ fuisse post Pium. Quod etiam tradidit cum communi Romanæ Ecclesiæ sententia D. Hieronymus, vt facilè colligi potest ex ijs, quæ Dissertatione II. de Romanis Põtificibus demonstrauimus. Tertiò ponit annos Pontificum, & Consules exordio, & fini Pontificatuum assignatos, sed adeò in plerisque locis sibi repugnantes, vt tempus annorum, & mensium aduersetur Consulibus, & Consulum tempora pauciores, pluresue annos, quàm à Catalogo exhibentur, designent. Vnum è pluribus adduxisse sufficiet. Habet de octauo Pontifice antiquior hic Catalogus: *Sixtus annis decem, mensibus tribus, diebus 21. Fuit temporibus Hadriani, à Consulatu Nigri, & Aproniani, vsque Vero III. & Ambibulo.* Anni numerantur decem, & menses tres, vbi Niger, & Apronianus Consules fuerunt æra vulgari 117. Verus autem III. & Ambibulus Consulatum obierunt æra 126. Ab anno autẽ 117. ad 126. non possunt numerari anni decẽ, & menses tres, sed tantùm anni nouem; ideòque & Godefridus Henschenius in sua Chronotaxi protulit Pontificatum Sixti ad annum 127. Quod & alibi factum videtur contra morem Catalogi, qui vltimos Consules exhibere consueuit, quibus occubuerunt Pontifices. Atque hæc, ni fallor, suf-

sufficiunt ad euincendum, priorem Catalogi partem ab Anthero Papa conscribi non potuisse.

8. Videamus iam de secunda parte, quam Henschenius ab vno auctore, nimirùm Damaso Papa, Papebrochius verò à quatuor diuersis auctoribus, qui ab Anthero vsque ad Damasi tempora scripserunt, exaratam fuisse putarunt. Vtque de primo horum quatuor agamus, credidit Papebrochius, eum cum S. Felice finijsse, cumque Felix Dionysij successor vixerit circa annum 272. eius partis auctorem ante sæculi tertij finem floruisse. Verùm si auctor tertij sæculi partem catalogi ab Anthero ad Felicem composuisset, perspectos proculdubiò habuisset sui temporis Pontificatus, & Consulatus, suisque Consulibus Pontifices assignasset: & tamen videmus, etiam in hac parte Catalogi, sæpiùs Consules vnius Pontificatus misceri cum Consulibus alterius Pontificatui assignatis. Vndè prouenit, quòd frequenter recurrendum sit ad Vicariatum, vt quo tempore prædecessor adhuc sedebat verus Pontifex, successori assignaretur Vicariatus, vt sic verificari posset, eum quodam modo fuisse Pontificem. Ita de vigesimo quarto Pontifice habet Catalogus: *Stephanus annos quatuor, menses duos, dies viginti vnum. Fuit temporibus Valeriani, & Gallieni à Consulatu Volusiani, & Maximini vsque Valeriano III. & Gallieno II.* Volusianus & Maximinus fuerunt Consules anno 253. quibus ponitur à Catalogo initium Pontificatus Lucij, vndè tunc S. Stephanum Lucij Vicarium fuisse, scribit Henschenius, qui Stephano tantùm tribuit menses quinque post mortem Lucij, ijsdem Consulibus Valeriano III. & Gallieno II. seu anno 255. assignatam in Catalogo. Sed quamuis hic locus communis de Vicariatu aptus esset ad supplendum multos Catalogi defectus, tamen in Pontificatu Stephani vix vlla ratione adhiberi posset, cùm ei non solùm duos, aut tres annos Pontificatus tribuant antiquiores, & moderni omnes, sed plures res ipsa postulet. Enimuerò S. Stephanum, vt verum Pontificem vltra quinque menses contra rebaptizantes egisse, testatur Cyprianus, dum hac in re eum auctoritate Pontificia tanquam *Episcoporum Episcopum* egisse insinuat. Idem significat Firmilianus agens de petra Ecclesiæ fundamentali, de qua Stephanum gloriari solitum, manifestè declarat. Adderem hic plura in huius rei confirmationem, nisi Papebrochius ipse in notis ad Stephani vitam, quas exhibet in Conatu Chronico-Historico confessus fuisset, hæc rectè à me notata fuisse, ipseque obseruasset, eiusdem Firmiliani epistolam datam esse, cum ferè vigesimus secundus annus esset à morte Alexandri Imperatoris, vt no-

notat Baronius in Annalibus: ea autem acciderit anno CCXXXV. Quare Firmiliani epistolam necesse est scriptam fuisse anno circiter CCLVII. quo tempore inter Stephanum, & Cyprianum Cartaginensem, Dionysium Alexandrinum, aliosque adhuc agitabatur controuersia de valore baptismi ab Hæreticis collato, adeòque anno CCLV. extinctus non fuerit Stephanus, vt Consules à Catalogo assignati indicabant. Hæc ferè Papebrochius, qui frustrà conatus est in notis supradictis tempus Stephani in antiquiori Catalogo ex Consulibus assignatum suæ æræ restituere.

9. Neque maiori fundamento nituntur ea, quæ de secundo, tertio, & quarto secundæ partis auctoribus notantur. Sine vllo namque teste, sine vllo scriptore, sine vllo antiquitatis monumento affirmatur, secundam Catalogi partem à tot auctoribus fuisse conscriptam, & gratis omninó statuitur, altero auctore Eutychianum, Caium, & Marcellinum; altero Marcellum, & Eusebium; altero demùm reliquos omnes à Melchiade vsque ad Liberium fuisse Catalogo adiectos. Vt enim à primo incipiamus; quid in Eutychiani, Caij, & Marcellini actis reperitur, quod non in alijs anterioribus Pontificibus legitur? De Eutychiano habet Catalogus: *Eutychianus annis octo, mensibus vndecim, diebus tribus. Fuit temporibus Aureliani III. & Marcellini vsque in diem VII. Idus Decembris, Caro II. & Carino Consulibus.* De Dionysio autem vno ex Eutychiani prædecessoribus: *Dionysius annis octo, mensibus duobus, diebus quatuor. Fuit temporibus Gallieni ex die XI. Kalendarum Augusti Aemiliano, & Basso Coss. vsque in diem septimum Kal. Ianuarij Coss. Claudio, & Paterno.* Quid quæso in his duobus Pontificibus est, quod diuersitatem auctorum indicet? Idem omninò est stylus, eadem methodus notandi tempus, quo vterque Pontifex sedit, adeò vt omnia verba vnum, eundemque, non plures auctores fuisse indicent. Idem planè de Marcello, & Eusebio dicendum, quos Papebrochius ab altero auctore adiectos credebat. De Marcello enim ita habet Catalogus: *Marcellus anno vno, mensibus septem, dies viginti. Fuit temporibus Maxentij à Consulatu ..... X. & Maximiani VII. vsque post Consulatum X. & VII.* Et de Eusebio: *Eusebius menses IV. dies XVI. à XIV. Kal. Maias vsque in diem XVI. Kalendas Septembris.* In quibus nihil omninò quoad stylum, scribendi methodum, & temporis notas diuersum est, solùmque in Eusebio desideratur Consulatus: quod tamen mirū videri non debet, cùm non pluribus annis, & sub diuersis Consulibus, sed paucis dumtaxat mensibus, eodem

an-

anno ſederit; huic autem anno Conſulatum addere auctor omiſerit, quia in Melchiade Euſebij ſucceſſore Conſulatus illius anni allegandus erat. Ita enim Catalogus: *Miltiades annis tribus, menſibus ſex, diebus nouem, ex die 6. Nonas Iulias à Conſulatu Maximiano VIII. ſolo, quod fuit menſe Septembri, Voluſiano & Rufino, vſque in III. Idus Ianuarij Voluſiano, & Aniano Coſſ.* Maximianus ſolus Conſul fuit anno, quo perijt: tumque ſuffecti ſunt Voluſianus, & Rufinus, adeò vt omnes hi Conſules in annum incidant, quo ab Auctore Catalogi ſuperiùs aſſignata fuit mors Marcelli. Vndè manifeſtè colligitur, in Pontificatu Marcelli ab auctore Catalogi ſtudio omiſſa fuiſſe Conſulum nomina, ne ea repeterentur in Melchiade. Quod certè numquam factum eſſet, ſi Marcelli tempus à tertio, Melchiadis à quarto auctore, vt V.C. Papebrochius credebat, huic Catalogo inſerta fuiſſent. Ab vno itaque, & eodem auctore ſecunda pars Catalogi conſcripta fuit, vt ſuprà indicauimus, tantumque abeſt, ex Catalogo colligi poſſe, eundem à diuerſis auctoribus contextum fuiſſe, vt potiùs ex perpetuo temporum nexu colligatur, ab vno eodemque auctore confectum fuiſſe. Niſi quis dicere velit, auctorem huius Catalogi, annos, menſes, & dies ex aliquo anteriori monumento deſumpſiſſe, eò quòd illi perpetuo à Conſulum notis diſcrepare ſoleant.

10. Porrò non à diuerſis, ſed ab vno, eodemque authore compoſitū fuiſſe hunc antiquiorem Catalogum, iudicauit Cuſpinianus, qui eum primò ex manuſcripto codice eruit, & commentarijs ſuis in Caſſiodori Conſules inſeruit, ſcribens ad Conſulatum duorum Geminorum: *Oblatum eſt mibi peruetus Opuſculum anonymi autoris, quo Pontifices maximi, ſub quibus Coſſ. fuerint, enumerantur. In eo ita ſcribitur: Imperante Tiberio Cæſare paſſus eſt Dominus IESVS CHRISTVS duobus Geminis Coſſ. 8. Kalend. Aprilis. Et poſt aſcenſum eius beatiſſimus Petrus Epiſcopatum ſuſcipit &c.* Ex primis huius Opuſculi verbis, quæ eadem omninò ſunt cum primis verbis Catalogi, de quo in præſenti agimus, facilè colligitur, Catalogum eundem eſſe, quem Cuſpinianus olim habuit, quemque anonymo Auctori tribuit, prout tribuere pergit in Operis progreſſu, vbi Catalogi iſtius mentionem facit, & ſignanter ad Conſulatum Saturnini 11. & Venuſti, agens de Petro his verbis; *Vetuſtiſſimum comperi in Bibliotheca quadam Opuſculum anonymi autoris, quo continentur Pontifices Romani, ſub quibus Coſſ. fuerint à D. Petro vſque ad Marcellinum, qui ſub Diocletiano fuit, quemadmodùm deinceps narrabimus.* Conſtanter, & rectè affirmat Cuſpi-

ſpinianus, vetuſtiſſimum Opuſculum eſſe antiqui ſcriptoris anonymi; ſed memoria lapſus videtur, dum refert, Pontifices Romanos vſque ad Marcellinum dumtaxat in eo contineri. Nam poſt Marcellinum ex eodem Opuſculo recenſet ad Poſt Conſulatum X. & VII. iterum, Marcellum; ad Conſulatum Maximi VIII. & Licinij Melchiadem; ad Conſulatum Voluſiani & Anniani Syluestrum; & ad Conſulatum Feliciani & Titiani Iulium, & hunc quidem his verbis: *Autor ille incertus de Pontificibus horum Coſſ. ſic commeminit: Iulius annis XV. M. I. D. XI. Fuit temporibus Conſtantini à Coſſ. Feliciani, & Titiani ex die VIII. Idus Februarij, in diem pridie Idus Aprilis Conſtantio V. & Conſtantio Cæſare Coſſ. Hactenus autor de Pontificibus Maximis, quem citaui, progreditur, nec quidquam vlterius offendi, quoad Papę dicti ſunt.* Vbi Cuſpinianus expreſsè affirmat, Pontifices cum Conſulibus vltra Marcellinum vſque ad Iulium Primum procedere, prout etiamnum procedunt in noſtra Catalogi editione, in qua Liberius quidem adiungitur, ſed abſque Conſulum adnotatione, eò quòd author Liberij quidem initium, non tamen finem aſſecutus ſit, ſed ante Liberium obierit.

11. Neque hoc noſtrum dumtaxat, ſed etiam aliorum de huius authoris ætate iudicium eſt, ſcribente Bucherio, qui integrum Catalogum primus edidit: *Hucvſque, ad Liberium ſcilicet, Pontificum Romanorum Catalogus ante Liberij mortem concinnatus, quam membrana nonniſi punctis exprimit.* Vbi membranæ meminit, in qua tria alia Opuſcula eodem tempore, iiſdemque Conſulibus ſcripta reperiebantur. Ac primum quidem erat fragmentum Faſtorum ab anno Chriſti 205. ad 354. quo Conſules erant Conſtantius VII. & Conſtantius III. Extabat quoque Opuſculum de Præfectis Vrbi cum hoc titulo: *Ex temporibus Gallieni, quis quantum temporis Præfecturam Vrbis adminiſtrauerit*; in quo iidem Præfecti ab anno 254. vſq; ad annum 354. recenſentur, finiente illo his verbis: *Conſtantio VII. & Conſtantio III. Vitraſius Orfitus Præfectus Vrbi.* Demùm Calendarium antiquum continebatur Valentino cuidam inſcriptum ſub Conſtantio, quem vltimum Imperatorum recenſet, & non Diuum, vt cæteros omnes, ſed Dominum vocat; ſignum manifeſtiſſimum, quòd auctor ſub Conſtantio ſcripſerit, idemque ille ſit, qui vſque ad Conſulatum Conſtantij ſeptimũ præfata Opuſcula perduxit, & Catalogum Romanorum Põtificum ſub Conſtantio his verbis terminauit: *Liberius fuit temporibus Conſtantini ex die XI. Kal. Iunias in diem ...... à Coſſ. Conſtantij V. & Conſtantio Cæ-*

ſare. Vbi neque Conſulatus, quo Liberius obijt, neque dies mortis eius apponitur, quia, vt rectè Bucherius obſeruat, ante Liberij mortem concinnatus fuit. Idem ſentit eruditus Petauius libro 5. cap. 5. Rationarij temporum, vbi ſcribit: *Vetus indiculus Romanorum Pontificum Liberij tempore contextus, quem penès nos habemus.* Et poſt Petauium Pearſonius à religione quidem Catholica alienus, ſed vir acutiſſimi ingenij, & magni iudicij, qui Diſſ. 1. de ſucceſſione primorum Romæ Epiſcoporum, capite 13. num. 2. ingenuè fatetur: *Scriptus eſt hic Catalogus ſub Pontificatu Liberij, cui ſucceſſit Damaſus. Fuit igitur eius auctor ipſo Hieronymo paulò antiquior.* Edidit hanc Diſſertationem inter opera eius poſthuma Londini anno 1688. Dodvvellus Dublinienſis, qui licèt prolixioribus notis, & Commentarijs ſuis antiquitatem nonnumquam illuſtraré conetur, & id quoquè de præſenti Catalogo facere contendat; eius tamen antiquitati abſque vllo fundamento, aut ratione detrahit.

CAPVT TERTIVM.

An antiquior Catalogus à Damaſo Papa conſcriptus ſit? Et an duæ epiſtolæ Damaſi, & Hieronymi ea de re editæ ſuppoſititiæ cenſendæ ſint?

1. *Antiquior Catalogus Damaſo Papæ tribuitur auctoritate duarum epiſtolarum, quarum altera à D. Hieronymo ad Damaſum, altera à Damaſo ad D. Hieronymum ſcriptæ ſunt.*

2. *Harum litterarum germanitatem ex ſimilibus litteris inter opera Damaſi à Martio Mileſio editis, comprobat Godefridus Henſchenius.*

3. *Adiungit Henſchenius nonnulla, ex quibus probare conatur, duos libri Pontificalis auctores fuiſſe Antherum & Damaſum Papas.*

4. *Primum Henſchenij fundamentum ex litteris à Martio Mileſio editis, refutatur, eò quòd litteræ illæ ſuppoſititiæ ſint, rectè Eraſmi, & Labbei cenſuris notatæ.*

5. *Epiſtolæ quoquè Damaſi, & Hieronymi de libro Pontificali ſuppoſititiæ ſunt, vt in primis probatur ex ſtylo Hieronymi, qui plurimùm differt à ſtylo epiſtolæ ſuppoſititiæ.*

6. *Idem confirmatur ex nonnullis epiſtolæ ſuppoſititiæ inſertis, quæ veritati repugnant, vt in primis, quòd Hieronymus poſt ſumptum Presbyteratus gradum Damaſi ad Pontificatum aſſumptionem cognouerit, & ſcire cupierit, quis Romanorum Pontificum contra canones exceſſiſſe cognoſcatur.*

7. *Neque iuuat dicere, Hieronymum id ſcire cupyſſe, quia Martyrologio operam dabat. Nam pro illo ſufficiebat ſcire, quinam pro Christiana religione martyrij palmam adepti fuerant.*

8. *Damaſi quoquè epiſtolam ſuppoſititiam eſſe, ex ſtylo inculto, & rudi oſtenditur.*

9. *Antiquiorem Catalogum neque à Damaſo conſcriptum, neque eius auctoritate probatum produſſe, neque ad Diuum Hieronymum tranſmiſſum fuiſſe, monſtratur.*

In-

1. INquisiuimus superiori capite de pluribus auctoribus, an ab illis tertio sæculo antiquior Catalogus editus fuerit, ostendimusque, auctorem illius tempore Constantij Imperatoris quarto sæculo scripsisse, sed nomen hucusque ignoratum esse. Nunc inquirendum est de Damaso Papa, qui quarto sæculo sedit, num illi fortè Catalogus adiudicari possit. Occasionem huic quæstioni præbuerunt duæ epistolæ, quarum alteram à D. Hieronymo ad Damasum Papam, alteram à Damaso ad D. Hieronymum his verbis conscriptas fuisse ferunt.

Beatissimo Papæ Damaso Hieronymus.

Gloriam Sanctitatis Tuæ nostra humilitas deprecatur, vt secundùm Apostolicæ Sedis autoritatem, quam cognouimus per tuam Sanctitatem gubernari, actus gestorum à Beati Petri Apostoli Principatu vsque ad vestra tempora, quæ scilicet in Sede tua gesta sunt, nobis per ordinem paucis enarrare digneris, quatenùs nostra humilitas sentiens recognoscat, quis meruerit de Episcopis supradictæ Sedis martyrio coronari, vel si quis contra Canones Apostolorum excessisse cognoscatur. Ora pro nobis Beatissime Papa.

Damasus Episcopus Vrbis Romæ Hieronymo Presbytero.

Gaudet Ecclesia tuo fonte iam satiata; & amplius sitit curiositas temporum Sacerdotalium, vt quod dignum est, cognoscatur; quod indignum, respuatur. Verùmtamen gesta Pontificum, quæ potuimus reperire in Sedis nostræ studio, ad tuam charitatem gaudentes direximus. Ora pro nobis ad sanctam resurrectionem, frater, & conpresbyter. Vale in Christo Deo, & Domino nostro. Dat. X. Kalend. Iunij, & accepta Kalendas Octobris: missa de Roma Hierosolymam.

2. Primus has epistolas typis descripsit Godefridus Henschenius: Tomo enim Primo Aprilis ante Catalogos Romanorum Pontificum eas ex antiquis M. SS. edidit, ac pro germanis habuit, laudans Martium Milesium Sarazanium I. C. Romanum, eò quòd typis Vaticanis anno 1638. inter opera Sancti Damasi alias epistolas his planè similes ediderit; pag. enim 121. & sequenti habet epistolam Damasi ad Hieronymum, ex qua suprà memoratus Henschenius sequentia excerpsit.

Damasus Episcopus fratri, & compresbytero Hieronymo in Domino salutem.

Dum multa corpora librorum in meo arbitrio allata fuissent, contigit, vt & librum Psalmorum in meo animo festinus cognoscerem detineri, & memoriam capacitatis meæ imbuere cogitaui, frater amantissime, & in Christo semper sacerdos, secundùm septuaginta Interpretes ... inuenire vestigia. Peto etiam charitatem tuam, vt Græcorum psallentiam ad nos dirigere tua fraternitas delectetur .... Peto ergo per fratrem, & compresbyterum nostrum Bonifacium, vt iubeat fraternitas tua rei huius nobis aperire vestigia. Missa V. Calend. Nouembris.

Subnectit responsionem Hieronymi presbyteri ad Damasum.

Beatissimo Papæ Damaso Sedis Apostolicæ Vrbis Romæ, Hieronymus supplex.

Legi litteras Apostolatus Vestri, poscentes, vt secundùm simplicitatem septuaginta Interpretum canendum Psalmographum interpretari festinem ...... Precatur ergo cliens tuus, vt vox ista psallentium in Sede tua Romana die noctuque canatur, & in fine cuiuslibet psalmi coniungi præcipiat Apostolatus tui ordo, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, sicut erat in principio &c.

3. Editis hisce duabus epistolis, adiungit idem Henschenius: *Non videtur autem S. Damasus ipse conscripsisse priorem Catalogum de Vitis Pontificum, sed solùm has ad Liberium decessorem suum à varijs deductas approbasse, & ad Sanctum Hieronymum direxisse. Igitur cum Ptolomæus Lucensis apud Milesium pag. 21. dicit, quòd vsque Damasum Chronica summorum Pontificum vigorem recipiunt; Damaso scribente, eodem approbante, seu subscribente id fieri intelligimus, & quòd ipsi vitæ Pontificum, vt primo scriptori passim tribuantur à Sabellico, Panuinio, & alijs, minùs approbamus.* Ipso itaque Henschenio fatente, Damasus non erit propriè auctor huius antiquioris Catalogi, sed approbator dumtaxat. Auctor tamen vixit sub Liberio, vt Petauij testimonio Henschenius comprobat: *Sancto Iulio Liberius, cuius tempore hunc veterem Indiculum Romanorum* Pon-

Pontificum contextum fuisse, *asserit Dionysius Petauius lib.* 5. *qui eum penès se habuit. Post obitum Liberij constitutus est Pontifex Romanus S. Damasus*, *qui rogatus à Sancto Hieronymo*, *gesta Pontificum*, *quæ potuit reperire in suæ Sedis studio*, *ad eum direxit. Quæ Damasi verba arbitramur intelligenda de iam indicato Catalogo vsque ad Liberium eius decessorem deducto. Epistolas vtriusque hac de re & S. Hieronymi, & S. Damasi ex Codicibus manuscriptis præponimus. Idem S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis capite* 15. *statuit S. Clementem quartum post Petrum Romanum Pontificem*, *siquidem (inquit) secundus Linus fuit*, *& tertius Anacletus*, *etsi plerique Latinorum*, *secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem. Vbi opinamur, nomine Latinorum indicari hunc Catalogum à S. Damaso missum ad Sanctum Hieronymum*, *qui etiam libro primo aduersùs Iouinianum appellat Clementem successorem Apostoli Petri. Et in caput Isaiæ* 52. *scribens ait*, *eum post Petrum Romanam rexisse Ecclesiam*, *scilicet interposito ad medium tempus S. Lino*, *cui successisse Clementem*, *tradunt Optatus Mileuitanus lib.* 2. *& Sanctus Augustinus epist.* 165.

4. Hactenùs Henschenius, qui ex litteris à Martio Milesio publicatis probare nititur litterarum commercium inter Damasum Papam, & D. Hieronymum de similibus materijs, vt faciliùs persuadeat, litteras de gestis Romanorum Pontificum à se primùm editas, & germanas esse, & Damaso Papæ, ac Hieronymo presbytero tribui posse. Verùm in prima Antiquitatis illustratæ editione miratus fui, quòd Henschenius non obseruauerit, epistolas de psalmodia Basileæ anno 1516. publicatas fuisse per Erasmum, qui de priori circa psalmodiam epistola à Damaso ad Hieronymum conscripta sequentem censuram tulit: *Clarius est*, *quàm vt admoneri debeat*, *hanc epistolam eiusdem esse artificis*, *cuius est ea*, *quæ proximè sequitur*, *& eadem febri laborantis. Deum immortalem! quę fuit impudentia*, *hoc tribuere Damaso*? Addit de responso Hieronymi ad Damasum: *Mirum est, inuentum fuisse*, *qui sperauit futurum*, *vt hæc epistola*, *qua nihil fingi potuit insulsius*, *nec indoctius*, *nec infantius*, *à quoquam pro Hieronymiana legeretur*. Et ne Erasmi auctoris suspecti iudicio niti velle videamur, censuras eius nouissimè confirmat Tomo 2. Collectionis Conciliorum in notis marginalibus ad duas epistolas à Milesio publicatas Philippus Labbeus: *Suppositititiæ*, *apocryphæ*, *& ineptissimæ viris doctis habentur*; *tantumque à stylo Damasi*, *& Hieronymi distant*, *quantum cæ-*

cœlum à terra, *& Polus antarticus ab Artico*. Neque vlteriori probatione hæc indigent, cum vel litteras inspicienti eadem planè occurrant, prout ex epistolis per Martium Milesium publicatis adeò clarè ostenderam in prima Antiquitatis Ecclesiasticæ editione, vt V. C. Papebrochius in Propylæo ad Quartum Tomū Maij pag. 3. sententiam Henschenij prędecessoris sui retractandam duxerit, adiungens, se rationibus meis conuictum malle epistolas illas ex Tomo 1. Aprilis expunctas.

5. Agnouerat Papebrochius, quàm eleganti, quàm florido stylo vsi erant D. Hieronymus, & S. Damasus, quorum plurima opera, de quibus nullus est ambigendi locus, ad manus nostras peruenerunt. Vtque de D. Hieronymi operibus id in primis probemus, extant Epitaphia Paulæ, Fabiolæ, Lucinij, Marcellæ, & Nepotiani à sancto illo Doctore edita; extant complura opuscula aduersùs Heluidium, Iouinianum, Vigilantium, Pelagianos, Montanum, Rufinum, aliosque ipsius Hieronymi, vel Religionis Catholicæ aduersarios composita: extant plerique tractatus de virtutibus, innumera Commentaria de scripturis sacris; & vt finiam, inter diuersas epistolas, duæ insignes ad Damasum Papam conscriptæ, quarum altera ordine 57. sic incipit: *Hieronymus Damaso. Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, & desuper textam minutatim per frusta discerpit, & Christi vineam exterminant Vulpes, vt inter lacos contritos, qui aquam non habent, difficile, vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi. Ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam; indè nunc meæ animæ postulans cibum, vndè olim Christi vestimenta accepi &c.* Altera autem 58. sic orditur: *Hieronymus Damaso. Importuna in Euangelio mulier tandem meruit audiri: & clauso cum seruis ostio, media licèt nocte, ab amico panes amicus accepit: Deus ipse, qui nullis contra se viribus superari potest, publicani precibus vincitur. Niniue Ciuitas, quæ peccato perijt, fletibus stetit. Quorsùm ista tam longo repetita principio? Videlicet, vt paruum magnus aspicias &c.* Atque ex his, ni fallor, abundè constat, quàm eleganti stylo, quàm ornato vsus sit Hieronymus in litteris ad Damasum Papam conscriptis, quantumque ab ipsius scribendi modo differat epistola de gestis Pontificum superiùs exhibita.

6. Dum enim D. Hieronymus aliquid à Damaso Papa petebat, ornato sermone, & longo repetita exordio Damasum exorare solebat, vt ex duobus

præ-

prædictarum literarum fragmentis colligere licet. At epistola de gestis Romanorum Pontificum Hieronymo tributa stylo humili, & abiecto sine vllius exordij ornamento statim indicat, quod petitur, vt patet ex hoc illius initio: *Gloriam Sanctitatis tuæ nostra humilitas deprecatur*. Post quod statim prosequitur: *Vt secundùm Sedis Apostolicæ auctoritatem, quam cognouimus per tuam Sanctitatem gubernari, actus gestorum à Beati Petri Apostoli Principatu vsque ad vestra tempora, quæ scilicet in Sede tua gesta sunt, nobis per ordinem paucis enarrare digneris*. Vbi etiam notanda sunt illa verba: *Quam cognouimus per tuam Sanctitatem gubernari*: quibus indicatur, hanc epistolam scriptam esse, cum D. Hieronymus in Syria percepit, Damasum Papam Sedi Apostolicæ præfectum fuisse: quod repugnat ijs, quæ in secunda Damasi epistola supponuntur; ibi enim innuitur, D. Hieronymum, cum hanc epistolam scripsit, fuisse presbyterum: factus est autem presbyter à Paulino Antiochiæ Episcopo, postquàm discesserat ex eremo Syriæ, ex qua duas suprà memoratas epistolas scripserat ad Damasum Papam. Adeò vt falsum omninò sit, D. Hieronymum iam presbyterum primò cognouisse Damasi promotionem ad Pontificatum, & pateat, ab homine aliquo actorum Hieronymi ignaro prædictam epistolam conscriptam fuisse. Neque ex hoc parachronismo tantùm, sed etiam ex sequenti barbarismo, *quatenùs nostra humilitas sentiens recognoscat*, constat, prædictam epistolam D. Hieronymo abiudicandam esse, qui eandem nunquam his verbis conclusisset, *vel si quis contra canones Apostolorum excessisse cognoscatur*. Nam sensus horum verborum obscurus est contra morem scribendi D. Hieronymi, qui declarasset, de quibusnam Apostolorum canonibus, & de quonam excessus genere ibi agebat.

7. Quamuis autem supponi posset, quòd D. Hieronymus tunc Martyrologio operam dabat, & ideò à Damaso Papa Catalogum Romanorum Pontificum petebat, vt ex eo dignosceret, quinam martyrij palmam adepti erant: tamen mirum videri potest, D. Hieronymum petijsse à Damaso, vt indicaret, si quis Pontificum præuaricator Apostolicorum canonum existens ex hoc mundo discessisset, quum ad Damasum scripserat, se Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam ideò consulere, quòd hæc Cathedra sit petra Euangelica, supra quam ædificatam Ecclesiam sciebat; quòd Romanorum fides sit illa, quam à Paulo laudatam, & nunquam defecturam credebat, ita vt apud solos Petri successores incorruptam Patrum hæreditatem seruari profiteretur.

Hæc

Hæc enim cum Hieronymus in epistolis ad Damasum tradiderit: quo consilio, qua ratione se de quorundam Petri successorum præuaricatione dubitare, ad Damasum ipsum scripsisset? An fortè, si quisquam Romanorum Pontificum in aliquo deliquisset, illud ad Martyrologium D. Hieronymi spectare poterat? De sanctis Pontificibus, eorumque martyrijs D. Hieronymus pro conficiendo suo Martyrologio sollicitus esse debebat, & cum Romæ in iuuentute sua studuerit, ac sæpiùs cryptas Martyrum, ac Apostolorum templa, in quibus SS. Pontificum corpora recondita erant, perlustrauerit; vix credibile est, D. Hieronymum latuisse Romanorum Pontificum martyria, multòque inuerisimilius est, Damasum Papam solùm tria, aut quatuor Pontificum martyria enumeraturum fuisse in antiquiori Catalogo, si illum ad D. Hieronymum cum epistola superiùs allata transmisisset. Qua de re statim agemus, cum monstrauerimus, quòd de Damasi epistola ex stylo dijudicari possit, eam esse suppostitiam.

8. Ineptus equidem scribendi modus, qui in epistola conspicitur, longè est à Damasi stylo, & loquendi puritate alienus. Incipit namque epistola his verbis: *Gaudet Ecclesia tuo fonte iam satiata, & amplius sitit curiositas temporum sacerdotalium.* Quæ sola sufficere deberent ad epistolam Damaso abiudicandam: præterquàm enim quòd D. Hieronymus, dum munus presbyteri primùm obtinuerat, non tam multa scripserit, vt Ecclesiam operibus suis repleuerit, adeòque verum non sit, quòd Ecclesia iam esset ipsius fonte satiata, subiungitur: *Tamen & amplius sitit curiositas temporum sacerdotalium.* Quæ verba sicut ineptum sensum reddunt, ita Damaso nequaquam tribui possunt. Quid enim significant tempora sacerdotalia? Num sacerdotes tunc Imperium tenebant, aut tunc primum in Ecclesia esse cœperant, in qua ante non fuerant? Nonne temporibus Damasi Papæ Imperatores regnabant sicut sub Damasi prædecessoribus Imperij gubernacula tenuerant? Si Imperatores ante Damasum gubernarunt; si anteà Pontifices, & sacerdotes in Ecclesia extiterant; quid quæso sibi volunt tempora Sacerdotalia? *Quomodo sitiebat curiositas temporum sacerdotalium?* An curiositate ducebantur Sacerdotes ad audiendas à D. Hieronymo interpretationes Scripturarum, vt quondam Athenienses rerum nouarum cupidi à D. Paulo? Quòd si Damasus Papa exprimere voluisset hanc sacerdotum cupiditatem, dixisset *curiositas sacerdotum*, non *curiositas temporum sacerdotalium*, vt in prima Antiquitatis editione animaduertimus. Quibus adiungere possumus, totam hanc Damasi epi-

epistolam stylo adeò rudi, & inculto scriptam esse, vt nulla periodus in ea reperiatur tam erudito, & eloquente Pontifice digna, de quo D. Hieronymus libro de Scriptoribus testatur, quòd elegans in versibus componendis ingenium habuit. Eius epistolæ eleganti stylo conscriptæ editæ sunt à Martio Milesio, & à Luca Holstenio: pleraque item carmina etiamnum reperiuntur in Bibliotheca Patrum edita, & alia marmoreis tabulis insculpta, quibuscũ si conferamus constructionem epistolæ superiùs editæ, facilè constabit, has phrases, *in nostræ Sedis studio*, *& gaudenter direximus*, alio auctore, quàm Damaso editas. Prodit autem se ipsum auctor hac clausula: *Data X. Kalendas Iunij*, *& accepta Kalendas Octobris*, *missa Roma Hierosolymam*, quæ sicut in nulla aliarum Damasi epistolarum reperitur, ita ab illo fabricata est, qui integram epistolam Damaso supposuit.

9. Atque hæc quidem sufficiant de suppositione epistolarum. Nunc solùm monstrandum est, antiquiorem Catalogum nequidem Damaso tribuendum esse, licèt epistolæ illæ germanæ essent. Quod facili negotio comprobatur, si perpendere velimus illa, quæ in priori epistola petit Hieronymus, & in posteriori respondet Damasus Papa. Petit enim D. Hieronymus, vt transmittantur actus gestorum à B. Petri Apostoli Principatu vsque ad sua tempora; quatenùs agnoscat, quis meruerit de Episcopis supradictæ Sedis martyrio coronari, vel si quis contra Canones Apostolorum excessisse cognoscatur. Et respondet Damasus, Catalogum Pontificum à D Hieronymo petitum, & à se transmissum continere *actus gestorum*, *aut gesta Pontificum*, quibus eorum obitus, & mortis genus adnectebatur. De his autem omnibus vix quidquam reperitur in antiquiori Catalogo. Nam vix vlla gesta Pontificum in eo commemorantur, & inter tot Pontifices, quot à Sancto Petro Apostolo vsque ad Damasum Papam sederunt, tantùm quatuor martyria enumerantur, Petri nimirum, & Pauli Apostolorum, de quibus dicitur: *Petrus passus cum Paulo die III. Kalend. Iulij*; Pontiani, de quo refertur: *In eadem Insula* (Sardinia) *discinctus est 4. Kalend. Octobris*; Fabiani, de quo narratur: *Passus 13. Kal. Febr.* & Cornelij, de quo asseritur: *Centumcellas expulsus, ibi cum gloria dormitionem accepit*. Horum itaque Pontificũ martyria solummodò commemorantur in Catalogo, qui si à Damaso Papa conscriptus, aut ipsi probatus fuisset, illeque esset, cuius in litteris mentionem facere supponitur, credi ne potest, Damasum cætera Pontificum martyria ignorasse? Ignorabat forsan Clementis martyrium to-

to terrarum orbe celeberrimum? Nihil nè omninò supererat de gestis martyrum, quæ iubente Anthero à Notarijs fideliter conscripta, & in Ecclesia recondita erant? An mente exciderat, quod de Stephani Papæ martyrio eius Acta testabantur? Ignorarene poterat, quæ de Xysti obitu retulerat Clerus Romanus, scripserat Cyprianus, & in festo S. Laurentij, qui Xystum post triduum secutus erat, legebat Ecclesia? Latebat ne ipsum, quid continebat Canon Missæ sæculo tertio compositus? Hæc, ni fallor, nimis clara sunt, quàm vt à quoquam in dubium vocari possint.

CAPVT QVARTVM

De secundo Catalogo, qui cum Actis Felicis eius nominis Quarti finit.

1. Catalogus ex M. S. Codice Reginæ Sueciæ editus, & ex eodem post primam editionem correctus est, ac Clementi locus suus restitutus.

2. Dodwelli hac de re cauillationes refutantur, & Catalogum sexto sæculo conscriptum esse, conuenit inter omnes.

3. In Codice M.S. post Felicem IV. duodecim Pontificum nomina adduntur cum notatemporum, quæ ab imperito aliquo adiecta esse, ex erroribus, qui in hanc appendicem irrepserunt, ostenditur.

4. Codex Reginæ Sueciæ hanc appendicem exhibens, non continet autographum Catalogum, sed post sæculum sextum scriptus est circa Pontificatum Paschalis Primi.

5. Ex alio antiquiori Codice descriptus est Catalogus, qui etiam continetur in Codice Colbertino tempore Caroli Magni exarato, teste V. C. Baluzio in litteris ad me datis.

6. Adferuntur lectiones ex vtroque Codice, quæ differunt ab editione Henscheniana, inter se tamen conueniunt.

7. Ex dictis colligitur, vtrumque M.SS. Codicem ex vno, eodemque antiquiore Codice descriptum esse.

8. Catalogus Consules, quos ad initium, & finem Pontificatuum à D. Petro ad Liberium adducit, ex antiquiore Catalogo desumpsit.

9. Pontificum Acta partim ex antiquiore Catalogo, partim aliundè desumpsit auctor secundi Catalogi, vt varijs exemplis probatur.

10. Idem confirmatur ex alijs Pontificum gestis, quæ commemorat.

11. Martyrum Acta, quibus auctor Catalogi vtitur, sæculo sexto antiquiora sunt. Ordinationes, earumque numerum desumpsisse videtur ex regesto Sedis Apostolicæ, quod desinebat in Hormisda.

12. Auctorem igitur Romanum fuisse, & forsan præfectum Archiui, plerisque Catalogi verbis comprobatur.

1. CAtalogum, de quo in præsenti agimus, ex Codice Bibliothecæ Christinæ Suecorum Reginæ primi nostris temporibus publicarunt Godefridus Henschenius, & Daniel Papebrochius in prolegomenis ad Tomum 1. Aprilis, ex quibus & ego in prima Antiquitatis illustratæ editione anno 1678. partem illius vsque ad Syluestrum eadem fide descripsi, qua ipsum clarissimi viri in lucem emiserant. Vbi autem Romam peruenis-

nissem, & nonnullos errores in editionem irrepsisse, suspicatus essem, à sapientissima Regina facultatem videndi codicem, & cum edito conferendi petij, quod pro sua erga me beneuolentia facilè concessit. Codicem itaque M.S. penès me habui per menses plurimos, & diligenter Catalogum, de quo agimus, cum edito contuli, & quantum inter se discreparent, animaduerti. Non solum enim pleraque verba in edito omissa sunt, quæ in Manuscripto reperiuntur, sed nonnulli quoquè Pontifices præpostero ordine in edito exhibentur, quæ rectè in Manuscripto leguntur. Fidem huic rei facit ordo quinque primorum Pontificum, quo in hoc Catalogo editi sunt ad Tomum primum Aprilis. Ibi enim primo loco Petrus, secundo Linus, tertio Clemens, quarto Cletus, & quinto Anacletus recensentur, cum tamen in Manuscripto Codice Reginæ Sueciæ, qui post eius mortem cum cæteris Bibliothecæ suæ Manuscriptis in Vaticanam migrauit, expressè habeatur ordo Pontificum, vt sequitur: 1. Petrus, 2. Linus, 3. Cletus, 4. Clemens, 5. Anacletus. Quo etiam ordine Romana Ecclesia Pontifices illos recenset in Canone Missæ, dum meminit *Lini*, *Cleti*, *Clementis*. Vbi Cletus medius ponitur inter Linum, & Clementem, non verò post Clementem collocatur.

2. Atque ex hac Catalogi emendatione refutari potest Henricus Dodvvellus, qui in Dissertatione singulari de Rom. Pontificum primæua successione cap. 9. §. 1. conqueritur, ab auctore Catalogi ordinem immutatum esse, præpositumque genuino Clementi Cletum supposititiũ ab ijs, qui auctorem secundi Catalogi subsecuti sunt: id enim falsum esse, iam ostendimus ex ipso Codice manuscripto, quem in Bibliotheca Alexandrina habemus; & vnicuique monstrare possumus. Auctor enim huius Catalogi Cletum Clementi præposuit iam indè à Felicis IV. temporibus, sub quibus ipsum scripsisse Dodvvellus fatetur his verbis: *Anno enim 530. secundum Catalogum collegit autor incertus sub Iustiniano ad finem Felicis Quarti*. Concinit Pearsonius Dissert. 1. de successione primorum Romæ Pontificum cap. 12. num. 6. Vbi Catalogum illum *sexto sæculo exaratum esse affirmat*. Et ante Pearsonium viri clarissimi Papebrochius, & Henschenius, qui ante proœmiũ huius Catalogi notant; *tempore Iustiniani Imperatoris conscriptum esse*. Qua quidem in re viris eruditis consentio, cum ex Catalogo ipso deducatur, sub Iustino, & Iustiniano, quorum temporibus illum promiscuè in hoc Opere adscribimus, fuisse concinnatum: finem namque facit in Felice Quarto, qui Consulatu Orestis anno Imperatoris Iu-

Iustiniani quarto, & æræ vulgaris 530. obijt.

3. Neque his obstare debet, quòd in Codice Reginæ Sueciæ post Felicem IV. addantur aliorum duodecim Pontificum nomina fine vllis actis modo, quo sequitur.

57. Bonifacius sedit ann. 2. dies 25.

58. Ioannes sedit ann. 2. menses 3. dies 25.

59. Felix sedit an. 4. menses 2. dies 12.

60. Bonifacius sedit annos 2. dies 26.

61. Ioannes sedit annos 2. menses 3. dies 5.

62. Agapitus sedit menses 11. dies 17.

63. Siluerius sedit annum 1. menses 5. dies 11.

64. Vigilius sedit annos 16. menses 6. dies 25.

65. Pelagius sedit annos 4. menses 10. dies 28.

66. Ioannes sedit annos 12. menses 11. dies 26.

67. Benedictus sedit annos 4.

68. Pelagius sedit annos 10. menses 2. dies 10. *A B. Petro vsque nunc fiunt anni 444. & menses sex excepto interuallo Pontificatus*. Nam ab imperita planè manu adiuncta sunt post tempora Iustiniani Imperatoris, cùm nec anni respondeant Catalogo, neque Pontificum ordo in hac Catalogi appendice obseruetur. Vt enim ab vltimo incipiam: hic tres Pontifices Felix, Bonifacius, & Ioannes in sex Pontifices diuiduntur, repetitis ipsorum nominibus, vt vel ex eo patet, quòd inter Felicem IV. in quo desinit Catalogus, & Siluerium, quem septimum à Felice Quarto recenset appendix, tantùm tres Pontifices Bonifacius II. Ioannes Secundus, & Agapitus in vera Pontificum serie reperiantur. Redundant igitur tres Pontificatus in appendice, errore planè inexcusabili, cui accedit erronea temporum nota, de qua secundo loco dicendum suscepimus. Nota enim illa significat, à B. Petro vsque ad Pontificatum Pelagij II. absque tempore sedis vacantis, numerari 444. annos; quod siue à principio Pontificatus Petri, siue à fine illius sumas, à vera Chronologia mirum in modum aberrat. Pelagius enim Secundus Pontificatum gessit ante Gregorium Magnum ad finem sexti sæculi, adeò vt plusquàm sexaginta anni in computo desiderentur. Non solùm enim à Petro, vsque ad tempus, quo appendix illa conscripta est, anni 444. sed etiamsi à Petri excessu, qui anno æræ vulgaris 68. contigit, Pontifices computemus, anni 522. vsque ad Gregorij Pontificatum, qui anno 590. cœpit, intercedũt; à quibus detracto temporum interuallo sedi vacanti tribuendo, semper manebit, vltra quingentos annos inter Petri, & Pelagij Secundi tempora intercedere.

4. Ne-

4. Neque mirum cuiquam videri debet, quòd in appendice huius Catalogi tam fœdi errores reperiantur. Codex enim Reginæ Sueciæ, ex quo Catalogum typis edimus, non continet ipsius Catalogi autographum, sed transumptum ante plura sęcula conscriptũ. Codex enim, in quo continetur hic Catalogus, continet pag. 1. breue Chronicon ab anno 815. quo Carolus M. mortuus est, & Ludouicus eius filius Imperium assumpsit, vsque ad annum millesimum, quo consequenter hunc Codicem conscriptum fuisse dicerem, nisi ab anno 918. vsque ad annum 1000. soli anni descripti essent, & si quid rei gestæ annotetur, aliena manu adiectum esse videatur: ex quo conijcere licet, huius Chronici Auctorem vixisse ante annum 918. Solent enim aliqui Chronographi in M.SS. Codicibus annos continuata serie ponere, etiam illos, qui ipsorum ætatem subsequentur, & si quid vita illorum durante memoratu dignum contigerit, propria manu annotare, vel si post vitam ipsorum euenerit, posteris annotandum relinquere. Ex his quidem de ætate Manuscripti Codicis iudicare liceret, si certum esset, Chronicon præfatum ab eodem amanuensi conscriptum fuisse, quo reliqua in opere contenta scripta sunt, qua de re non sine ratione dubium moueri potest. Quantum enim ex charactere iudicare possum, hoc Chronicon initio Codicis positum cum notitia Prouinciarum, & arbore consanguinitatis Chronicon immediatè subsequentibus, recentiori manu adiecta sunt, sicut & in fine nonnulla post ætatem codicis addita leguntur. Porrò codex est in folio, forma quadrata, & characteribus æuo Caroli Magni vsitatis conscriptus. Vndè facilè crediderim, illis temporibus fuisse exaratum, quo scriptus est Catalogus Romanorum Pontificum, qui pag. 10. exhibetur, & desinit in Paschali I. cui subijcitur nota temporum his verbis: *A passione Domini nostri IESV Christi vsque ad sedem beatissimi Marcellini Papæ sunt anni 276. menses 8. De Apostolatu iam facto Christi Martyris Marcellini vsque tempus gloriosissimi Domini Caroli Regis 25. annis regni eius, hoc est vsque VIII. Kal. Aprilis, sunt anni 490. & menses 13.* Circa hoc igitur tempus, id est paulò post initium noni sæculi conscriptus videtur codex quondam Reginæ Sueciæ, nunc Bibliothecæ Alexandrinæ Vaticanæ, ex quo secundum Romanorum Pontificum Catalogum edimus, quem huius Codicis tabellarius ex alio antiquiori codice descripsit.

5. Certum huius veritatis argumentum suppeditarunt nuper litteræ Viri Cl. Antonij Pagij, quibus retulit, aliud huius Catalogi exemplar M.S. reperiri in Bibliotheca Colbertina: *In Biblio-*

bliotheca Colbertina, inquit, *extat Catalogus, à quo Baluzius Vir Clarissimus existimat, Catalogum Reginæ Sueciæ fuisse descriptum.* De hoc codice frequentibus vicibus, quibus Parisijs fui, nihil audieram, nec quidquam ante Pagij litteras ad finem anni 1680. ad me datas perceperam. Quare magno addiscendæ veritatis studio ductus, Lutetiam scripsi ad V. Cl. Ioannem Harduinum, vt à Baluzio & varias illius Codicis lectiones, & iudicium de ætate, qua conscriptus est, peteret. Vtrumque pro sua humanitate præstitit Vir Clarissimus Baluzius, cunctaque quam celerrimè ad me misit Harduinus. Quarè illorum beneuolentiæ debeo ego, debet Respublica litteraria notitiam Codicis Colbertini, quæ non parùm conferet ad discernendum fontem, ex quo auctor libri Pontificalis acta successorum Petri hausit, vt suo loco videbimus. Adiungo itaque verba Clarissimi Baluzij, quibus iudicium de M.S. Codice Colbertino, & varias lectiones Catalogi nostri exhibet: *Codex 1868. Bibliothecæ Colbertinæ, quem constat esse similem ei, qui extabat in in Bibliotheca Reginæ Christinæ, scriptus est sub imperio Karoli M. Catalogus Pontificum Romanorum incipit à S. Petro, & habet hunc titulum: Hic sunt Pontifices Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Beati Petri Apostoli. Desinit autem in Adriano I. hoc modo XCVII. Adrianus sedit ann. XXIII. M.X.D.XVII. Postea quidam vetus addidit: XCVIII. Leo Papa.* Atque hæc sunt prima Baluzij verba, quibus constat de antiquitate Codicis M.S. ex Catalogo simili, vt puto, illi, quem nos diximus contineri in Codice Bibliothecæ Alexandrinæ Vaticanæ, qui desinit in Paschali Primo.

6. Porrò de Secundo Catalogo, de quo hic agimus, notat, varias lectiones *in Gestis Pontificum* reperiri, quas hic paucis exceptis referemus, eò quòd variæ illæ lectiones potius respectu editionis Henschenianæ, quàm nostri Codicis M.S. locum habere animaduerterim. Sic notat Vir Cl. legi in Petro: *In territurium triumphale via Aurelia III. Kal. Iulij*, quo modo etiam legitur in M.S. Codice Alexandrino Vaticano, licèt habeat editio Henscheniana: *Inter Zetarium triumphale III. Kal. Iunij.* Deindè notat Baluzius ex suo codice: *Cletus ponitur ante Clementem.* Quod idem habet codex Alexandrino Vaticanus, quamuis Henscheniana editio, nescio qua ratione, aut quo fundamento, Cletum Clementi postponat. Notat insuper Baluzius ex Codice Colbertino, in Victore legi, *cum Theophilo Episcopo Alexandriæ de Luna.* Quod idem legitur in Codice Reginæ Sueciæ, licèt editio Henscheniana loco *Alexandriæ*, ponat *Cæsareæ*, & Theophi-

philus non Alexandriæ, sed Cæsareensis Episcopus fuerit. Deindè Baluzius ex Codice Colbertino in Lucio Papa: *Capite truncatus est VI. nonas Martij*; quod etiam habetur in Codice Alexandrino, licèt in Henscheniana editione legatur: *III. nonas Martij*. Baluzius iterum ex codice Colbertino legit in Damaso: *Sedit annos XVII. menses III. dies XI. Fuit temporibus Iuliani, fecit Bibliothecas duas*. Quod idem legitur in Codice nostro, licèt in editione Henscheniana omittatur: *Fuit temporibus Iuliani*. Demùm in Felice Papa legit ex suo codice Baluzius: *Cessauit Episcopatus die* 1. prout etiam habetur in nostro, licèt Henscheniana editio habeat: *Cessauit Episcopatus per dies III.* cum quibus verbis Henschenius finem Catalogo imponit, vbi tamen in nostro M.S. Codice, ex quo Catalogum describi curauit, sequuntur illa duodecim Pontificum nomina cum nota annorum 444. qui à B. Petro vsque tunc intercesserunt, quæ eadem sequuntur in Codice Colbertino, vt V. Cl. Baluzius in varijs lectionibus ad me transmissis testatur.

7. Et ex his quidem manifestè constat, vtrumque Codicem M.S. Colbertinum, & Alexandrino-Vaticanum exhibere eumdem omninò Catalogum, & vel secundum ex primo descriptum esse, vt Pagius retulerat, vel vtrumque Codicem ex altero antiquiori fuisse desumptum; quod vltimum facilè contingere potuit, cum vterque codex Colbertinus & Alexandrino-Vaticanus antiquissimus sit, & caracteribus Carolinis conscriptus, & nonnullæ variantes lectiones, licèt paucæ admodùm, in vtroque reperiantur. Sic Colbertinus in Petro legit *Territurium, & via Aurelia*: vbi Alexandrino-Vaticanus habet *Terreturium, & via Aurilia*. In Telesphoro Colbertinus: *Et cessauit Episcopatus dies VII.* vbi Alexandrino-Vaticanus habet: *dies VI.* In Ygino Colbertinus: *Episcopos per diuersa loca VII.* Alexandrino-Vaticanus, *per diuersa loca VI.* In Aniceto Colbertinus, *per diuersa loca IX.* Vatic. *per diuersa loca VIII.* Item primus: *cessauit Episcopatus dies VII.* secundus, *dies VI.* Colbertinus in Zephyrino: *Episcopus interest, tantum Clericus sustinerit*. Alexandrino-Vaticanus: *Episcopo interest, tantum Clerus sustineret*. Atque hæ, aliæque variantes lectiones facilè conuincunt, antiquiores codices extitisse, ex quibus Catalogus Colbertinus, & Alexandrino-Vaticanus descripti fuerunt, omnesque hos habuisse originem ex autographo, quod sub Iustiniano Imperatore post mortem Felicis Quarti conscriptum fuit: quod enim in vtroque Manuscripto Codice Colbertino, & Alexandrino-Vaticano post Felicem adiungantur 12.

Pon-

Pontificum nomina, cum annis, mensibus, & diebus, quibus sederunt, ab aliquo imperito librario adiunctum fuisse ostendimus, idque temporibus Pelagij Secundi factum putamus, quibus librarius ille Catalogum ex autographo describens Pontifices post Felicem adiecit, & erroneam illam temporis notam de 444. annis à Petro vsque ad Pelagium Secundum, qui anno 577. Pontificatum adeptus est, adiunxit. Atque satis hactenus de Manuscriptis Codicibus, ex quibus Catalogus publicatur. Nunc de illis, quæ Catalogo continentur, paucis agendum est.

8. Habet hic Catalogus Consules, quibus singuli Pontifices creati sunt, & decesserunt, incipiendo à Petro Apostolorum Principe, & primo Romano Pontifice vsque ad Liberium, cum quo finit prior Catalogus, & ex quo auctor secundi Catalogi eò vsque Consulum nomina descripsit, vt tribus potissimùm rationibus comprobatur, quarum prima ex Consulum nominibus, quæ eadem vbique reperiuntur, desumitur. Secunda ex erroribus, qui in vtroque quoad Consulum nomina ijdem fermè comparent. Tertia ex eo, quòd auctor post Liberium nullos Consules posuit in sequentibus Pontificibus, eò quòd deficiente priori Catalogo non habebat, vndè desumeret Consulum notitiam. Deficiunt itaque in hoc secundo Catalogo à Liberio vsque ad tempora Ioannis I. & Felicis Quarti, quorum duorum tempora auctor per Consules designat, quia sub illis vixit, scripsitque; vndè & cum ijs finem Catalogo imponit.

9. Nec sola Consulum nomina, sed nonnulla quoquè Pontificum acta ex primo Catalogo, Auctor secundi Catalogi eo modo desumpsisse videtur, vt tamen licitum sibi crediderit, ijs quandoque neglectis, aliundè acta referre. Sic quamuìs in primo Catalogo habeatur de Petro: *Passus autem cum Paulo die 3. Kalendas Iulias, Coss. suprascriptis, imperante Nerone*: & auctor Secundi Catalogi ex priori habeat: *Hic martyrio cum Paulo coronatur* ..... adiungit tamen: *qui & sepultus est via Aurelia in templo Apollinis iuxtà locum, vbi crucifixus est iuxtà Palatium Neronianum in Vaticano, inter Zeturium triumphale III. Kal. Iunias*. Quæ aliundè desumpta sunt, & errorem continent circa Kal. Iunij, cum legendum sit *III. Kal. Iulias*. Idem probatur ex actis, quæ prior Catalogus in Pio refert his verbis: *Sub huius Episcopatu frater eius Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit Angelus, cum venit ad eum in habitu Pastoris*. Quæ verba omninò transcripsit auctor secundi Catalogi, adiungens tamen: *& præcepit ei, vt Sanctum Pascha die Dominica celebraretur*. Quę aliundè

dè quoquè desumpsit. Confirmatur etiam ex ijs, quæ prior Catalogus exhibet in Pontiano: *Eo tempore Pontianus Episcopus, & Hyppolytus presbyter, exules sunt deportati in insulam nociuam Sardiniam Seuero, & Quintino Consulibus. In eadem Insula discinctus est IV. Kal. Octobris, & loco eius ordinatus est Anteros XI. Kal. Decembris, Consulibus suprascriptis.* Quæ auctor secundi Catalogi partim descripsit, partim alijs verbis retulit, partim omisit. Sic enim habet in Pontiano: *Eodem tempore Pontianus Episcopus, & Hyppolytus presbyter exilio sunt deportati ab Alexandro in Sardiniam Insulam Bucinam Seuero & Quintiano Coss. in eadem Insula afflictus, fustibus maceratus, defunctus est III. Kal. Nouembris.* Vbi licèt pleraque sint ex priori Catalogo descripta, adiuncta tamen sunt nomen Alexandri Imperatoris, & modus, quo martyrium subijt; mutatum quoquè est nomen loci, & dies XI. Kalend. Decemb. in diem III. Kal. Nouembris commutatus. Quibus accedit, quòd auctor secundi Catalogi sub Pontiano nullam mentionem faciat Antheri; vndè facilè apparet, auctorem secundi Catalogi acta quidem nonnulla ex nt aiquiori Catalogo descripsisse, non tamen eum in omnibus fuisse secutum, sed aliundè quoquè ea desumpsisse.

10. Confirmari hæc possunt ex ijs, quæ Auctor prioris Catalogi habet in Fabiano, Cornelio, & Lucio summis Pontificibus: nam quæ refert in Fabiano, partim descripsit, partim omisit auctor secundi Catalogi. Quæ prior Catalogus exhibet in Cornelio, secundus Catalogus planè omisit, & ne verbum quidem ex ijs retulit. Quæ auctor prioris Catalogi refert in Lucio, auctor secundi ferè omnia verbatim descripsit, vt conferenti vtrumque hunc Catalogum manifestè patebit. Præter hæc autem acta habet antiquior Catalogus in Marcellino: *Quo tempore fuit persecutio, & cessauit Episcopatus ann. VII. mens. VI. dieb. XXV.* Quæ secundus Catalogus sic refert: *quo tempore fuit persecutio magna ..... & cessauit Episcopatus annos sex, menses sex, dies viginti quinque, persequente Diocletiano Christianos.* In quibus verbis, quæ ad persecutionem spectant, ex priori Catalogo descripta sunt: quæ ad annos sedis vacantis pertinent, mutata sunt; quæ ad persecutoris nomen faciunt, aliundè desumpta sunt. Sequuntur demùm nonnulla acta in Iulio Primo, cuius ædificia sacra auctor prioris Catalogi recenset, quorum ne verbum quidem in secundo Catalogo. Vndè satis superque ex actis ipsis confirmatum esse putamus, quod probandum suscepimus, auctorem secundi Catalogi acta quidem nonnul-

la ex priori Catalogo descripsisse, licitum tamen sibi existimasse, ijs quandoque omissis, aliundè acta desumere, quæ quamplurima in singulis Pontificibus refert.

11. Adducit enim complura ex antiquis Sanctorum Actis desumpta, quorum aliqua licèt non ijs ipsis temporibus conscripta sint, quibus contigerunt, sæculo tamen sexto antiquiora sunt omnia, & plerunque ex Proconsularibus martyrum gestis, & veris Sanctorum Actis deducta videntur. Sic dicendum de ijs, quæ auctor huius Catalogi tradit in Alexandro I. de Euentio, & Theodulo: quæ de Valeriano S. Cæciliæ sponso refert in Vrbano: quæ de B. Lucina tradit in Cornelio: quæ de B. Laurentio narrat in Xysto, cuius martyrij Acta D. Ambrosij temporibus reperiebantur. Nec sola Martyrum Acta, sed statuta quoquè pro disciplina Ecclesię edita exhibet auctor in singulis Pontificibus: refert enim in Lino, quòd statuerit, vt mulier in Ecclesia velato capite introiret; in Xysto, quòd constituerit, vt ministeria sacra non tangerentur, nisi à ministris: in Aniceto, quòd iusserit, ne Clericus comam nutriret: in Victore, quòd statuerit, vt pascha die Dominico celebraretur: in Lucio, quòd præceperit, vt duo presbyteri, & tres diaconi in omni loco Episcopum non desererent: & sic in alijs Pontificibus, quæ nimis longum esset singula enumerare, & facilè videri possunt in ipso Catalogo, ex quo hoc vnum dumtaxat adiungam, quòd in singulis Pontificibus referat, quot ordinationes fecerint, & quot Episcopos, Sacerdotes, ac Diaconos consecrarint, incipiendo à Clemente I. in quo refert: *Hic fecit ordinationes tres, presbyteros 10. diaconos 2. Episcopos per diuersa loca 5.* In Euaristo: *Hic fecit ordinationes quatuor, presbyteros 17. diaconos 9. Episcopos per diuersa loca 15.* & ita in alijs Pontificibus vsque ad Hormisdam, in quo auctor non annotat numerum ordinationum, Diaconorum, Sacerdotum, vel Episcoporum, sed simpliciter refert. *Hic fecit ordinationes, presbyteros, Episcopos per loca.* Et in Ioanne Hormisdę Successore: *Hic ordinationes fecit per loca.* In Felice autem Ioannis successore, in quo Catalogus desinit, rursùs habet numerum his verbis: *Hic fecit ordinationes duas, presbyteros quinquaginta quinque, Diaconos quatuor, Episcopos per loca viginti nouem.* Ex quibus colligo, auctorem ex aliquo Romanæ Ecclesiæ regesto, aut monimento ante Hormisdæ tempora conscripto desumpsisse notitiam ordinationum; ideò autem neque in Hormisda, neque in Ioanne, sed solum in Felice IV. annotasse, quia desinente regesto, aut monimento, non habebat aliam hac de re notitiam, quàm quæ tempore Felicis Quarti,

ti, sub quo viuebat, ad aures suas peruenerat.

12. Atque haec quidem sufficiant de secundo Catalogo, de quo, quia sequentibus Capitibus multa alia obseruabimus, hoc loco inquirendum restat, à quonam auctore hic Catalogus, & vbinam compositus fuerit. Ac de nomine auctoris nihil mihi compertum est, cum Catalogus scriptus sit sexto saeculo, quo nemo è veteribus acta Romanorum Pontificum collegisse memoratur. Quantum tamen ex Actis ipsis colligi videtur, auctor Romae floruit, & Archiuo Apostolico forsan praepositus fuit. Quòd enim auctor Romae scripserit, indicat magna rerum Vrbis, & agri Romani notitia, quam habuit. Omnia Coemeteria, etiam quamlongissimè ab Vrbe sita, omnia sepulchra Martyrum, etiam in cryptis, & cauernis posita, omnes Ecclesias, & regiones Vrbis, omnes reliquias, & titulos, omnes vias, viarumque distantias, caetera demum omnia perspecta habuit. Quòd autem Archiuo Apostolico forsan praefectus fuerit, deduci videtur ex ijs, quae habet de Leone Magno: *Hic fecit epistolas multas exponens fidem Catholicam rectam, quae hodiè Archiuo Ecclesiae Romanae tenentur*. Et ex actis Hormisdae, in quibus auctor refert, ex mandato Iustini omnes Episcopos libello Catholicae fidei subscripsisse: *Qui textus libelli*, inquit, *hodiè Archiuo reconditus tenetur*. Quomodò enim auctor Romanum Archiuum citasset, nisi illud vidisset, eique forsan praepositus fuisset. Illa fanè, quae de singulorum Pontificum decretis, de eorum gestis, de Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum ordinationibus vbique affirmat, clare indicant, auctorem ea omnia ex regestis Archiui desumpsisse, adeò vt, si Sedis Apostolicae Bibliothecarius non fuerit, accessum ad Bibliothecam Pontificiam habuisse censendus sit.

CAPVT QVINTVM.

De Libro Pontificali.

1. *Liber Pontificalis primùm à Petro Crabbe Tomis Conciliorum insertus, saepiùs deindè à Baronio citatus in Annalibus, typis demùm Moguntiae anno 1602. integrè excusus est.*

2. *Post Moguntinam editionem prodijt Parisiensis Annibalis Fabrotti, qui ei variantes lectiones ex quinque M. SS. codicibus subiecit, quorum duo in Bibliothecis Germaniae, tres in Galliarum Bibliothecis extant.*

3. *Opus, quod Annibal Fabrottus se incorrectum reliquisse fatetur, Lucas Holstenius ex Codicibus Vaticanis, Regijs, Medicaeis, Cassinensibus, & Farnesiano omnium antiquissimo corrigendum suscepit; eiusque verba de M. SS. Codicibus, quibus vsus est, adferuntur.*

4. *Ex Codice Farnesiano adducitur fragmentum vitae Sergij II. hactenùs ineditum, & variantes lectiones ex Autogra-*

pho Holsteniȝ exhibentur.

5. *In libro Pontificali additæ sunt complures donationes piæ, Basilicis Vrbis factæ.*

6. *Complura quoquè Martyrum Acta, inter quæ licèt nonnulla ex monumentis dubijs desumpta sint, illa tamen ab antiquiori æuo, & quandoque à primis Ecclesiæ seculis extitisse constat.*

7. *Acta Pontificum à Petro Apostolo vsque ad Constantinum Papam breuiora, à Constantino vsque ad Stephanum Sextum ampliora sunt, adeò vt totam fermè historiam Ecclesiasticam comprehendant.*

1. POstquàm egimus de duobus antiquioribus Catalogis Romanorum Pontificum, restat, vt de libro Pontificali tractemus, quem primus ex M.SS. codicibus eruisse videtur Petrus Crabbe, qui eum editioni Conciliorum Coloniensi anni 1538. inseruit hoc titulo: *Liber Pontificum à Petro Papa vsque ad Nicolaum Papam I. in quo eorum gesta describuntur, primorum per Damasum Papam, reliquorum autem per alios veteres, ac fide dignos.* Vitas primorum Pontificum à Petro vsque ad Liberium citat ex libro Pontificali Damasi, reliquorum verò à Damaso vsque ad Leonem Tertium citat *ex libro Pontificali*. Cuius vestigijs inhærentes Laurentius Surius, & qui Surium subsecuti sunt, Conciliorum compilatores, Romanorum Pontificum vitas sparsìm collectioni Conciliorum inseruerunt, vti & Annalibus plura libri Pontificalis fragmenta inseruit Baronius, qui cum ex M. SS. Codicibus libri istius lectiones frequenter emendasset, occasionem præbuit auctori præfationis, quæ libri huius editioni Moguntinæ anno 1602. typis Ioannis Albini publici iuris factæ præponitur, asserendi: *Quòd variæ lectiones vel ex duobus Conciliorum Tomis Surianæ editionis, vel ex Annalibus Baronianis, in quibus verba Anastasiȝ passim in singulis Pontificibus, paucis prætermissis citantur, sunt desumptæ.* Porrò Anastasiȝ mentionem facit, quia sub nomine illius librum Pontificalem ediderat, hoc illi præfixo titulo: *Anastasiȝ S.R.E. Bibliothecariȝ historia de vitis Romanorũ Pontificum à B. Petro Apostolo, vsq; ad Nicolaum I. numquã hactenùs typis excusa. Deindè vita Hadriani II. & Stephani VI. auctore Guillelmo Bibliothecario ex Bibliotheca Marci Velseri Augustanæ R. P. II. viri.*

2. Quòd si quisquam petat, qua ratione editio Moguntina anni 1602. vocetur prima huius libri Pontificalis editio, cum ante tot annos eum edidisset Crabbe in editione Conciliorum Coloniensi; facilis est huius quęstionis responsio, quòd nimirum Crabbe hunc librum Pontificalem neq; integrũ, neque vno, & continuo contextu edidisset, prout ex M. S. Codice Marci Velseri Triumuiri Augustani prodijt addito nomine auctoris, qui Anastasius Bibliothecarius supponitur, sub quo nomine Annibal Fabrottus anno 1648. in fol. typis regijs eumdem librum Ponti-

ti-

tificalem edidit cum plerisque varijs lectionibus, quas ex varijs M. SS. Codicibus desumptas operi subiecit. Ac primò quidē ex binis M. SS. Codicibus Marquardi Freheri, quorū alter in Leone IV. alter in Stephano VI. desinit. Deindè adiungit alias variantes lectiones ex duobus Codicibus, Regio nimirùm, & Mazarino, quorum vltimus hunc titulum præfert: *Incipit Series Pontificum Romanorum, qui in Sede B. Petri Apostoli ab ipso vsque ad hoc tempus sederunt*. Refert autem inter alia ex his duobus Codicibus in Syluestro fragmentum donationis Constantini satis amplum, quod in nullis alijs libri Pontificalis Codicibus hucusque reperi. Vndè conieci, librum in illis codicibus interpolatum esse, eosque recentiori manu conscriptos fuisse, qua in re confirmatus sum ex ijs, quæ Annibal Fabrottus annotauit circa finem harum lectionum de Romanorum Pontificum vitis, quas continent *vsque ad Martinum V*. Antiquior proindè est Codex Thuanus, cuius variantes lectiones prædictis subiecit cum hoc Codicis titulo: *Incipit liber Episcopalis, in quo continentur Acta B. Pontificum Vrbis Romæ*. Mutilus est, & desinit in Stephano Quarto, vt Annibal Fabrottus fatetur in fine, præfatus initio operum Anastasij, hunc librum Pontificalem mendis scatere. *Auctorem hunc mendis scatere non inficior*, inquit, *& fortasse præstabat paucorum eum manibus teri, quàm denuò cum tot mendis prodire. Sed omninò melius est, etiam inemendatis auctoribus frui, quàm eis penitùs carere. Interim dum melior editio curetur, varias lectiones ex tribus Codicibus veteribus excerptas adiecimus, quorum ope sine dubio castigatior editio poterit adornari. Vsi autem sumus regio Codice, & Mazarino, quo Gabriel Naudæus præcellentis doctrinæ vir, Eminentissimi Cardinalis Bibliothecam auxit. Vterque autem videtur ab eodem exemplari manasse: in paucis enim inuicem differunt. Contuli etiam cum codice Thuano, antiquissimo illo quidem, sed scribæ librarij inscitia in multis haud satis emendato.*

3. Cum ex prædictis Annibalis Fabrotti verbis manifestè appareat, editiones libri Pontificalis ad suum vsque tempus mendis repletas fuisse, & meliorem editionem ex M. SS. Codicibus curari posse; curam hanc in se susceperat vir doctissimus, prædecessor quondam meus Lucas Holstenius, qui Anastasij historiam de vitis Romanorum Pontificum editionis Moguntinæ cum præstantissimis totius Italiæ M. SS. Codicibus contulit, vt illam correctiorem, emendatioremque ederent. Autographum Holstenij ex libris Moroni emptum in Bibliotheca Vaticana reposui, in cuius primo folio manu Holste-

nij

nij annotata sunt sequentia: *De M. SS. Codicibus, ad quos Anastasium contulimus. Quæ à principio libri vsque ad paginam 53. atramento notata sunt in margine, variæ lectiones sunt ex Codice M. S. Vaticano, qui fuit sacri Monasterij Casinensis, vel ex Sanctuario Mombritij, vel etiam collectione Canonum Anselmi Lucensis, quæ manuscripta extat in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Barberini. Quæ minio notata à principio vsque ad eandem paginam 53. sunt variæ lectiones optimi Codicis manuscripti Florentini, ex Bibliotheca Conuentus S. Marci. Indè pagina 54. incipiunt collationes M. S. Farnesiani scriptis litteris maiusculis, quo nihil antiquius extare puto in hoc genere, & codex haud dubiè ante natum Anastasium scriptus fuit, vel sanè eo tempore, quo ipse Anastasius vixit. Et quia collationes Farnesiani Codicis minio scriptæ sunt vsque ad paginam 63. hoc est vsque ad Bonifatium IV. idcircò ad distinguendum codicum diuersorum lectiones, à pagina 54. vsque ad 63. collationes Codicis Florentini atramento notaui. Indè à pagina 63. vsque ad 72. ad vitam S. Eugenij, Farnesianæ collationes atramento, Florentinæ minio notatæ sunt. Iterum à pagina 72. vsque ad paginam 107. vbi incipit vita Zachariæ PP. Farnesiana minio, Florentiniana atramento collata sunt. Pag. 107. vita Zachariæ in Farnesiano desideratur, collationes ex Florentino Codice minio notatæ sunt vsque ad paginã 115. vbi Farnesianus iterum incipit. Vbi iterum Florentinæ lectiones atramento notantur vsq; ad paginam 136. indè rubro vsq; ad mediam paginam 138. Indè enim iterum atramento notantur vsque ad principium paginæ 143. nam indè vsque ad paginam 158. Florentini Codicis lectiones signantur rubro, atque ibi in vita Hadriani desinit. Habui deindè alium Codicem manuscriptum Longobardicum, antiquissimum ex eadem Bibliotheca Conuentus S. Marci multò vetustiorem priore, eius lectiones atramento notaui, vbi cum Farnesiano, & Florentino 1. conuenit, lectiones dictorum codicum linea nigra subduxi, qua huius optimi codicis consensus notatur: sed vbi peculiare quid habet, atramento signaui, apposita nota Fl. 2. hoc est Florentinus Codex 2. Definit autem codex iste in Leone II. pag. 80. Prætereà mutilus est à pag. 47. vsque ad pag. 58. Cum hoc Codice Florentino 2. in omnibus fermè consentit Cod. Vatic. 5269. qui desinit in Gregorio II. Huius Codicis notæ sunt Vatic. minor, vel V. M.*

4. Fideliter hucusque retuli, quæ Lucas Holstenius initio annotauit, ex quo nemo non videt, quàm immensi laboris opus vir æterna memoria dignus ex præstan-

stantissimis Vaticanæ, Regiæ, S. Marci Florentinæ, Cassinensis, & Farnesianæ Bibliothecarum Codicibus inchoauerit, & morte præuentus nobis imperfectum reliquerit, ex quo, ne tantus labor pereat, post hanc Dissertationem librum Pontificalem à B. Petro vsque ad Felicem Quartum edemus, cętera relinquentes ijs, qui integro libro Pontificali edendo animum intendunt. Sunt enim complures post Felicem Quartum lectiones, quæ ad corrigendum opus illud facere possunt. Sunt etiam quædam fragmenta in vita Sergij Secundi, quæ ex antiquissimo codice Farnesiano in fine retulit, ex quibus pro specimine sequentia referimus. In vita namque Sergij II. post illa verba: *Quòd nullus Pontificum per tot annorum curricula ad tanti decoris speciem perducere arbitratus est.* Sequitur in M. S. Farnesiano: *Hic sanctissimus Præsul formam, quæ Iouia vocatur, quæ per euoluta annorum spacia demolita, atque à ruinis plena existebat, prospiciens, sicut benignus, & pius pastor à nouiter eã restaurauit: & tanta aqua abundanter præfulsit, qua penè totam Ciuitatem satiauit. Huius temporibus fluuius, qui appellatur Tiberis, alueum suum egressus est, & per campestria dedit. Intumuit etiam inundatione aquarum multarum per Indict. octauam mensis Nouembris die XXII. quod agebatur Sabbatum Natalis Sanctæ Cæciliæ Martyris, & ingressus est per posterulam, quæ appellatur Sanctæ Agathæ, in Romanam Vrbem, hora prima diei. Transcendit intereà in aliquibus locis, & muros Vrbis, & egressus est in Ecclesiam B. Laurentij, quæ appellatur Lucinæ, & exinde ingressus est ad Beatam, semperque Virginem Dei Genitricem, quæ posita est in Via lata: & indè transiuit ad Beatum Marcum, per plateas se extendit, agros desertauit, eradicans arbusta. Huius hora noctis aquam amouit, & fluuius ad proprium suum regressus est alueum &c.*

5. Atque ex his quidem patet, quo in pretio habendæ sint variæ illæ lectiones, & fragmenta ex M. SS. Codicibus à Luca Holstenio excerpta; cumque omnia edere, ad institutum nostrum minimè pertineant, à reliquis recensendis abstinebimus, & ad ipsum librum Pontificalem redeuntes nonnulla obseruabimus, quæ ad rem nostram magìs faciunt. Ac illud in primis notatu dignum ducimus, librum Pontificalem vltrà Pontificum Acta à secundo Catalogo exhibita continere quàmplura alia, vt inter alia videre est in Clemente, Cornelio, & Marcello Pontificibus. Quæ autem in Syluestro adduntur, longè clariùs monstrant id, quod probandum suscepimus. Acta enim S. Syluestri sunt triplò ampliora, quàm illa, quæ exhiben-

bentur à secundo Catalogo. Consistunt autem præcipuè in donationibus pijs, quas Constantinus fecit pro Vrbis, & agri suburbani Ecclesijs. Post Syluestrum frequenter addita sunt ab auctore libri Pontificalis, quæ à Pontificibus Romanis oblata sunt Vrbis Ecclesijs, & Basilicis. Sic in Damaso Papa, Innocentio, Bonifacio I. Sixto III. Leone I. Hilaro, Simplicio, Symmacho, & reliquis Pontificibus eorumdem successoribus, vt quisque ex ipso libro Pontificali facilè videbit.

6. Præter donationes verò in libro Pontificali continentur plura Martyrum Acta, inter quæ licèt nonnulla supposititia sint, antiqua tamen, & primis Ecclesiæ sæculis conscripta videntur. Sic in Clemente citatur quidem epistola eius ad Iacobum, illa tamen, licèt Clementis non sit, ei ante Eusebij tempora tributa fuit. In Marcellino mentio fit eius lapsus, & pœnitentiæ, quæ quamuis desumpta sint ex Actis antiquissimis Concilij Sinuessani, Acta tamen illa ante Isidori Mercatoris ætatem concinnata fuerunt. In Eusebio mentio fit inuentionis S. Crucis opera Cyriaci Iudæi, quæ licèt desumpta sint ex Actis à Gelasio Papa reiectis, Gelasij tamen ætate antiquiora sunt. Pauca quædam alia narrantur de Pontificum martyrijs, quæ licèt ex Actis interpolatis excerpta sint, Acta tamen semper reperientur ab antiquioris æui auctoribus conscripta fuisse, vt quæ de Pontij, aliorumque nonnullorum Martyrum Actis vidimus Dissertatione II. superius adducta. Reliqua omnia ex sinceris, & minimè interpolatis Martyrum Actis, vel ex publicis Notariorum Sedis Apostolicæ tabulis, vel ex probatorum scriptorum operibus desumpta sunt.

7. Omitto Acta ipsa Romanorum Pontificum, in quibus à Petro Apostolo vsq; ad Constantinum Papam recensendis, auctor libri Pontificalis breuiter se expedire solet. A Constantino autem Papa, vsque ad Stephanum Sextum adeò diffusus est, vt meritò dici possit totam historiam Ecclesiasticam sub istorum Pontificũ vitis comprehendisse: exhibet enim quæcumque Romæ, quæcumque in Italia, quæcumque in Europa, & Oriente ipso acta sunt in rebus Ecclesiasticis ab Imperatoribus. Sic in Constantino narrantur, quæ Constantinopoli contigerunt. Sub Iustiniano, & Philippico in Gregorio Secundo, quæ contra Agarenos; in Hispania à Gallis; Constantinopoli à Leone Principe peracta sunt. Describit Longobardorum inuasiones, Francorum pro Ecclesia bella, aliaque quamplurima, quæ vix alibi reperire est adeò exactè, adeò clarè descripta. Desinit in Stephano Sexto cum illis verbis: *Eos de Cœlo auxilium petere debere contra flagellum imminens,*

& mox læta. Cætera desiderantur: vndè patet, vitam hanc esse mutilam, & aliquid desiderari in libro Pontificali, quod ex integriori exemplari suppleri poterit.

CAPVT SEXTVM.

An liber Pontificalis à Damaso Papa conscriptus sit?

1. Duæ epistolæ Damasi Papæ, & Hieronymi presbyteri in M. SS. Codicibus libro Pontificali præpositæ sunt. Vndè à nonnullis liber Pontificalis Damaso Papæ tribuitur.

2. Damasum non esse auctorem libri Pontificalis, D. Hieronymi auctoritate ostenditur, & ex omnibus Scriptorum testimonijs comprobatur, qui post Bedam librum Pontificalem sine vlla Damasi mentione citarunt.

3. Adducuntur S. Anselmi Lucensis, & Card. Deusdedit loca ex gestis Damasi citata, quæ tamen non ex libro Pontificali Damaso Papæ tributo, sed ex specialibus Damasi gestis per Mombritium editis, desumpta sunt, & nihil faciunt ad præsentem quæstionem.

4. Neque M. SS. Codices Vaticani, quibus liber Pontificalis continetur, Damasum auctorem habere potuerunt, eò quòd plurium Damasi successorum vitas contineant, vnde tertij Codicis scriptor expressè notauit, Damasum non potuisse nisi vsque ad sua tempora scribere.

5. Petri Lambecij sententia adfertur de priori libri Pontificalis parte à Notarijs Apostolicæ Sedis, diuersis quidem temporibus, sed eodem stylo conscripta, & à Damaso Papa in tabulis Vaticanis reperta, ac ad Hieronymum transmissa.

6. Lambecij sententia examinatur, & ostenditur, quòd Notarijs Apostolicæ Sedis tanquam auctoribus prior libri Pontificalis pars tribui non possit.

7. Neque à Damaso Papa probata fuit, vt ex pluribus, quibus scatet, erroribus, & ex styli ruditate, ac vniformitate à Petro vsque ad eos, qui septimo sæculo sederunt, monstratur.

1. CVM superiori capite monstrauerimus, antiquiorem Catalogum non esse illum, cuius mentio in epistolis Hieronymi, & Damasi Papæ reperitur: inquirendum est hoc capite, an forsan de libro Pontificali in prædictis litteris agatur. Rationem dubitandi præbent plerique Codices manuscripti, in quibus hæ duæ epistolæ libro Pontificali præponuntur. Sic libro 2. Commentariorum testatur Lambecius, quòd sub numero 277. asseruetur in Bibliotheca Cæsarea *volumen membranaceum peruetustum, magnique pretij in 4. quo continetur historia Romanorum Pontificum, quæ vulgò quidem Anastasio Bibliothecario tribuitur, in hoc autem, & alijs quatuor Bibliothecæ Cæsareæ Codicibus M. SS. adscribitur S. Damaso Papæ, nempe propter præfationis loco illi præfixas epistolas, quarum vna incipit: Beatissimo Papæ Damaso Hieronymus. Gloriam Sanctitatis tuæ nostra humilitas deprecatur. Et secunda: Damasus Episcopus Vrbis Romæ Hieronymo, Gaudet Ecclesia tuo fonte satiata,*

Propter has igitur duas epistolas (pergit ibidem Lambecius) *quæ non solùm in iam memoratis augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ, verùm etiam aliarum illustrium Bibliothecarum Codicibus quibusdam M. SS. historiæ isti de vitis Pontificum Romanorum præfixæ sunt, creditum à nonnullis est, omnium illarum vitarum, quæ eo opere continentur à S. Petro Apostolorum Principe vsque ad Sanctum Damasum, ipsum Sanctum Damasum esse authorem.*

2. Quamuis autem Lambecius hanc quorumdam opinionem proponat, rectè tamen obseruat, complures illi contradicere tum ob alias rationes, tum ob eam præcipuè, quòd D. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis opera Damasi Papæ recensens, nullam libri Pontificalis mentionem faciat: *Damasus*, inquit, *Romanæ Vrbis Episcopus, elegans in versibus componendis ingenium habuit, multaque, & breuia opuscula heroico metro edidit, & propè octogenarius sub Theodosio Principe mortuus est.* Hùc etiam accedit, quòd nemo librum Pontificalem Damaso tribuerit ex omnibus illis, qui eum citarunt à Venerabilis Bedæ temporibus vsque ad posteriora hæc sæcula. Vt enim omittamus tempora, quæ inter Damasum Papam, & Venerabilem Bedam media sunt, quibus apud nullos scriptores libri Pontificalis mentio reperitur, Beda primus, quod sciam, mortalium, citauit in Martyrologio suo ad 8. Idus Augusti nonnulla de morte Sixti *ex gestis Pontificalibus*, quæ nec Damaso, nec alicui particulari auctori tribuit. Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, qui sæculo nono scripsit, epistola 28. ad Nicolaum Primum, huius libri sub titulo *libri Episcopalis* meminit, quem nulli planè auctori adscribit. Rodulphus presbyter, qui eodem tempore cum Hincmaro Rhemensi vixit, in vita Rabani Abbatis per Brouuerum lib. 5. inter Antiquitates Fuldenses edita, quædam de reliquijs Sanctorum *ex gestis Pontificalibus* citauit, sed nequaquàm ea Damaso tribuenda esse dixit. S. Iuo Carnotensis Episcopus sæpiùs parte 4. Decreti librum Pontificalem citat, sed nullibi eum à Damaso auctore conscriptum fuisse prodit. Titulus capitis 94. est iste: *De Libris Gelasij ex libro Pontificali.* Titulus capitis 124. *Item de confirmatione Sextæ Synodi ex libro Pontificali.* Romualdus, qui à Luca Holstenio presbyter, ab alijs Salernitanus Episcopus dicitur, in historia, quæ manuscripta Romæ asseruatur, hunc librum simpliciter *Pontificalem* vocat: *Vt*, inquit pagina 80. *in Pontificali legitur.* Et vt finiam, Laborans Cardinalis in compilatione decretorum hactenùs non edita, quæ in Archiuo Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, cui

cui hæc scribens præpositus sum, reperitur, bis mentionem facit huius libri, cui titulum *gestorum Pontificalium* tribuit: parte enim 2. cap. 10. Gesta Pontificalia citat, & parte 11. cap. 6. *ex Gestis Romanorum Pontificum. Agatho natione Siculus &c.* Vbi videre licet, Laborantem Cardinalem nulli auctori tribuisse librum, quo gesta Romanorum Pontificum continentur.

3. Ea Damaso Papæ tributa esse à S. Anselmo Lucensi, aliquandiù credidi, eò quòd libro tertio Decreti, quod manuscriptum reperitur in Bibliotheca Barberina, legatur: *De Liberio Papa, & admonitione eius: ex gestis Damasi Papæ tit. 120. Iratus est vehementer Constantius Imperator contra Liberium, & iussit eum extra Ciuitatem habitare. Habitabat autem ab Vrbe Roma milliario tertio quasi exul in cœmiterio ..... via Salaria. Veniente autem die Paschæ vocauit vniuersos presbyteros Romanos, & diaconos, & sedit in eodem cœmiterio, & dixit: Nolite timere, quia vobiscum non habito in Ciuitate, habetis Vicarium nostrum fratrem, & Compresbyterum Damasum, cuius testimonium vos mihi perhibuistis.* Et paulò post: *Domini sancti, & Compresbyteri, nolite cogitare de crastino, sic enim dixit Magister noster.* Eadem omninò habet Cardinalis Deusdedit in manuscripta Collectione Victori III. nuncupata, cuius vnicum, vt puto, exemplar in Bibliotheca Vaticana asseruatur. Libro enim 2. capite 26. cum in margine auctor Collectionis notasset: *ex gestis Damasi Papæ*, ponit textum vt Anselmus Lucensis his verbis: *Liberio vehementer Constantius Imperator iratus est; & iussit eum extra Ciuitatem habitare &c.* Hæc enim cum primo intuitu legissem, credidi, à duobus his scriptoribus ex libro Pontificali testimonium adferri, illumque librum Damaso Papæ ab ipsis tribui. Verùm vbi prædictum testimonium in libro Pontificali nullatenus reperi, errorem meum animaduerti, & nequaquam hic librum Pontificalem, sed vitam, seu gesta Damasi Papæ, quæ à Mombritio ex antiquis M. SS. Codicibus edita sunt, citari cognoui. Non tribuit itaque Beatus Anselmus gesta Romanorum Pontificum Damaso Papæ, & librum Pontificalem ibi non citauit, idque manifestum fit ex titulo 121. *De exilio Liberij Papæ, & Felice eius consilio ordinato ex Pontificali.* Testimonium enim, quod hac de re exhibet, in libro Pontificali reperitur, quem vt ex titulis ipsis apparet, à gestis Damasi distinguit, prout etiam distinxit Cardinalis Deusdedit, qui libro 2. num. 75. *ex Romano Pontificali* plura Pontificum decreta refert, quæ omnia in libro Pontificali reperiuntur, quem nequaquam Damaso tri-

buendum esse, affirmat.

4. Cum ex prædictis sufficienter constet, ab antiquis scriptoribus librum Pontificalem nequaquam Damaso Papæ tributum fuisse; videndum nunc est de manuscriptis eiusdem libri Codicibus, an in ijs liber ille Damaso inscribatur. Reperiuntur in Bibliotheca Vaticana tria huius libri exemplaria, quorum alterum sub numero 3762. custoditur. Vbi exhibitis folio 1. suprà citatis Damasi & Hieronymi epistolis, subnectitur hic titulus: *In nomine Domini incipit series Pontificum Romanorum, qui in Sede B. Petri Apostoli ab ipso vsque ad hoc tempus sederunt.* Exhibet autem vitas vsque ad Honorium III. qui anno 1131. decessit, ita vt hìc Pontifices reperiantur, qui per 700. annos post mortem Damasi sederunt, adeòque Damasus nequaquàm huius libri Pontificalis auctor esse possit. Secundum exemplar sub num. 5269. pagina 49. post prædictas litteras refert Catalogum Romanorum Pontificum à Petro vsque ad Gregorium II. illorumque vitas sine vllo titulo subnectit, quia optimè cognouerat tabellarius, Damasum auctorem esse non potuisse Pontificalis huius libri, qui tot Pontifices à morte Damasi vsque ad Gregorium Secundum adiungit. Tertium autem exemplar sub num. 3763. Romanorum Pontificum vitas à Petro ad Martinum Quintum prosequitur, ac folio primo quidem duas præfatas epistolas ponit, sed hoc titulo eis præfixo: *Liber iste intitulatur, Damasus de gestis Pontificum: sed cum non potuerit nisi vsque ad sua tempora scribere, quod superadditum est, alterius est auctoris, cuius nomen non teneo.* Notanda sunt Codicis verba: licèt enim auctor illius manifestè affirmet, librum Pontificalem, quo vitæ Romanorum Pontificum à Damaso vsque ad Martinum V. continentur, Damaso Papæ adscribi non posse; indicare tamen videtur, vitas Pontificum à D. Petro vsque ad Liberium Damasi prædecessorem à Damaso ipso fuisse conscriptas. Quam opinionem quodammodo amplexus est Petrus Lambecius libro 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareę, capite 8. vbi sub numero 277. mentem suam explicat sequentibus verbis.

5. *Verisimile*, inquit, *mihi videtur, primam historiæ istius de Vitis Pontificum Romanorum originem non tantùm S. Damaso multò esse antiquiorem, verùm etiam indè à prima Notariorum S. Sedis Apostolicæ per S. Papam Clementem institutione deriuandam, & repetendam esse. Cum enim horum Notariorum præcipuum munus fuerit, gesta Sanctorum Martyrum sollicitè, & curiosè perquirere, & diligenter annotata in Ecclesia recondere; simul etiam tunc necessariò cœperunt scribi Vitæ Roma-*

manorum Pontificum instar simplicis alicuius Catalogi, quò compendiosè indicaretur cuiusque nomen, patria, pater, tempus Pontificatus, ordinationes, constitutiones, obitus, ac sepultura, & cessatio Episcopatus vsque ad successionem noui Pontificis. Post libertatem autem Ecclesiæ Christianæ ab Imperatore Constantino Magno promulgatam, vti paulatim creuit Ecclesiæ Romanæ splendor, & opulentia, sic etiam Catalogus ille euasit amplior, & grandior. Quoniam præter suprà enarrata inseri etiam illi cœperunt, quasi cuidam rationario, exstructiones, instaurationes, & exornationes templorum, aliorumque locorum sacrorum vnà cum speciali recensione omnis sacræ supellectilis, omniumque donationum tam mobilium, quàm immobilium, cum suis redditibus. Hic ergo Catalogus, qui licet diuersis temporibus, & à diuersis auctoribus componeretur, ordine tamen, & stylo, vt in aliarum solemnium tabularum continuatione plerumque fieri solet, vbique sibi erat similis, latuit reconditus in Tabulario, siue Archiuo Basilicæ Vaticanæ S. Petri Apostolorum Principis vsque ad Pontificatum S. Damasi, à quo cum S. Hieronymus per suprà exhibitam epistolam petijsset, vt acta Pontificum Romanorum à S. Petro, vsque ad sua tempora sibi enarret; curauit is antiquam istam historiam Pontificalem ex tabulis Vaticanis describi, & Roma mitti Hierosolymam, ideoque eam in responso suo ad S. Hieronymi epistolam non appellat studium suum, sed Sedis Apostolicæ studium. Sic enim reuerà interpretanda sunt hæc verba: Tamen, quod gestum est, quod potuimus reperire nostræ sedis studium, ad tuam Charitatem gaudentes direximus. *Ipse igitur S. Damasus non composuit historiam illam Pontificum Romanorum, sed studio Sanctæ sedis Apostolicæ inde à S. Clementis Primi temporibus ex diuersorum annotationibus paulatim conflatam, publici tantùm fecit iuris, & cum Sancto Hieronymo communicauit.*

6. Plura sunt in hac Lambecij sententia, quæ ad trutinam reuocari merentur, vt de auctore libri Pontificalis manifestè constare possit. Quamuis enim Lambecius verè asserat, primam historiæ de Vitis Romanorum Pontificum originem S. Damaso multò esse antiquiorem, & à Notariorum S. Sedis Apostolicæ institutione deriuandam, repetendamque esse; probare tamen non possum, quod subiungit his verbis: *Cum enim horum Notariorum præcipuum munus fuerit gesta Sanctorum Martyrum sollicitè, & curiosè perquirere, & diligenter annotata in Ecclesia recondere, simul etiam tunc necessariò cœperunt scribi Vitæ Romano-*

rum Pontificum instar simplicis alicuius Catalogi, quo compendiosè indicaretur, cuiusque nomen, Patria, pater, tempus Pontificatus, ordinationes, Constitutiones, obitus, ac sepultura, & cessatio Episcopatus, vsque ad successionem noui Pontificis. Cum enim fatente Lambecio horum Notariorum præcipuum munus fuerit, gesta Sanctorum Martyrum sollicitè, & curiosè perquirere, & diligenter annotata in Ecclesia recondere, sequitur omninò, hos Notarios præcipuam operam in describendis Romanorum Pontificum Martyrijs impendisse, & Acta illa in Romana Ecclesia reposuisse, adeoque initio Ecclesiæ non simplicem, & breuem aliquem Catalogum, sed integram Pontificum Martyrum historiam exaratam fuisse, quæ sub Diocletiano forsan deperdita fuit, vix enim eius memoria apud posteros relicta est, apud quos tamen remansit breuis quidam Catalogus Romanorum Pontificum, qui non à Damaso, sed ab homine priuato tempore Liberij Papæ Damasi prædecessoris conscriptus fuit, vt capite præcedenti perspicuè ostendimus. Ille autem Catalogus est, & non alius, qui successu temporum varijs notitijs auctus fuit, & tempore Iustiniani Imperatoris in illud opusculũ excreuit, de quo sub secundi Catalogi titulo egimus. Probare itaque non possum, quod dicit Lambecius, Notariorum Catalogum tempore Cõstantini Magni varijs actis, & gestis augeri cœpisse, & in Archiuo Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe repositum fuisse, ex quo eum vsque ad Liberij Pontificatum à varijs auctoribus deductum Damasus Papa desumpsit, & descriptum Roma Hierosolymam ad Hieronymum misit.

7. Sanè inter rationes euidentes, quas sibi obstare ipse Lambecius cognouerat, prima quidem illa est, quòd historia ipsa multis chronographiæ erroribus, & nonnullis incertis assertionibus referta sit: vt facilè probari potest ex ijs, quæ præcedenti capite de antiquioribus Catalogis diximus, quos auctor Pontificalis adeò manifestè secutus est, vt eos descripsisse, & in vsum suum assumpsisse cognoscatur. Vndè eadem ratio, ob quam Anthero priorem partem antiqui Catalogi, & Damaso posteriorem abiudicauimus, demonstrat, librum Pontificalem Damaso Papæ tanquam auctori, vel approbatori abiudicandum esse. Secunda verò ratio, ob quam Lambecij opinionem admittere non possumus, ex stylo, eiusque vniformitate desumitur: cum enim stylus incultus, rudis, & impolitus sit, primorum Ecclesiæ sæculorum ætatem, qua Latinæ linguæ elegantia excellebat, nequaquam sapere videtur: cumque vniformis sit in omnibus Pontificum Vitis à S. Petro Apostolo, vsque

ad

ad eos, qui sexto, vel septimo sæculo sederunt, omninò colligitur, nequaquam à diuersis, sed ab vno, eodemque auctore, qui posterioribus sæculis vixit, scripsitque, fuisse compositum. Atque hoc omninò in causa fuit, quod communi recentiorum sententia liber Pontificalis Anastasio Bibliothecario noni sæculi scriptori tributus fuit, vt statim videbimus. Neque igitur licebit mihi admittere, quod Lambecius his verbis adiungit: *Hic ergo Catalogus, qui licèt diuersis temporibus, & à diuersis auctoribus componeretur, ordine tamen, & stylo, vt in aliarum solemnium tabularum continuatione plerumque fieri solet, vbique sibi erat similis*: Quamuis enim idem omninò stylus seruari possit in illis tabulis, quæ vix vnum, aut aliud verbum continent, vt in fastis Consularibus, in Sedium Patriarchalium tabulis, Romanorum Imperatorum Catalogis, mortuorum diptychis, & similibus, quibus vix quidquam præter nomina exhibentur; in illis tamen tabulis, quæ vltrà nomina Pontificum acta plurima exhibent, vt in libro Pontificali, vix possibile est, à diuersis auctoribus eumdem stylum seruari, vt cuique perito manifestius patere existimo, quàm quòd in hac veritate comprobanda tempus teram, & Lectoribus prolixitate sermonis tædium adferam.

CAPVT SEPTIMVM

An Liber Pontificalis Anastasio Bibliothecario tribuendus sit?

1. Velseri, Bellarmini, & Onuphrij Panninij sententia, quòd liber Pontificalis tribuendus sit Anastasio Bibliothecario.

2. Baronij, & Holstenij sententia, quæ liber Pontificalis Anastasio tanquam auctori abiudicatur, tribus modis probari posse videtur.

3. Primò ex eorum testimonijs, qui vel cum Anastasio, vel ante eum scripserunt, & tamen sine Anastasij nomine libri Pontificalis mentionem faciunt, vt Rodulphus presbyter, Hincmarus Rhemensis, auctor libri Ritualis Carolo Magno tributus, & Venerabilis Beda.

4. Idem confirmatur eorum testimonijs, qui post Anastasium scripserunt, & librum Pontificalem absque Anastasij mentione citarunt, vt Anselmus Lucensis, Cardinalis Deusdedit, & Iuo Carnotensis, Romualdus, Laborans Cardinalis, & Bernardus Papiensis Præpositus.

5. Demùm ex eo, quòd licèt aliqui priorem partem Damaso Papæ, nemo tamen ante hæc vltima sæcula repertus sit, qui posteriorem partem Anastasio tribuerit, vt probatur testimonijs Martini Poloni, & Zenonis Patauini Episcopi.

6. Secundò probatur auctoritate M.SS. Codicum, qui antiquitate sua Anastasij ætatem superant, & tamen librum Pontificalem continent.

7. Tertiò probatur, ex diuersitate styli, ex qua Lucas Holstenius rectè collegit, vltimam libri Pontificalis partem à diuersis Auctoribus conscriptam fuisse, adeòque vni Anastasio tribui non posse, quamuis id nonnulli recentiores existimarint.

1. Cum

1\. CVm pateat ex ijs, quæ superiori capite diximus, librum Pontificalem nequaquam Damaso Papæ, tribui posse, hoc Capite inquirendum est, num Anastasio Bibliothecario tribuendus sit. Sic enim habet Marcus Velserus in præfatione ad Librum Pontificalem, quem anno 1602. sub nomine Anastasij Bibliothecarij edidit: *Quia stylus, totaque scribendi ratio, quæ est in vitis prioribus Damaso hactenus inscriptis (vti quiuis non obesæ naris lector facilè odorari, & aduertere poterit) prorsus in eam sententiā inclinamus, omnium illarum, licèt nonnullis in locis adulteriua aliorum adiectione, vel detractione ob summam superiorum sæculorum inscitiam deprauatæ sint, verum & Germanum Parentem esse Anastasium S. R. Ecclesiæ Bibliothecarium, quare eius nomenclatura totum opus ornare non dubitauimus.* Et cum Velsero Bellarminus libro de Scriptoribus in Damaso: *Tribuitur S. Damaso liber de Vitis Pontificum, qui extat in primo tomo Conciliorum; sed liber ille est Anastasij Bibliothecarij, non Damasi, vt notum est.* Et in Anastasio Bibliothecario: *Scripsit Vitas Pontificum Romanorum à S. Petro vsque ad Nicolaum Primum.* Et ante Bellarminum Onuphrius Panuinius in notis ad Platinam, in vita Nicolai Primi: *Anastasius Monachus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius vsque ad Nicolaum Primum, Romanorum Pontificum vitas, quæ adhuc apud me sunt, scripsit, sub quo, & eius Successoribus Hadriano II. & Ioanne VIII. in Vrbe floruit. Quæ sequuntur, concinnauit Guilielmus quidam alter Bibliothecarius, quæ in libro, qui sub Damasi nomine circumfertur, extant.* Atque hæc quidem viri illi eruditi, quorum sententia à cæteris minimè probatur.

2\. Eminentissimus namque Cardinalis Baronius ad annum Christi 867. agens de Anastasio Bibliothecario scribit: *Collectorem potiùs, quàm Scriptorem vitarum præteritorum Pontificum Romanorum affirmamus.* Et qui post Baronium scripsit eruditus Holstenius in illo Anastasiani Operis exemplari, quod ad præstantissimos Codices Bibliothecæ Vaticanæ, Regiæ, Mediceæ, Farnesianæ, & Cassinensis recensuit, agens de hoc Baronij loco, ita in Manuscriptis suis notis obseruat. *Baronius Anastasium collectorem potiùs, quam Scriptorem Vitarum Pontificum vsque ad Nicolaum Primum affirmat ad annum Christi 867. num. 139. sequentem autem Hadriani Vitam ab eo scriptam existimat, & meo quidem iudicio rectissimè.* Hæc paucis Lucas Holstenius, cuius opinionem firmare licet tribus potissimum rationibus, quarum prima nititur Testimonio Scriptorum, qui vel antè Anastasij

stasij tempora librum Pontificalem citarunt, vel post Anastasij mortem, eum nequaquam Anastasio tribuerunt: Secunda ex Manuscriptorum Codicum antiquitate desumitur, vtpotè ex qua librum Pontificalem antè Anastasij tempora extitisse monstratur. Tertia demùm ex styli diuersitate repetitur, nam ex ea constat, plures Vitas à diuersis auctoribus libro Pontificali adiectas esse, adeoque Anastasium collectorem potiùs, quam auctorem eius fuisse.

3. Vt autem à prima ratione incipiamus, proferenda sunt nonnullorum testimonia, qui vel cum Anastasio Bibliothecario vixerunt, vel diù, antequàm fuit natus Anastasius, scripserunt. Extat sanè in Annalibus Francorum editis ex Bibliotheca P. Pithœi ad annum 865. mentio Rudolphi Fuldensis Cœnobij præsbyteri, qui tunc florebat, & pro Doctore egregio, ac præstantissimo *Historiographo* habebatur, quē in Charta donationis pro Scholasticis Fuldensibus egregiè laudat Ludouicus Ludouici Pij frater, Rex Germaniæ, & Orientalium Francorum. Hic verò Rudolphus in vita Rabani Abbatis edita à Brouuero lib. 3. inter antiquitates Fuldenses, ita scribit: Theodorus *attulit quoquè ossa SS. Agapiti, Ianuarij, & Magni Diaconorum B. Xisti Papæ, qui cum eo sub Decio decollati sunt, sicut in gestis Pontificalibus legitur.* Vbi à Rudolpho presbytero citatur, non quidem Anastasij opus de Vitis Pontificum, *sed gesta Pontificalia*; adeoquè colligitur, quòd Rudolpus, qui eodem tempore cum Anastasio vixit, iam librum Pontificalem penès se habuerit. Hincmarus quoquè Remensis Archiepiscopus, epistola 26. ad Nicolaum Papam, *libri Episcopalis* meminit, qui alius esse non potest, quàm Pontificalis, ex quo refert Tomo 2. pag. 305. de Ebbone à Sergio ad Synodum euocato, *quòd ad eam non conuenerit, videlicet sicut superiùs memoratæ litteræ auctoritatis vestræ demonstrant. Talis à Sede Apostolica, & Papa Sergio habitus, quo lis ab alijs non ignorabatur haberi, idest, vt Codex Episcopalis ostendit, pro criminibus suis honore priuatus, & ab Ecclesia pulsus.* Et paulò infrà: *Sicut Sanctus Gelasius de Acacio dicit, qui à Sede Apostolica damnatus, & non restitutus, licèt Anastasius Papa, sicut in libro Episcopali legimus, eum recipere voluerit, vitam finiuit.* Quæ vltima de Anastasio Secundo habentur in libro Pontificali, ita vt nullum dubium esse possit, quin Hincmarus Remensis per librum Episcopalem, gesta Pontificalia intellexerit. His adiungi potest liber ritualis, quem Onuphrius Panuinius in notis MSS. ad Cencium Camerarium Carolo Magno attribuit, in quo de Purificatione S. Mariæ: *De hac festiuita-* Cod. M. S. Vatic.

 te;

te, *& aliis festiuitatibus S. Mariæ in gestis Pontificalibus legitur*, *quòd Sergius Papa præceperit letanias fieri in die Præsentationis Domini in templo*. *Ita enim scriptum est*, *vt in diebus Annunciationis Domini*, *Dormitationis*, *ac Natiuitatis S. Dei Genitricis Mariæ*, *& S. Simeonis*, *quod Hypapante dicitur græcè*, *cum letaniis exeant à S. Hadriano*, *& ad S. Mariam populus occurrat*. Hæc ibi, quæ non sub Caroli Magni, sed incerti auctoris nomine edita sunt post fragmenta Caroli Magni. Sed quid hæremus in huius ritualis testimonio, cum habeamus locum clarissimum Venerabilis Bedæ, qui plusquàm centum annis ante Anastasij tempora obijt, & tamen gesta Pontificalia citauit? In Martyrologio enim ad 8. Idus Augusti: *Romæ S. Sixti Episcopi*, *Felicissimi*, *& Agapiti Diaconi*, *qui decollati sunt sub Decio*; *decollati sunt cum eo & alij quatuor subdiaconi Ianuarius*, *Magnus*, *Vicentius*, *& Stephanus*, *vt in Gestis Pontificalibus legitur*. Ita Beda in Martyrologio, quod Henschenius ex pluribus antiquis M. SS. Codicibus correctius edidit, & quod in duobus octingentorum annorum M. SS. Codicibus Bibliothecæ Palatino-Vaticanæ reperitur. Quare certò constat, quòd ante Anastasium liber Pontificalis temporibus Bedæ iam conscriptus fuerit, & idcirco Anastasius illius auctor esse non possit.

4. Idem confirmatur ex ijs auctoribus, qui licèt post Anastasium Bibliothecarium scripserint, & librum Pontificalem citarint, numquam tamen Anastasij mentionem fecerunt: Anselmus Lucensis Episcopus sub Gregorio VII. lib. 3. Decreti, cap. 120. agens de exilio Liberij Papæ, & Felice eius consensù ordinato, librum, ex quo locum desumpsit, citat his verbis: *ex Pontificali*: & lib. 1. cap. 77. habet hunc titulum: *De obedientia*, *& humilitate*, *quam Rex Pipinus Stephano Papæ exhibuit*, *ex Pontificali*. Vbi nullatenus Anastasij meminit, eo quod liber Pontificalis Anselmi temporibus nondum Anastasio tributus fuerit. Cardinalis Deusdedit in Collectione Canonum, quam Victori III. nuncupauit, lib. 2. num. 75. plura de Conone Papa citat *ex Romano Pontificali*: vbi liber Pontificalis vocatur Romanus, quia in eo Romanorum Pontificum acta continentur, quæ tamen præfatus Cardinalis sine vllo auctoris nomine refert, eò quòd liber ille temporibus suis nulli auctori tributus esset. Idem constat ex Iuone Carnotensi Episcopo part. 4. cap. 79. vbi habet: *Sergium Papam*, *propter quædam capitula extra ritum Ecclesiasticum annexa*, *non subscripsisse Synodo*, *quam Iustinianus Imperator in regia Vrbe collegerat*, *ex libro Pontificali*. Et cap. 94. *de libris Gelasij ex libro Pontificali*. Et cap. 124. *Item de confir-*

firmatione sextæ Synodi, ex libro Pontificali. Idem planè Romualdus Salernitanus Archiepiscopus in historia M. S. librum Pontificalem his verbis citans: *Hic idem* (Leo IV.) *vt in Pontificali legitur, inuidiosè super quibusdam criminibus pulsatus Synodum congregauit, & sese iuramento innoxium demonstrauit*. Eodem ferè modo intitulat librum illum Laborans Cardinalis, qui anno 1182. scripsit, vt ex eius compilatione, quæ M. S. in Archiuo Basilicæ S. Petri asseruatur, licet colligere; parte enim 2. cap. 10. & parte 11. cap. 6. citat absolutè *Gesta Pontificum*, nullumque illorum gestorum auctorem indicat. His accedit Bernardus primùm Papiensis Præpositus, posteà Fauentinus Episcopus in Collectione Decretalium, quam Antonius Augustinus Tarraconēsis Archiepiscopus, inter antiquas Decretalium Collectiones primo loco edidit: libro namque tertio, titulo 4. cap. 2. habet: *Ex gestis Romanorum Pontificum Leo III. Natione Romanus consilio Lotharij, & Ludouici Imperatorum sanctam, & venerabilem 77. Episcoporum in Ecclesia B. Petri Synodum congregauit*: & lib. 5. tit. 5. cap. 2. *Ex gestis Romanorum Pontificum: tempore Zachariæ natione Græci contigit &c.* & tit. 7. cap. 1. *Ex gestis Romanorum Pontificum: tempore Stephani Papæ natione Siculi &c.* Vbi gesta Romanorum Pontificum citantur, nulli tamen auctori tribuuntur, quòd nimirùm illis temporibus nondum sub Anastasij Bibliothecarij nomine liber Pontificalis circumferretur, vt iam suprà indicauimus.

5. Porrò quamuis Scriptores veteres reperti sint, qui vitas Pontificum à Petro ad Liberium Damaso tribuerunt; neminem tamen reperi, qui posteriorum Pontificum vitas à Damaso Papa, vsque ad Nicolaum Primum, sub quo Anastasius Bibliothecarius scripsit, Anastasio adiudicauit? Martinus Polonus in Chronici sui proœmio citat omnes auctores, ex quibus historiam Imperatorum, & Pontificum Romanorum desumpsit: *Compilaui*, inquit, *præsens opusculum ex scriptis Titi Liuij; item ex Chronicis Orosij; item ex Chronicis Damasi Papæ de gestis Pontificum; item de gestis Bonisij Episcopi Sutrini; de gestis Pontificum; item ex Chronicis Pauli Romani Diaconi Card. de gestis vtrorumque; item de Chronicis Gilberti de gestis vtrorumque; item ex Chronicis Richardi Monachi Cluniacensis &c.* Hæc Martinus Polonus, qui nullibi Anastasij Bibliothecarij meminit, licèt omnes enumeret, quos de Romanis Pontificibus legerat, & inter illos Damasum Papam ponendum esse existimarit. Eodem modo Iacobus Zenus Episcopus Patauinus in libro de Vitis Pontificum, nondum typis descripto, habet quidem

Damasum Papam pro auctore prioris partis libri Pontificalis, sed nequaquam Anastasium Bibliothecarium posterioris partis auctorem agnoscit, vt enim Felicem Secundum verum Pontificem fuisse ostendat, Damasi auctoritate id inprimis comprobat: *Damaso*, inquit, *de Antecessoribus suis Romanis Pontificibus, & his potissimum, qui eo agente vitam præfuerunt, fides probabilior adhibenda videtur. Si enim Damasus ipse huius conditor operis fuit, quod epistolæ initio operis sitæ præ se ferunt; quis dubitare poterit, certiùs tenuisse illum, qui Maximi Pontifices per sua tempora præfuerunt?* Et hæc quidem Zenus Patauinus de priori libri Pontificalis parte à Petro Apostolo ad Damasi Pontificatum, ob duas epistolas, quas ostendimus supposititias esse. Audiamus nunc, quid dicat de vitis Pontificum, qui Damasum Papam subsecuti sunt. Ita enim habet ad finem Vitę Felicis Secundi: *Quamquàm enim tot scriptores alij fuerunt, qui post Damasum, sequentium Pontificum gesta adijcere conati sunt; tamen quoniam Scriptorum ipsorum obscurum est nomen, auctoresque admodùm incerti; incultus verò, & perhorridus sermo, barbariem redolens: magis nec multò profectò nobis vsui erant &c.* Ex quibus manifestum fit, Zenum Patauinum existimasse, verum esse, quod probandum suscepimus, non quidem ab Anastasio Bibliothecario auctore notissimo, sed à pluribus, ijsque ignoti nominis auctoribus, librum Pontificalem compositum fuisse.

In Codice M. S. bib. Vaticanæ.

6. Secunda ratio, qua constat librum Pontificalem Anastasio Bibliothecario tribuendum non esse, nititur auctoritati Manuscriptorum Codicum, qui antiquitate Anastasij ætatem superant. Qua de re audiendus est Philippus Labbeus libro de Scriptoribus in Damaso, vbi affirmat, Anastasium non posse esse auctorem prioris partis. *Cum*, inquit, *viderim Manuscriptum Codicem optimæ notæ tempore Caroli Magni exaratum, in quo Vitæ illæ Damaso iam tum tribuebantur, antequàm aut natus esset Anastasius, aut saltem ex primis infantiæ crepundijs emersisset.* Repetit hæc Labbei verba Lambecius lib. 2. Bibliothecæ Cæsareæ, cap. 8. ad Codicem 277. quem membranaceum, & peruetustum vocat, & eiusdem generis esse perhibet cum eo, quem Labbeus se vidisse affirmat: *Eiusdem generis est etiam*, inquit, *præstantissimus ille, & collatu dignissimus Codex M. S. Ambrosianus, de quo in præsens agitur, vtpotè cum tam ex Scriptura, quàm alijs circumstantijs certò constet, eum ad Imperatoris Ludouici Pij tempora pertinere... Pertingit autem ibi historia Pontificum Romanorum tantùm vsque ad Papam Stephanum Secundum, vel, vt alij* sup-

supputant, *Tertium*, *qui anno 752. electus est*, *& anno 757. obijt*. Accedunt demùm Codices Manuscripti tres, quorum alter in Bibliotheca Vaticana reperitur sub numero 5269. in quo vitæ Romanorum Pontificum desinunt in Gregorio II. qui centum annis antè Anastasium Bibliothecarium obijt, alij duo in Bibliotheca Reginæ Sueciæ, & Bibliotheca Sancti Marci Florentiæ asseruantur, qui Codices in Hadriano Primo finiunt, quo nondùm natus erat Anastasius. Ex quibus satis superquè constat, librum Pontificalem Anastasio antiquiorem esse, adeoq; illum istius libri auctorem esse non posse.

7. Tertia ratio, qua probatur, non quidem vni Anastasio Bibliothecario, sed pluribus auctoribus vltimam libri Pontificalis partem tribuendam esse, ex diuersitate styli desumitur, de qua extat accurata Lucæ Holstenij sententia in notis Manuscriptis ad Anastasium de vitis Pontificum, in quibus obseruat, partem illam, quæ vitas à Zacharia vsque ad Nicolaum Primum complectitur, à varijs auctoribus stylo diuerso conscriptam fuisse. Sicque notat de Vita Zachariæ: *Stylo non nihil puriore*, *& neruoso scripta*, *totamque historiam Pontificatus complectitur*, *contra quod in superioribus Pontificibus*, *quorum gesta eumdem stylum*, *& auctorem præ se ferunt*, *factum erat*. De Paulo Papa Stephani Tertij successore notat idem Holstenius. *Hæc vita valdè ieiuna nihil historicum habet*, *eiusdem cum superioribus styli*. Itaque iuxta mentem Holstenij idem auctor tres supradictorum Pontificum vitas adiecit. De Stephano Quarto autem habet sequentia: *Vita Stephani Papæ scripta est diuerso stylo à superioribus*, *modosque loquendi*, *siue barbarismos peculiares habet*, *quæ nescio quem africanismum sapere videntur*. Ad Hadriani verò vitam, quæ totam eius Pontificatus historiam continet, nihil notat, nisi ad finem, vbi in margine: *Hìc finit Codex Florentinus Sancti Marci*, *& M.SS. Serenissimæ Reginæ*, indicans, vt infrà videbimus, hanc vitam ab auctore illo forsan conscriptam, vel adiectam fuisse, qui librum Pontificalem, ex quo Codices Bibliothecæ Reginæ Sueciæ, & Bibliothecæ Sancti Marci descripti sunt, in vnum volumen collegit. De Hadriani Primi successoribus Leone Tertio, Stephano Quinto, Paschali Primo, & Eugenio Secundo, nihil omninò obseruat Lucas Holstenius: de Valentino tamen Eugenij successore notauit in margine: *Hæc vita peculiari stylo phalerata agnoscitur*. Post quem, omissis ad trium Successorum vitas notis, de Benedicto Tertio ita habet: *Hic affectatum*, *& ineptissimum exaggerandi profluuium obserua*, *& numeros poëticos*. Et ad Nicolai Primi vi-

tam

tam sequentia : *Hanc vitam à Sedis Apostolicæ Bibliothecario scriptam, docet frequens scrinij Ecclesiastici mentio*. Hactenus Lucæ Holstenij notę de vitis Pontificum à Gregorio Tertio, sub quo Venerabilis Beda vixit, vsque ad tempora Nicolai Primi, quibus Anastasius Bibliothecarius floruit, quas notas eò lubentiùs hìc adduximus, quòd vir Eruditissimus magnam vitæ partem consumpserit in conferendis cum edito Anastasij opere Manuscriptis Codicibus, & in discernenda stylorum diuersitate acutissimi iudicij fuerit. Ex quibus facile vnicuique patebit, vt ego certò existimo, vltimam libri Pontificalis partem non quidem vni Anastasio, sed pluribus, & diuersis Auctoribus adiudicari debere, prout sequenti Capite ostendemus.

CAPVT OCTAVVM.

A quibusnam Auctoribus, & quandonam liber Pontificalis conscriptus sit?

1. *Liber Pontificalis, quoad priorem partem, quæ complectitur Vitas Pontificum vsque ad Constantinum Papam, conscriptus est post Sextam Synodum, idque eo tempore, quo Exarchi Rauennæ sedebant.*

2. *Post mortem Constantini Papæ prodijt circà initium octaui sæculi, cui ab eodem auctore prima appendix adiecta fuit Vitarum Gregorij II. & Gregorij III. quod probatur ex Manuscripto Codice Vaticano, & Bedæ testimonio, ac Holstenij iudicio comprobatur, qui omnes Rom. Pontificum vitas à B. Petro vsque ad Zachariam vno eodemque stylo conscriptas esse docet.*

3. *Satisfit testimonio Legatorum Agathonis ab Humberto Cardinali allato, quod suppostitium esse ostenditur.*

4. *Prior illa libri Pontificalis pars habet auctorem Romanum, & forsan Bibliothecæ Pontificiæ, aut Archiuo Apostolico præpositum.*

5. *Ab alio auctore adiectæ sunt vitæ Zachariæ, Stephani III. & Pauli Primi, quæ secundam Appendicem efficiunt, & eodem stylo conscriptæ sunt ab vno ex Clero Romano, qui Archiuum Apostolicum citat in Vita Stephani Tertij.*

6. *Vita Stephani IV. non habet auctorem Africanum, vt putat Holstenius, sed Romanum contemporaneum, vt probatur ex Actis, & confirmatur ex vita Hadriani Primi, quam ab eodem auctore Lateranensis, aut Vaticanæ Basilicæ Clerico conscriptam fuisse, constat. Et hæc est Tertia Appendix libro Pontificali addita, quacum finiunt duo Codices M.SS. Regius, & Florentinus S. Marci.*

7. *Vita Leonis III. alium planè auctorem habet, qui forsan Basilicæ S. Pauli adscriptus erat, & Stephani V. Vitam Pontificali quoque adiecit. Vnde hæc esset quarta Appendix ad librum Pontificalem.*

8. *Vita Gregorij III. auctorem Romanum habet, & stylo eleganti conscripta est, à quo stylo vitæ Eugenij II. Valentini, & Gregorij IV. non nihil differunt.*

9. *Sergij II. vita stylo differt à prioribus, & ab eodem auctore libro Pontificali adiecta est, à quo Leonis IV. vita conscripta fuit, quem Romæ in magna dignitate constitutum fuisse, Acta ipsa testantur.*

10. *Anastasius Bibliothecarius non fuit auctor vitarum Sergij II. & Leonis IV. multò minùs Benedicti III. qui Leoni IV. successit, cuius vita affectato, & peculiari stylo conscripta est. Probatur itaque illorum sententia, quæ Anastasium Vitæ Nicolai I. auctorem facit.*

1. Postquam Superioribus capitibus monstratum est, librum Pontificalem, qui Vitas Pontificum à Petro ad Nicolaum Primum complectitur, Anastasio antiquiorem esse, & non ab vno, sed diuersis auctoribus compositum fuisse: inquirendum est hoc capite, quinam illi auctores esse possint, & quandonam scripserint? Notandum autem est, librum Pontificalem hic rectè in duas partes diuidi, in priorem nimirum, quæ vno stylo ab eodem auctore conscripta fuit; & posteriorem, quæ diuerso stylo à pluribus auctoribus exarata videtur. De priori parte, quæ vitas Pontificum vno stylo complectitur, habetur primùm temporis, quo conscripta fuit, indicium in vita Leonis II. in qua de hoc Pontifice narratur: *Hic suscepit Sanctam Sextam Synodum, quæ per Dei Prouidentiam nuper in Regia Vrbe celebrata est.* Cum enim auctor testetur, nuper in Vrbe Constantinopolitana celebratam fuisse Sextam Synodum; celebrata autem sit sexta Synodus sub Agathone Leonis II. Prædecessore anno 681. auctor hæc scribere debuit non procul à fine septimi sæculi; alias enim verum esse non potest, quod dixit, *nuper celebratam fuisse Sextam Synodum.* Secundum indicium habetur in vita Cononis: ibi enim legitur de eius assumptione ad Pontificatum, quæ anno 686. contigit: *& missos pariter vnà cum clericis, & populo ad excellentissimum Theodorum Exarchum, vt mos est, direxerunt.* Notanda sunt hęc verba, *vt mos est*: non enim dixit auctor, *vt moris fuit*, vel, *vt fieri solebat*, sed *vt mos est*: significans illis verbis, hanc vitam conscriptam fuisse, quo tempore ad exarchos de electione noui Pontificis referebatur, adeoque tunc, cum Exarchi Rauennę erant: fuerunt autem ducentis fermè annis; Longinus enim primus à Iustino Iuniore institutus est Exarchus anno 567. postremus Eutychius ab Aistulpho Longobardorum Rege pulsus ann. 752. Vnde ex prædicto loco patet, auctorem Vitæ Cononis scribere debuisse ante medium octaui sæculi, quo Exarchi, seu Præfecti Imperatoris Constantinopolitani in Italia esse desierunt; scribere autem potuisse circà octaui sæculi initium, quo Rauennæ nondum sedere desierant Exarchi, ad quos de electione noui Pontificis referri solebat, vt ex libro Diurno constat.

2. Videtur itaque liber Pontificalis conscriptus fuisse post mortem Constantini Papæ, qui anno 714. obijt, idque firmatur auctoritate Manuscripti Codicis Vaticani 5269. qui licèt ante 500. circiter annos exaratus sit, ex antiquiore tamen descriptus fuit, vtpotè finiens Catalogum Pontificum, quem libro Pontificali preponit, in Gregorio II. Constantini successore: liber vero Pontificalis, qui Catalogum in codi-

ce subsequitur, finit his verbis: *Gregorius Natione Romanus, ex patre Marcello sedit annos XVI. menses IX. dies XI. fuit autem temporibus Anastasij, Theodosij, Leonis, atq; Cōstantini Augustorū* vbi tantùm refert tempus Pontificatus sine vllis actis; ex quo colligitur, auctorem quidem inchoasse vitam Gregorij, sed non absoluisse, dum liber Pontificalis prodijt. Putarem igitur, post obitum Constantini prodijsse librum Pontificalem: quod omninò conuenit ijs, quæ suprà notauimus de Venerabili Beda, à quo omnium primo liber Pontificalis citatus reperitur. Vixit enim Beda ab anno 673. vsque ad annum 735. cumq; post Gregorij Secundi Pontificatum, qui anno 714. cœpit, & anno 731. desijt, Venerabilis Beda superstes fuerit, librum Pontificalem videre, & citare potuit. Vt igitur mentem meam de libri Pontificalis tempore, quo primùm in lucem prodijt, paucis absoluam; crediderim ante annum 732. publici Iuris factum, & huic Collectioni appendicem postea ab eodem auctore adiunctam, quæ vitas Gregorij II. & Gregorij III. complectebatur. Quod firmatur ex ijs, quæ obseruauit Lucas Holstenius: cum enim omnes Pontificum vitas sedulò peruoluisset, annotauit, gesta Pontificum à Petro Apostolo vsque ad Zachariam Gregorij III. Successorem eodem omninò stylo, adeòque ab eodem auctore conscripta fuisse: *Superiorum Pontificum gesta*, inquit Lucas Holstenius in notis ad vitam Zachariæ, *eumdem stylum, & auctorem præ se ferunt*. Idque cum ex lectione ipsius libri constet, nulla probatione indigere existimo.

3. Obijci tamen potest huic nostræ sententiæ auctoritas Humberti Cardinalis Syluæ Candidæ, qui in opusculo contra Nicetam Pectoratum edito ab Henrico Canisio Tomo 6. Antiquarum lectionum, refert, à Legatis Agathonis Papæ in Sexta Synodo citatum fuisse locum ex gestis Pontificalibus, adeoque librum Pontificalem conscriptum fuisse ante tempora Constantini Papæ, cum Agatho per 30. fermè annos ante Constantinum obierit. Verùm antequàm huic obiectioni respondeam, locus ipse afferendus est, qui ita habet apud Canisium: *Tunc piissimus Princeps Constantinus interrogauit eos, qualiter Romana Ecclesia de sacrificio corporis & sanguinis D. N. Iesu Christi ordinem teneret. Illi responderunt: In calice Domini non debet solum offerri vinum, sed aqua mixtum.* Et postea: *Oblatio verò, quæ in Sacrificium Altaris offertur, nullam commixtionem aut corruptionem fermenti debet habere, sicut Beata Virgo Maria absque omni corruptione Christum concepit, & peperit. Hinc in Ecclesia mos obtinuit, vt sacrificium altaris non*

in serico, aut in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus Domini fuit in Sindone munda sepultum; sic & oblatio munda debet esse à fermento, iuxta quæ in Gestis Pontificalibus à B. Syluestro legimus statutum. Hactenus Legati, & prosequuntur Acta: *Tunc placuit Piissimo Principi Constantino hæc traditio Apostolicæ Sedis &c.* Partem huius loci ab illis verbis, *hinc in Ecclesia mos obtinuit*, pro libri Pontificalis antiquitate citauit Pearsonius in operibus posthumis, dissert. 1. qui nullatenus animaduertit, Acta, quæ Humbertus refert, penitùs apocrypha esse, & ab aliquo Latino haud dudùm ante Humberti tempora fuisse conficta: non enim reperitur in sexta Synodo prædicta allocutio Constantini Imperatoris, vel Legatorum Sedis Apostolicæ responsio. Sed nec Legati ex gestis Pontificalibus citare potuerunt, quæ in illis non reperiuntur, sicut non reperiuntur apud Anastasium Bibliothecarium in Syluestro, neque apud Auctorem secundi Catalogi in eodem, vbi tantummodò legitur, quod S. Syluester constituerit, *vt sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto celebraretur, nisi tantum in lineo: & sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in sindone linea sepultum est, sic missa celebraretur.* Hæc sunt verba authoris secundi Catalogi, apud quem nulla similitudo instituitur inter Conceptionem B. Mariæ Virginis absque omni corruptione, & oblationem sacrificij absque omni fermento; quin imo nulla planè mentio fermenti reperitur, quod verbum auctor prędictorum Actorum loco ex Gestis Pontificalibus desumpto adiunxit post tempora Anastasij Bibliothecarij, vtpote qui vltima verba ita refert: *Sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in sindone lintea munda sepultum est, sic missa celebraretur.* Vbi nemo non videt, hæc significare, quòd sicut Corpus Christi in sindone lintea sepultum est, sic sacrificium Corporis Christi in linteo mũdo offerretur, quę, tamen in alienum sensum detorta sunt, & ad quæstionem de fermento inter Græcos & Latinos post Photij tempora ortam translata his verbis: *sic & oblatio munda debet esse à fermento.* Auctor igitur testimonij ab Humberto Cardinale allati post ortam inter Græcos & Latinos de pane azymo, & fermentato quæstionem vixit, adeout nihil planè pro antiquitate libri Pontificalis ex eius verbis statui possit. Verum proinde est, quòd iam annotauimus, Bedam primum fuisse, qui ea citauit, eò quòd ipsius temporibus liber Pontificalis in lucem editus fuerit.

4. Cum igitur de tempore constet, quo liber Pontificalis scriptus fuit, restat, vt de Auctore inquiramus, de quo Pearsonius Dissertat. 1. cap. 12. num. 8. *Auctor*

eius anonymus, *&* *incertus sæculi sexti scriptor*, *&* *status primitiuæ Ecclesiæ ignarus fuit*, *vnde pluribus*, *&* *fœdis erroribus scatet*, *fictisque narrationibus plenus est*. Hæc vir eruditus quidem, sed à religione Catholica alienus, cui proinde non placet illa rituum, & doctrinarum antiquitas, quæ Religioni Catholicæ hoc in libro tribuitur, & de qua sequentibus capitibus agemus. Reuertamur proinde ad libri auctorem, quem malè sæculi sexti auctorem dixit, rectè anonymum vocauit. Non enim sexto, sed septimo sæculo auctor libri Pontificalis vixit, integroque sæculo recentior est, quàm Pearsonius credidit: anonymus tamen fuit, quia nomen suum ipse tacere voluit, alijque vel ignorarunt, vel memoriæ prodere omiserunt. Hoc tamen nihil eiusdem Scriptoris auctoritati officere videtur, cum pro ea sufficiat, quòd locum, & officium, quo functus est, commemorarit. Nam ex ijs quisque facilè colligere poterit, fuisse virum de statu Ecclesiæ optimè instructum, neminemque res Ecclesiasticas magis perspectas habuisse. Vt autem, quod dicimus, ipsius auctoris testimonijs comprobemus, in Sisinnio sic habet: *Erat autem constans animo*, *&* *curam agens pro habitatoribus huius Ciuitatis*. Addit Holstenius *Ex M.S. Codice Vaticano-Romanæ*. Adeò vt constet, Auctorem Romæ scripsisse, quod ex gestis in vnoquoque Pontifice memoratis apertè comprobari potest. Sicut namque de Secundi Catalogi Auctore ostendimus capite 2. eum magnam Vrbis, & Agri Romani notitiam habuisse, omnes Vrbis regiones & Ecclesias, omnes Ecclesiarum reliquias & titulos, omnes agri Romani vias, omnesque viarum distantias, perspecta habuisse: sic & de libri Pontificalis Auctore dicendum videtur, quia eum omnia illa loca apprimè nouisse, ex ipso libro colligitur. Allegat nonnunquam Instrumenta publica in Archiuo Sedis Apostolicæ asseruata, vt patet ex vita Leonis Secundi, vbi agens de ordinatione Rauennatensis Archiepiscopi scribit; pro pallio non soluendo editum constitutum, *quod Archiuo Ecclesiæ continetur*. Et ex Vita Ioannis V. qui anno 685. ad Pontificatum assumptus est, vbi de Nouelli Sardiniæ Episcopi ordinatione sedi Apostolicæ restituta affirmat: *Quòd eius chirographus Archiuo Ecclesiæ detentus est*. Ex quibus non obscurè colligi videtur, Auctorem fuisse Bibliothecæ Pontificiæ, aut Archiuo Sedis Apostolicæ præfectum, nisi quis dicere velit, eum ad Archiuum, aut Bibliothecam habuisse accessum, sicque ex archiuo citasse, quod in eo asseruari viderat, vel cognouerat.

5. Atque hactenùs quidem de illa libri Pontificalis parte, quæ eodem stylo, ab eodem auctore scri-

scripta videtur, complectens Pontifices à Petro Apostolo vsque ad Gregorium III. Nunc de altera parte præfati libri agendum, quæ diuerso stylo exarata est, & incipit cum vita Zachariæ, qui anno 742. Gregorio III. successit, de cuius gestis censuit Lucas Holstenius in M.SS. suis annotationibus; *Vita Zachariæ Papæ stylo non nihil puriore & neruoso scripta est, & tota historia*; Quòd nimirum hæc vita contineat totam Pontificatus historiam, & auctor diuersus eam libro Pontificali adiecerit, à quo stylo nonnihil puriore differre videtur. Dixi *non nihil*, quia in plerisque quidem locis id locum habet, in alijs tamen stylus abiectus, & vilis videtur, vti in sequentibus, quamuis & illa puriori stylo conscripta sint: *Nulli malum pro malo reddens, neque vindictam secundum meritum tribuens, sed pius, ac misericors à tempore ordinationis suæ omnibus factus &c.* Cætera barbariem istius ætatis sapiunt: *egressus ex hac Romana Ciuitate, cum sacerdotibus, & Clero perrexit fiducialiter, & audacter ad ambulandum in locum Interănensium Vrbis*, & infra: *esum sumpsit..... conuiauit..... præpeditionem nitebantur facere... sibi redonaret..... eum repedandum absoluit... in quo & suam finiri vitam iure professus est iurando*. Hæc in vita Zachariæ, quæ tamen Romæ scripta sunt, vt patet ex loco iam citato, vbi auctor dicit: *ex hac Romana Ciuitate*: Illis enim verbis se Romæ scripsisse significat, quod etiam sequentibus indicauit; *Et sic regressus est Deo propitio cum Victoriæ palma in hanc Vrbem Romam*, & infra: *Huius denique temporibus magnum thesaurum Dominus Deus noster in hac Romana Vrbe per eumdem almificum Pontificem propalare dignatus est. In Venerabili itaque Patriarchio sacratissimum Beati Georgij Martyris, idem sanctissimus Papa in capsa reconditum reperit caput...... In Venerabili Diaconia eius nominis sita in hac Romana Ciuitate regione secunda ad Velum aureum illud deduci fecit*. Quibus omnibus locis auctor Romanam vrbem eam esse significat, in qua præsentem vitam scripsit, vbi & eodem stylo scripsit vitam Stephani III. qui Zachariæ successit, vtpote de quo affirmat, quod restaurauit *quatuor in hac Romana Vrbe sita antiquitùs Xenodochia*, & perpetuò *Romanam hanc Vrbem* citat, additque versus finem de Ciuitatibus ope Pipini Ecclesiæ redditis: *Donationem in scriptis B. Petro, atque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel omnibus in perpetuum Pontificibus Apostolicæ Sedis misit possidendam, quæ & vsque hactenùs in Archiuo sanctæ nostræ Ecclesiæ recondita tenetur*. Vbi auctor affirmat, se non solum Romanum, sed etiam Romanæ

Ecclesiæ clericum fuisse, indicatque, se Archiuo Apostolico præpositum Stephani Vitam conscripsisse. Addit autem *vsque hactenùs*, eò quòd auctor post Paulum Stephani successorem, cuius quoquè vitam eodem stylo conscripsit, superstes fuerit. Trium itaque horum Pontificum vitæ eodem stylo scriptæ, & ab vno ex Clero Romano Pontificali libro adiectæ sunt.

6. Sequitur in libro Pontificali vita Stephani IV. de qua Lucas Holstenius ita censuit: *Vita Stephani Papæ scripta est stylo diuerso à superioribus, modosque loquendi siue barbarismos peculiares habet, qui nescio quem africanismum sapere videntur*, hæc ille, nihil aliud indicans: quarè diuinare oportet, quos loquendi modos peculiares ipse notauerat. An inter illos censendi sint sequentes, iudicet prudens Lector. *Monachicum fore suscepturos habitum. Item absolutis omnibus eorum rebus .... in Monasterio cliui Staturi retrudi fecerunt, vbi fame, & siti cremans, clamansque aquam, ita exhalauit spiritum .... temeritatis præscriptione ..... insurrexerunt super ipsum Michaelium ..... causas de Iustitijs B. Petri ..... conspicientes, se in magno deceptu esse positos &c.* Hæc prudentis Lectoris iudicio subieci, ego enim hos peculiares loquendi modos africanismum sapere, nescio qua ratione asseuerit, & vndè collegerit Holstenius. Videntur namque mihi indicare illorum temporum barbariem, quæ etiam Romanas aures occupauerat, præsertim cum constet ex plerisque huius vitæ locis, auctorem eius Romæ scripsisse: quando enim de Vrbe Roma agit, hoc loquendi modo vtitur: *In hanc Romanam Vrbem*. Et paulò antè medium: *Et huc*, vel vt habet alia lectio, *hic Romam attulerunt*. Et ibidem: *Postmodum verò quidam iniqui Campani, qui hùc Romam aduenerant*. Et infrà: *Dum Tuscani, & Campani hìc Romæ aggregati fuissent*. Et posteà: *Simulauit se quasi orationis causa ad Beatum Petrum Romam properaturum*. Quibus verbis nemo non videt, auctorem Romæ scripsisse. Notanda quoquè sunt verba sequentia: *Confundentes, atque anathematizantes execrabilem illam Synodum, quæ in Greciæ partibus nuper facta est*. Quæ intelligenda sunt de Synodo, sub Constantino Copronymo anno 754. Constantinopoli celebrata, quam cum nuper factam esse auctor scribat, necesse est, eum circa hæc tempora Romæ scripsisse. Quod ex sequentibus clariùs patebit. Sequitur enim in libro Pontificali vita Hadriani Primi, quam (licèt de ea Lucas Holstenius nihil adnotauerit) ab eodem auctore scriptam esse puto, tum ob styli similitudinem, tum ob phrases easdem, & eosdem barba-

batiſmos; qui phraſibus miſcentur. Citat vbique *hanc Romanam Vrbem*. Et alicubi dicit: *Secum eum hùc Romam reduceret*. Ex quibus loquendi modis colligitur, quòd auctor Romæ ſcripſit, prout facilè confirmatur ex ijs, quæ initio huius vitæ de Hadriani patre commemorat: *Patre Theodato dudum Conſule, & Duce, poſtmodum verò primicerio ſanctæ noſtræ Eccleſiæ*. Ex his enim clariſſimè patet, auctorem fuiſſe ex Clero Romano, & forſan Lateranenſi, aut Vaticanæ Baſilicę adſcriptum, vndè facilè putarē, Stephani IV. & Hadriani Primi vitas fuiſſe tertiam appendicem ad librum Pontificalem: in cuius veritatis confirmationem adduci poſſunt duo antiquiſſimi Codices manuſcripti, Florentinus nimirùm Sancti Marci, & alter Chriſtinæ Suecorum Reginæ, qui poſt vitam Hadriani Primi finiunt, eò quòd ex illis libri Pontificalis Codicibus deſcripti eſſent, qui ante Leonem Tertium Hadriani Primi Succeſſorem exarati erant.

7. Sequitur vita Leonis Tertij, quæ alio ſtylo, alioque auctore conſcripta eſt. Nullæ enim phraſes ex ſuprà relatis in ea reperiuntur: nullibi, dum Romanæ Vrbis mentionem facit, pronomen *hanc* adiungit: non dicit Pontificem, dum ex Gallia Romam redijt, *hùc* veniſſe, ſed ſimpliciter Romanæ Vrbis meminit: *Franci*, inquit, *Romam illum remeare, in ſuam Apoſtolicam Sedem honorificè, cum nimio, vt decuit, emiſerunt honore, qui per vnamquamque Ciuitatem tanquam ipſum ſuſcipientes Apoſtolum vſque Romam deduxerunt. Tunc Romani, præ nimio gaudio ſuum recipientes Paſtorem ....* Et infrà: *Romam intrans cum multo gaudio, & lætitia in Patriarchium Lateranenſe intrauit*. Ex quo loquendi modo facilè intelligitur, authorem huius vitæ non modo alium eſſe à priori, ſed dubitari etiam poſſe, nùm Romæ ſcripſit; nihil enim in tota illa vita occurrit, vndè ea de re ſuſpicari licet, niſi ex illis verbis: *Nona verò indictione peccatis noſtris imminentibus ſubitò terræ motus factus pridie Kalendas Maij, & Eccleſia B. Pauli Apoſtoli ab ipſo terræ motu concuſſa, omnia ſarta tecta ruerunt*. Ex his enim poſſet quis colligere, quod auctor huius vitæ adſcriptus fuerit Eccleſiæ Sancti Pauli extra Vrbem, quam vbique vocat *Baſilicam Doctoris mundi beati Pauli Apoſtoli*. Quod ideò adnoto, quia forſan D. Paulum tanquam Patronum ſuæ Baſilicæ diſtinguere voluit à cæteris Apoſtolis, quos dum nominat, ſimpliciter Apoſtolos vocare conſueuit. Ab eodem forſan Auctore conſcripta eſt vita Stephani V. qui Leoni III. ſucceſſit; nam paucis de eius geſtis enarratis, ferè totus eſt in deſcribendis donis, quæ diuerſis

sis Ecclesijs obtulit, quod idem in Leonis III. vita obseruare licet.

8. De Paschalis Primi vita constat, eam ab auctore Romano conscriptam fuisse: meminit enim Vrbis Romæ, tanquam Ciuitatis, in qua scribebat. Sic narrat de translatione corporis S. Cæciliæ cum magno honore intra muros: *Huius Romanæ Vrbis in Ecclesia ipsius S. Martyris dedicata ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, eiusdem Virginis corpus cum charissimo Valeriano sponso, atque Tiburtio, & Maximo Martyribus, nec non Vrbano & Lucio Pontificibus sub sacrosancto altari collocauit.* Ex quibus verbis non modò constat de loco, vbi hæc vita scripta est, sed etiam de styli elegantia, qua ab auctore adornata est Paschalis historia. Illam sanè colligere licet ex ijs, quæ de incendio Ciuitatis Leoninæ enarrat: *Sed neque hoc silentio prætereundum esse arbitramur*, inquit, *quòd eodem tempore diabolica operante versutia, per quorundam gentis Anglorum diffidium, ita est omnis illorum habitatio, quæ in eorum lingua Burgus dicitur, flamma ignis exundante combusta, vt etiam nec vestigia pristinæ habitationis in eodem loco inueniri potuissent, cuius exuberante incendio penè totam porticum, quæ ducit ad Basilicam Principis Apostolorum ignis fomes deuastauit.* Hæc & plura ibidem auctor stylo satis eleganti, à quo non nihil differre videtur stylus, quo conscriptæ sunt vitæ successorum Eugenij II. Valentini, & Gregorij IV. ex cuius gestis colligitur: auctorem post Gregorij ætatem scripsisse. Agens enim de Monasterio S. Calixti trans Tyberim, scribit. *In quo etiam monachos Canonicos aggregauit, qui inibi officium facerent, & omnipotenti Deo grates, & laudes diebus singulis, & noctibus prosecuti intimo cordis spiramine decantarent, quod sicut in præsentiarum cernimus, magno certamine, magnoque studio Pastor eximius hoc opus valdè firmissimum ampliauit.* Ex quibus verbis planè deducitur, auctorem Romæ quidem vixisse, sed post tempora Gregorij Quarti.

9. De Sergio Secundo, qui Gregorio IV. successit, facilè colligitur ex primis gestorum verbis, vitam eius ab alio quodam auctore conscriptam esse, siquidem initio repetuntur omnes anni Romanorum Pontificum à Leone Tertio vsque ad Sergium Secundum, quod minimè factum esset, si vnus, idemque auctor vitas Pontificum, qui à Leone vsque ad Sergium Secundum deerant, libro Pontificali adiecisset. Auctor itaque gestorum Sergij Secundi diuersus est ab ijs, qui superiorum Pontificum vitas conscripserunt, idque manifestè monstratur ex stylo, qui singularis videtur, interie-

teriectis vbique inter nomina, & adiectiua pluribus verbis. Sic dicitur initio gestorum: *Ingenti cœpit cum studio .... actibus pollere videretur pijs ab omnibus, & moribus clarescere maiorum cœperit nobilium ..... communibus tradidit litteris & vt mellifluis instrueretur cantilenæ melodijs .... omne litteralis disciplinæ sumpsit ingenium*. Omitto reliqua, nihilque peculiariter notandum occurrit, nisi quòd plerisque in locis acta mutila sint, quæ Lucas Holstenius ex præstantissimo Codice Farnesiano suppleuit in illis varijs lectionibus, & notis, quæ ad marginem, & finem sui exemplaris adiecit. Eodem stylo conscripta videtur vita Leonis IV. quæ phrases supradictis similes exhibet, & auctorem Romæ scripsisse indicat his verbis: *Monasterium Beati Martini Confessoris Christi, quod extra muros huius Ciuitatis Romanæ iuxta Ecclesiam Beati Petri Apostoli situm est*. Alibi indicatur, auctorem fuisse contemporaneum, vt quando narrantur Agarenorum strages. Dum enim vento diuinitùs immisso dispersæ Agarenorum naues ad portum peruenire nequiuerant: *Super his nouis, misticisque miraculis*, inquit auctor, *quæ nostris licèt non meritis temporibus Diuina ostendere, ac demonstrare dignata est .... Clementia*. Vbi nemo non videt, auctorem testari, hæc, quæ narrat, suis temporibus contigisse. Indicat quoquè, cuius auctoritatis fuerit dum refert se vnà cum Romanis proceribus iussisse, vt Sarraceni, qui capti erant, ligarentur. Et addit: *Posteà per diuersa artificum opera, quidquid necessarium videbat, per eos omnia iubebamus deferri*. Quisnam autem huius & præcedentis vitæ auctor sit, nullibi exprimitur, nullibi indicatur.

10. Putabat quidem non nemo, auctorem esse Anastasium Bibliothecarium, qui prædictas Sergij II. & Leonis IV. ac subsequentes Benedicti III. & Nicolai I. vitas Pontificali adiecit. Verùm obstat vita Benedicti III. quæ nequaquàm Anastasio Bibliothecario tribui potest, *ob affectatum, & ineptissimum exagerandi profluuium, ac numeros poeticos*, quæ in ea reperiri, obseruauit Lucas Holstenius. Tantùm initium istius vitæ legendum est, vt id comprobetur: *Beatus vir iste dilectissimis visceribus editus, siderio pollens rore, crescensque celeriùs Diuinorum studio apicum, Patris ad erudiendum arbitrio traditur*. Simili inepto exagerandi profluuio plena est huius Pontificis vita, in qua nequaquam repetita fuisset successio Romanorum Pontificum Gregorij IV. & Sergij II. quę in Leonis IV. vita exhibita erat, si vnus, & idem auctor vitam Leonis, & Benedicti composuisset. Magìs igitur probanda videtur

tur illa eruditorum virorum sententia, quæ Anastasio Bibliothecario vitam Nicolai Primi tribuit. Fuit hæc sententia Lucæ Holstenij, qui initio vitæ Nicolai annotauit: *Hanc vitam à Sedis Apostolicæ Bibliothecario scriptam, docet frequens scrinij Ecclesiastici mentio*. Vnum istius veritatis exemplum adducere sufficiet. De gestis namque Lotharij, ita scribit auctor: *Sicut in illis malè compositis gestis in scrinio huius Sedis repositis declaratur*. §. *tunc Emilientes* Bibliothecæ Apostolicæ meminit, *sicut in gestis, quæ in Bibliotheca reiacent, quisquis inuestigauerit, poterit reperire*. Quibus verbis auctor manifestè indicat, se scrinio, & Bibliothecæ Apostolicæ præpositum fuisse. Vnde non immeritò Eminentissimus Cardinalis Baronius Tomo 9. Annalium gesta Nicolai Primi passim Anastasio Bibliothecario, qui sub Nicolao Primo in Vrbe floruit, attribuit; Bellarminus autem libro de Scriptoribus immeritò Anastasio omnes Romanorum Pontificum vitas, quæ libro Pontificali continentur, tribuit: *Scripsit vitas Romanorum Pontificum*, inquiebat Bellarminus, *à Sancto Petro vsque ad Nicolaum Primum*. Si enim tot auctores vitas Pontificum scripserunt ante Anastasium, dicendum cum Luca Holstenio, Anastasium potiùs collectorem, quàm auctorem vitarum Pontificum esse potuisse. Vndè non alia ratione vti potuit Velserus, qui primùm librum Pontificalem typis sub hoc titulo edidit: *Anastasij S. R. Ecclesiæ Bibliothecarij Historia de vitis Romanorum Pontificum à Beato Petro Apostolo vsque ad Nicolaum Primum, numquam hactenùs typis excusa*. Quamuis enim rationem reddat in præfatione ad lectorem, *quia stylus, totaque scribendi ratio, ordo, & methodus earum vitarum, quæ post B. Damasi vitam in hoc Codice extant, omninò consentire videtur cum phrasi, vniuersaque scribendi ratione, quæ est in vitis prioribus Damaso hactenus inscriptis, vti quiuis non obesæ naris lector facilè odorari, & aduertere poterit, prorsùs in eam sententiam inclinamus, omnium illarum (licèt nonnullis in locis adulterina aliorum adiectione, vel detractione, ob summam superiorum sæculorum inscitiam deprauatæ sint) verum, & germanum parentem esse Anastasium S. R. Ecclesiæ Bibliothecarium. Quare & eius nomenclatura totum Opus ornare non dubitauimus*. Quamuis inquam his verbis auctor, ab vno eodemque Anastasio omnes Pontificum vitas conscriptas fuisse, indicet, mirum tamen in modum à vero aberrat, vt facilè ex supradictis colligi potest. Atque hæc quidem sufficiant de libro Pontificali, eiusque auctore. Restat, vt videamus, ex quibusnam antiquitatis monimentis liber ille conscriptus sit,

& quænam ei fides à viro cordato adhiberi possit, vel debeat.

CAPVT NONVM.

Ex quibusnam Antiquitatum monimentis liber Pontificalis concinnatus sit, & quænam ei fides adhiberi possit.

1. Auctor prioris partis libri Pontificalis à Petro ad Zachariam vsus est Catalogo sexto sæculo exarato, vt patet in primis ex diuersis locis, quæ ex Catalogo descripsit.

2. Secundò id constat ex Consulum notis, quas auctor libri Pontificalis, ex secundo Catalogo desumpsit, nam nullos alios Consules, quàm in secundo Catalogo assignatos exhibet.

3. De Actis, quæ auctor Pontificalis aliundè habuit, partim scitur, partim ignoratur, vndè desumpta sint.

4. Inter illa, quorum fons, & origo scitur, sunt nonnulla Acta Cornelij Papæ ex antiquiore Catalogo descripta: Acta Stephani, Marcelli, aliorumque ex ipsorum vitis, seu martyrū actis collecta sunt.

5. Quæ de donationibus in Syluestro, & Marco adduntur, ex Instrumentis Ecclesiarū, & Archiuo Sedis Apostolicæ prodierunt, vndè de libri Pontificalis præstantia constat.

6. Ex posteriori parte libri Pontificalis à Zacharia vsque ad Nicolaum Primum, de eius præstantia constat, quia ab auctoribus synchronis conscripta est.

7. Deindè, quia ex authenticis istorum temporum monimentis concinnata fuit.

8. Ex dictis enim patet, quâ veneratione accipienda sint, quæ de historia, disciplina, ritibus, & fide in libro Pontificali reperiuntur.

9. Hæretici ipsi id negare non sunt ausi, vt ex illorum testimonijs eruitur.

1. VT de priori parte libri Pontificalis, quâ vitæ Romanorum Pontificum à Petro vsque ad Gregorium II. ab vno eodemque auctore descriptæ continentur, nullum inprimis dubium esse videtur, quin auctor pro hac parte vsus sit Catalogo Romanorum Pontificum sub Iustiniani principatu concinnato. In singulorum namque Pontificum vitis tot tantaque huius veritatis exempla occurrunt, vt auctor Pontificalis plerumque verba Catalogi exscripsisse videatur. De Simplicio Papa habet Catalogus: *Hic constituit ad Sanctum Petrum, & ad Sanctum Paulum, & ad Sanctum Laurentium hebdomadas, vt presbyteri manerent propter baptismum, & pœnitentiam petentibus, de regione prima ad Sanctum Paulum, de regione tertia ad S. Laurentium, de regione septima ad S. Petrum.* Quæ auctor Pontificalis his verbis refert: *Hic constituit ad S. Petrum Apostolum, & ad S. Paulum Apostolum, & ad Sanctum Laurentium Martyrem hebdomadam, vt presbyteri manerent ibi propter pœnitentes, & Baptismum, regionem tertiam ad Sanctum Laurentium, regionem primam ad Sanctum Paulum, regionem sextam, vel septimam ad Sanctum Petrum.* Hæc auctor libri Pontificalis, quæ nemo non videt, ex Catalogi loco superiùs allato desumpta es-

se. Habet quoquè Catalogus in Simplicij antecessore Hilaro Papa: *Hic fecit decretalem & per vniuersum Orientem direxit, & epistolas de fide Catholica*. Quæ auctor Pontificalis his verbis tradit: *Hic fecit decretalem, & per vniuersum Orientem sparsit epistolas de fide Catholica, & Apostolica confirmans tres Synodos, Nicænam, Ephesinam, & Chalcedonensem*. Quæ verba constat desumpta esse ex præfato Catalogi loco, in quo tamen nihil de tribus Synodis legitur, adeò vt necesse sit, auctorem libri Pontificalis hoc Catalogo posteriorem esse, cum illi nonnulla addiderit forsan ex eodem fonte, ex quo auctor alterius Catalogi tempore Caroli Magni ante 850. annos sequentia desumpsit in Hilaro Papa: *Hic spargit epistolas de fide Catholica per Orbem Orientalem, & confirmauit tres Synodos, Nicænam, Ephesinam, & Chalcedonensem*. Quæ ex gestis Hilari Papæ primùm ab auctore libri Pontificalis, deindè ab auctore Catalogi tempore Caroli Magni contexti desumpta videntur.

2. Secundò constat hoc ipsum ex Consulum notis, quæ in libro Pontificali ad vnumquemque Pontificatum occurrunt, & quas auctor secundi Catalogi, partim ex antiquiore Catalogo tempore Liberij conscripta desumpsit, partim de suo addidit, ita vt ex eo constare existimem, quòd omnes Consules à Lini Pontificatu, vsque ad Marcum Papam sint ijdem omninò, qui in vtroque Catalogo, & libro Pontificali assignantur, & sic auctor secundi Catalogi, ex antiquiore Catalogo, libri verò Pontificalis auctor ex secundo Catalogo Consules desumpsisse credantur. Vt autem hac de re exemplum clarissimum adferamus, habet antiquior Catalogus in Marco: *Fuit temporibus Constantini Nepotiano & Facundo Consulibus, ex die XV. Kalendas Febr. vsque in diem Nonarum Octobrium Consulibus supradictis*. Quæ auctor secundi Catalogi sic refert: *Fuit temporibus Constantini & Nepotiani secundò Consulibus ex die Kalend. Febr. vsque in diem Kalend. Octobris*. Error librariorum hic est in Consulum nominibus; nonnullaque mutatio facta videtur in diebus, quibus Marcus sedere cœpit, & desijt. Porrò auctor Pontificalis errores hos retinuit, nam ait: *Fuit autem temporibus Constantini, & Nepotiani ac Secundi Consulum, ex die Kalend. Febr. vsque in diem Kalend. Octobris*. Ex quibus confirmari videtur, quod author libri Pontificalis Consules & dies Pontificatus Marci desumpserit ex secundo Catalogo sæculo sexto conscripto; qui tunè librariorum incuria deprauatus est. Porrò antiquiorem Catalogum fontem esse, ex quo auctor se-

ſecundi Catalogi Conſulum nomina protulit, nemo in dubium vocabit, qui conſiderat, poſt Pontificatum Liberij, in quo antiquiorCatalogus finem accipit,in ſecundo Catalogo nullos amplius Conſules aſſignari. In Damaſo enim Liberij ſucceſſore habet auctor ſecundi Catalogi: *Sedit annos 17. menſes 3. dies 11. Fuit temporibus Iuliani.* Auctor verò Pontificalis: *Sedit annos decem, & octo, menſibus duobus, diebus decem.* Et poſt enarrata illa, quæ ad intruſionem Vrſicini ſpectant: *Fuit autem temporibus Iuliani*:nulla omninò mentione facta Conſulatus, quibus Damaſus cœperat, finieratque Pontificatum. Idem videre licet in Siricio, Anaſtaſio, Innocentio Primo, Zoſimo, alijſque Damaſi ſucceſſoribus, vſque ad Ioannem; cuius tempori cum auctor ſecundi Catalogi vicinus fuerit, eiuſdem Pontificatus initium, & finem certis Conſulibus aſſignauit: *Sedit*, inquit de Ioanne, *annos duos, menſes octo, dies quindecim, à Conſulatu Maximi, vſque ad Conſulatum Olibri.* Quæ eadem repetit auctor Pontificalis in hoc Pontifice, vti & in Felice Quarto, quocum auctor ſecundi Catalogi finit: *A Conſulatu Aburti vſque in Conſulatum lampadi & Oreſtis, à die 4. Idus Iuliarum vſque in diem 4. Idus Octobris.* Aburti loco auctor Pontificalis legit *Mamortini*. Cætera verba eadem omninò ſunt. Vndè auctor libri Pontificalis ea à ſecundo Catalogo mutuatus videtur. Cuius manifeſtum ſignum illud quoquè cenſendum eſt, quòd poſt Hormiſdam, & Felicem, qui duo vltimi ſunt ab auctore ſecundi Catalogi exhibiti, nullius alterius Pontificatus per Conſules deſignetur in libro Pontificali.

3. Cum itaque ex dictis pateat, vndenam auctor libri Pontificalis Conſulum notas, & pleraque geſta deſcripſit, videndum eſt, vndè cætera acta, quæ in ſecundo Catalogo minimè reperiuntur, deſumpſerit. Plura equidem reperiuntur in libro Pontificali quàm in ſecundo Catalogo, vt patet in primis ex verbis ſequentibus, quæ habentur in D. Petro: *Obijt poſt paſſionem Domini 38.* Hæc namque de tempore obitus Petri, non in ſecundo Catalogo, ſed apud D. Hieronymum libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis reperiuntur, ex quo auctor illa deſumpſit. in vita Pij Papæ habentur quidem ſequentia: *Hic ex rogatu Beatæ Praxedis dedicauit Eccleſiam, Thermas Nouati in Vico Patritij in honorem ſororis ſuæ Sanctæ Potentianæ, vbi & multa dona obtulit, vbi ſæpè ſacrificium Domino offerens miniſtrabat, imò, & fontem baptiſmi conſtrui fecit, manu ſua benedixit, & conſecrauit, & multos venientes ad fidem baptizauit in nomine Trinitatis.* Hæc tamen verba, vt

Lucas Holstenius notauit, absunt à Florentinis Codicibus manuscriptis & Regio, & quia extra ordinem apposita sunt ad finem vitæ, posteà eidem libro Pontificali adiecta fuisse creduntur. Adiecta quoque sunt, quæ in libro Pontificali habentur sub Victore: *Hic fecit constitutum ad interrogationem sacerdotum de circulo Paschæ cum presbyteris, & Episcopis facta collatione, & accersito Theophilo Episcopo Alexandriæ facta Congregatione, vt à quarta decima Luna primi mensis vsque ad vigesimam primam die Dominica custodiatur sanctum Pascha.* Hæc enim ibi extra ordinem reperiuntur, postquàm de ordinationibus actum erat, vbi & notandum, quòd illa, quæ de *Theophilo Alexandrino* narrantur, falsa sint, cum Theophilus Cæsareensis fuerit, ad quem Victor, teste Beda, hac de re scripsit. Adiecta tamen non sunt, sed semper in libro Pontificali extitisse videntur sequentia, quæ in secundo Catalogo non reperiuntur: *Fecit constitutum de Ecclesia, vt patenas vitreas ante sacerdotes in Ecclesiam Ministri portarent, donec Episcopus missas celebraret, ante se sacerdotibus astantibus, & sic Missæ celebrantur, excepto quod Ius Episcopi interesset, vt tantùm Clerus sustineret omnibus præsentibus ex ea consecratione de manu Episcopi iam coronam consecratam, & acciperet presbyter tradendam populo.* Quæ vndenam desumpta sint, fateor me ignorare.

4. Nequaquam tamen ignoratur, vndè desumptum sit, quod in Cornelio Papa habet auctor libri Pontificalis his verbis: *Sub cuius Episcopatu Nouatus Nouatianum extra Ecclesiam ordinauit, & in Africa Nicostratum. Hoc facto Confessores, qui se separauerunt à Cornelio cum Maximo presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reuersi; & facti sunt Confessores fideles. Post hoc Cornelius Episcopus Centumcellis pulsus est, & ibi scriptam epistolam de sua confirmatione, missam à Cypriano, quam Cyprianus in carcere scripsit, & de Celerino Lectore susceepit.* Hæc enim desumpta sunt partim ex antiquiore Catalogo, partim ex Cypriano ipso, vt auctor non obscurè indicat. Reliqua, quæ habentur post Beati Petri translationem de causa, ob quam Beatus Cornelius martyrio coronatus est, ex Actis Sancti huius Pontificis desumpta sunt, vti & ex Actis Stephani, quæ auctor libri Pontificalis habet ab his verbis: *Suis temporibus*, vsque ad illa: *Fecit ordinationes.* Quæ omnia in secundo Catalogo desiderantur. Pauca omninò addita sunt in vitis Caij, & Marcellini, plura verò in vita Marcelli, in qua sequentia leguntur: *Hic rogauit quamdam Ma-*

Matronam nomine Priscillam, & fecit Cœmeteria via Salaria, & 25. titulos in Vrbe Roma constituit, quasi Diœceses propter baptismum, & pœnitentiam multorum, qui conuertebantur ex paganis. Et vt cætera omittam; plura de Lucinæ domo in Ecclesiam consecrata, & per Maxentium in stabulum conuersa, in illis Marcelli Actis, quæ manuscripta etiamnùm supersunt, reperiuntur; adeò vt ex his, vel similibus Actis desumpta esse constet.

5. Porrò sicut Actis Pontificum vsus fuit Auctor libri Pontificalis pro vitis illorum, qui tribus primis sæculis vixerunt, ita in vita Sancti Syluestri, vsus videtur varijs donationibus pijs, & instrumentis Ecclesiarum, quæ in Archiuo Sedis Apostolicæ asseruabantur. Additiones enim libri Pontificalis consistunt vt plurimùm in donationibus ab Imperatore Constantino, eiusque pietatis hæredibus, & Romanis ipsis Pontificibus factis. Omitto eas, quæ quamplurimæ in vita Syluestri continentur; satis namque erit pauca ex vita Sancti Marci delibasse, in qua legitur: *Hic fecit duas Basilicas, vnam via Ardeatina, vbi requiescit; & aliam in Vrbe Roma iuxta Palacinis... Huius suggestione obtulit Constantinus Augustus Basilicæ, quam Cœmeterium constituit via Ardeatina, fundum rosarum cum omni agro campestri præstantem solidos 40. in Basilica in Vrbe Roma obtulit hæc: patenam argenteam pensantem libras 30. vrnas argenteas duas pensantes libras 20. scyphum argenteam pensantem libras 10. calices ministeriales argenteos 3. pensantes libras binas: coronam argenteam pensantem libras 10. fundum Antonianum via Claudia præstantem solidos 30. fundum Vaceanum via Appia præstantem solidos 40., & trimisios duos: fundum Orrea via Ardeatina præstantem solidos 55. & trimisium vnum*. Hæc omnia auctor libri Pontificalis, qui cum Romæ scripserit, si Bibliothecæ Apostolicæ, aut Archiuo, non præpositus fuerit, accessum saltem ad ea habuit, & indè notitiam donationum habuisse videtur, eaque pro augendis Pontificum gestis vsum fuisse. Vndè colligere licet, quanti fieri mereantur illa, quæ hac de re in libro Pontificali continentur, cum vel ex Sedis Apostolicæ Archiuis, vel ex Catalogis quarto, & sexto sæculo concinnatis desumpta sint. Atque hæc quidem de priori parte libri Pontificalis, quæ ab vno, eodemque auctore à D. Petro, vsque ad Zachariam Papam contexta est.

6. De Zachariæ, & sequentium Pontificum Actis vsque ad Nicolaum Primum facilius nos expediemus, cum iam suprà monstratum sit, quod ab auctoribus coætaneis, qui Romæ vixe-

xerunt conscripta sint. Sic Zachariæ, Stephani III. & Pauli gesta scripsit auctor Romanæ Ecclesiæ Clero adscriptus, & forsan Archiuo Apostolico præpositus. Sic etiam vitæ Stephani IV. & Hadriani Primi ab auctore synchrono, qui Basilicæ Lateranensis aut Vaticanæ Clero adscriptus erat, editæ fuerunt, vt cap. 6. num. 5. ostendimus. auctor vitæ Leonis III. forsan è Clero Basilicæ Sancti Pauli fuit, vt eodem capite innuitur num. 6. Paschalis, & trium successorum Eugenij II. Valentini, & Gregorij III. vitas ab auctoribus Romanis conscriptas esse circa eorundem Pontificum tempora, patet ex numero 7. Sergij II. & Leonis IV. gesta non modo ab auctore Romano, & contemporaneo, sed magnæ auctoritatis viro, & oculato teste fuisse descripta, monstrauimus numero 8. Et quamuis ignoretur, quis Benedicti III. vitam exararit, ab auctore tamen contemporaneo editam fuisse, oportuit; siquidem concinnata fuit ante Anastasium Bibliothecarium, qui vitam illam cum vita Nicolai Primi, qui Benedicto successit, à se conscriptas libro Pontificali adiecit, vt facilè conijcere licet ex ijs, quæ numero 9. capitis sæpè citati tradidimus.

7. Nec solùm ab auctoribus coæuis, sed etiam ex authenticis Romanæ Ecclesiæ monimentis historia pontificia secundæ huius partis conscripta fuit. Si enim Romanorum Pontificum, qui ab anno 742. vsque post noni sæculi medium sederunt, vitas peruoluamus, reperiemus profectò, auctores vitarum illarum ex Romanæ Ecclesiæ regestis, ex Scrinijs Apostolicæ Sedis desumpsisse ea, quæ retulerunt. Omnes enim Romæ scripserunt, & vel Basilicarum Lateranensis, Vaticanæ, & D. Pauli Archiuis præpositi fuerunt, vel earumdem Basilicarum Clero adscripti chartas, & regesta Archiuorum consulere potuerunt. Sic auctor in Stephano III. Zachariæ successore: *De omnibus receptis Ciuitatibus donationem in scriptis à Beato Petro, atque à Sancta Romana Ecclesia, vel omnibus in perpetuum Pontificibus Apostolicæ Sedis misit possidendam, quæ hactenùs in Archiuo Sanctæ nostræ Ecclesiæ recondita tenetur.* Sic quoquè in vita Hadriani Primi citat auctor donationem Caroli Magni Beato Petro factam: *Sicut*, inquit, *in eadem donatione contineri monstratur* addit exemplar illius donationis super corpus Beati Petri positum: *Aliaque*, inquit, *eiusdem donationis exempla per Scriniarium huius Sanctæ nostræ Ecclesiæ descripta eius Excellentia secum deportauit.* Quibus quidem verbis indicat auctor, se non fuisse Scriniarium Archiui Vaticani, fuisse tamen eiusdem Ecclesiæ adscriptum, & donationum exempla à Scriniario exarata conspexisse. Quid plura? In vitis

tis reliquorum Pontificum vſque ad Nicolaum I. toties Scriniorum Apoſtolicæ Sedis mentio facta reperitur, vt vel ob hanc rationem eorum omnium auctorem Anaſtaſium Bibliothecarium ſtatuerint Onuphrius Panuinius, Ciaconius, alijque viri eruditi.

8. Atque ex his omnibus patet, quantæ auctoritatis poſterior pars libri Pontificalis habenda ſit, vtpotè quæ ab auctoribus contemporaneis ex antiquis Romanæ Eccleſiæ monumentis in Archiuis eius aſſeruatis contexta eſt. Licet autem prior pars non conſcripta ſit ab auctoribus ſynchronis; ex antiquis tamen Romanę Eccleſię monimentis pariter concinnata fuit: adeò vt pro diſcernendis Romanæ Eccleſiæ ritibus, pro eiuſdem diſciplina, & dogmatibus cognoſcendis, hic liber meritò allegari poſſit, cum ex eo horum omnium notitia eruatur. Si enim de ritibus ſacrificij, qui iam indè à primis temporibus cœperunt; ſi de ordinationibus Epiſcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, & inferioris Cleri, eorumque munijs; ſi de reliquijs Martyrum, de inuocatione Sanctorum, de pſalmis, & orationibus, in Eccleſia recitari ſolitis; ſi de varia ſummi Pontificis electione; ſi de ſexcentis alijs diſciplinæ, rituum, & dogmatum Eccleſiaſticorum capitibus agamus: reperiemus profectò in hoc libro Pontificali, vndè cunctis ſatisfiat: perſpectos habebimus Hæreticorum errores, & cognoſcemus quando, & à quibus damnati ſint; Conciliorum Generalium Acta, Pontificum decreta, Synodorum Nationalium, & Prouincialium ſtatuta obſeruabimus; & quibus modis Eccleſiæ regimen octo primorum ſæculorum ſpatio conſtitit, facilè conijciemus. Ita vt vix ſciam, an in tota antiquitate opus aliud reperiatur, ex quo tam multa, ac ex libro Pontificali, addiſci poſſint.

9. Atque hæc ſufficiant de libri Pontificalis præſtantia & auctoritate, quam Hæretici ipſi non contemnendam eſſe declararunt. Blondellus enim, dum contra Turrianum ſcribit de epiſtolis decretalibus primorum Pontificum, obſeruat in prolegomenis capite 12. libri Pontificalis ſcriptorem vixiſſe ante annum ſeptingenteſimum, & citari à *Beda, Amalario Fortunato, Vualafrido Strabone, & alijs Anaſtaſio Bibliothecario antiquioribus*. Adiungit cap. 16. *Scriptorem fortè non malum eſſe*. Alibi fatetur, *eo veteres Eccleſiæ Romanæ tabulas contineri, nihilque eo ſcripto incorruptius editum, nihilque à falſi ſuſpicione alienius reperiri poſſe*. Hanc Blondelli ſententiam ſecutus eſt Salmaſius, qui fatetur cum Blondello, authorem quaſi ſolis radio ſcripſiſſe, quorum ſententiam, dum in operibus poſthumis Diſſertatione I. de ſerie

rie Romanorum Pontificum, capite 12. improbare ſtudet Pearſonius, rationem num. 12. adducit: *Quia auctor eius anonymus, & incertus ſexti ſæculi ſcriptor, & ſtatus primitiuæ Eccleſiæ ignarus fuit.* Adiungit nonnulla, quæ præoccupati animi indicia ſpirant, & auerſæ religionis hoſtem produnt: vndè mirum nemini videbitur, quòd narrationes in libro Pontificali contentæ ipſi diſpliceant, ritus Romanæ Eccleſiæ ibidem exhibitos contemnat, doctrinas, ſiue dogmata primitiuæ Eccleſiæ in eo expreſſa ſugillet, & repudiet. Oſtendimus ſanè, ex quibus fontibus ea, quæ in libro Pontificali traduntur, deſumpta ſint. Ex quibus facilè quiſque diſcernet, Pearſonium humani quid paſſum eſſe, dum contra libri Pontificalis authorem inſurgit, quem dum ſęculo ſeptimo ſcripſiſſe fatetur, meliùs de Romana Eccleſia, eiuſque diſciplina, ritibus, & fide inſtructum fuiſſe, quàm nouiſſimis his temporibus natos, agnoſcere debuiſſet. Atque hoc meum de libro Pontificali iudicium eſt: nunc librum ipſum cum Catalogis, ex quibus magna eius pars deſumpta eſt, Lectorum oculis exhibebimus, vt cuncta vnico intuitu agnoſcantur.

CATALOGI
ET ACTA
ROMANORVM
PONTIFICVM
EX
ANTIQVISSIMIS SCRIPTORIBVS
ET MSS. CODICIBVS
EX QVIBVS EDITVS FVIT
LIBER PONTIFICALIS

ANASTASIO BIBLIOTHECARIO TRIBVTVS,

QVI EXHIBETVR

EX CORRECTIONE V. C. LVCAE HOLSTENII.

QVI ANASTASII OPVS AD MANVSCRIPTOS CODICES VATICANOS, CASSINENSES, REGIOS, FLORENTINOS, ET FARNESIANVM RECENSVIT.

ACCEDVNT

NOTAE NOSTRAE BREVIORES,

QVIBVS NONNVLLA OBSERVATV DIGNA DILVCIDE EXPLICANTVR.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Bibliot. Cæsareæ, ad M. S. exemplar & editionē Cuspiniani correcta.	Iuxta Secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
D. Irenæus lib. 3. cap. 3. A gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundata, & constitutà Ecclesia. D. Epiphanius Hær. 7. num. 6. Romanorum Pontificum ista successio est: Petrus, & Paulus. S. Optatus lib. 2. Sedit prior Petrus. D. Augustinus epist. 165. Ordo Episcoporum sibi succedentium à Petro.	Chronicon. Petrus Apostolus natione Galilæus Christianorum Pontifex primus, cum primùm Antiochenam Ecclesiā fundasset, Romam proficiscitur, vbi Euangelium prædicans 25. annis eiusdem Vrbis Episcopus perseuerat.	A 1. Imperante Tiberio Cæsare, passus est Dominus noster Iesus Christus duobus Geminis Consulibus VIII. Kal. Aprilis, & post ascensum eius Beatissimus Petrus Episcopatum suscipit. Ex quo tempore per successionem dispositum, quis Episcopus, quot annis præfuit, vel quo imperante. Petrus annis 25. mense 1. diebus 9. Fuit temporibus Tiberij Cæsaris, & Caij, & Tiberij Claudij, & Neronis à Cōsulatu Vinicij & Lōgini, vsq; Neronis & Veteris: passus autem cum Paulo die 3. Kal. Iulias, Consulibus suprascriptis, imperante Nerone.	† 1. Beatus Petrus Antiochenus, filius Ioannis, Prouinciæ * Gallileiæ, Vico Betzaida, frater Andreæ, & Princeps Apostolorum primum sedit Cathedra Episcopatus in Antiochia annis X. Hic Petrus ingressus in Vrbem Romam Nerone Cæsare, ibique sedit cathedram Episcopatus annos XXV. menses II. dies III. *Fuit temporibus Tiberij Cæsaris, & Gaij, & Tiberij Claudij, & Neronis*. Hic scripsit duas Epistolas, quæ Canonicæ nominantur, & Euangelium Marci, quia Marcus auditor eius fuit, & filius de baptismo, post omnem quatuor euangeliorum fontem * ad interrogationem Petri * firmati sunt, dum alius Græcè, alius Hebraicè, alius Latinè consonent. Hic martyrio cum Paulo coronatur. Hic fecit ordinationes tres, Diaconos septem per mensem Decembrim. Qui & sepultus est via Aurelia in templo Apollinis iuxta locum, vbi Crucifixus est, iuxta Palatium Neronianum in Vaticano * in territurium Triumphale 3. Kal. * Iulij.
Irenæus. Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Epiphanius. Linus, & Clerus. D. Opt. & S. Aug. Petro successit Linus.	Chronicon. Post Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit Linus annis XI.	2. Linus annis duodecim, mensibus 4. diebus 12. Fuit temporibus Neronis à Consulatu Saturnini, & Scipionis, vsque Capitone & Rufo.	2. Linus natione Italus Regionis * . . . . . Patre Erculano, sedit annos XI. menses III. dies XII. *Fuit autem temporibus Neronis à Consulatu Saturnini & Scipionis vsque* ad *Capitone, &* Rufino Consulibus. Martyrio coronatur. Hic ex

* Cod. Colb. *Galilæa*. Henscen. *Galatiæ*.

*Hensch. addit, *quæ*

* *legit firmata*.

* H... *inter Zeturium*.

* *Iun.*

* Hensc. addit *Tuscia*.

		Nota.	*Nota.*
		A Hic Catalogus pauca Acta exhibet, nihilque fermè præter Consules, & Imperatores, quibus	† Hic Catalogus ferè vbiq; mutatur tempora Imperatorum, & Consulum ab antiquiore Catalogo; quòd vbi factum sit, lector ex ijs quæ Italico charactere exarata sunt

pre-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

1. S. PETRVS APOSTOLVS.

A *Beatus Petrus* Apostolus, & Princeps Apostolorum *Antiochenus, filius Ioannis, Prouincia Galileæ, vico Betsaida, frater Andreæ.* Primus sedit cathedra Episcopatus in Antiochia annos 7. *Hic Petrus ingressus* est *in Vrbem Romam Nerone Cæsare, ibique sedit* * *Cathedra Episcopatus annos* 25. * mensem 1. dies 8. *Fuit* autem *temporibus Tiberij Cæsaris, & Caij, & Tiberij Claudij, & Neronis. Hic scripsit duas epistolas, quæ* * Catholicæ *nominantur, & Euangelium Marci, quia Marcus auditor eius fuit, & filius de baptismo:* quæ *post omnem quatuor Euangeliorum fontem*, quæ *ad interrogationem* & testimonio eius, hoc est *Petri formata sunt, dum alius Latinè, aliusque Græcè, & alius Hebraicè consonant*, tamen eius testimonio sunt firmata. *Hic martyrio cum Paulo coronatur* post Passionem Domini annis * 38. *qui sepultus est via Aurelia in templo Apollinis iuxta locum, vbi crucifixus est iuxta Palatium Neronianum in Vaticano* iuxta territorium triumphale * in Calend. Iul. Hic fecit ordinationes per mensem Decembrium Episcopos 6. presbyteros 10. * *Diaconos* 8.

* Florent. secund. *Cathedram*.
* Flor. duo: *Menses 2. dies III.*
* Flor. & Vat. *Canonicæ.*
* Flor. 39.
* Vat. & Flor. *III. Kal.*
* Florent. duo & Vat. *Diac. VII.*

2. S. LINVS.

Linus natione Italus, *regionis* Tusciæ, *ex patre Herculano sedit* * *annos XV.* menses III. dies XII. *Fuit autem temporibus Neronis, à Consulatu Saturnini & Scipionis vsque Capitonem &* Rufum *Consules. Martyrio coronatur. Hic ex præcepto Beati Petri constituit, vt mulier in Ecclesiam velato capite introiret.* Hic fecit ordinationes duas, Episcopos XV. presbyteros XVIII. *qui sepultus est iuxta Corpus B. Petri in Vaticano sub die 9. Kal. Octobris.*

* Vatic. & duo Flor. *annos XI.*

Notæ.

A Auctor huius libri Pontificalis fere omnia sua mutuatur ab auctore secundi Catalogi, quod indicamus charactere Italico: illa verò quæ alio charactere excusa sunt, aliunde auctor desumpsit; vt quæ habet de Martyrio Apostolorum anno 38. post Christi mortem, & de ordinationibus à Petro & Lino peractis.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Bibliot. Cæsareæ, ad M.S. exemplar & editionē Cuspiniani correcta.	Iuxta Secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.	
			præcepto B. Petri constituit, vt mulier in Ecclesia velato capite introiret, qui & sepultus est iuxta corpus B. Petri in Vaticano * *VIII*. Kal. Octobris.	* Hensc. IX.
Irenæus. Succedit autem ei Anacletus. Epiphanius. Clemens. D. Opt. & S. Aug. Lino successit Clemens.	Chronicon. Romanæ Ecclesiæ secundus Episcopus constituitur Cletus annis XII. Hist. lib. 3. cap. 13. Linus Anencleto regendam tradidit Ecclesiam.	† 3. Clemens annis IX. mensib. XI. diebus XII. Fuit temporibus Galbæ & Vespasiani, a Consulatu Trachali & Italici, vsque Vespasiano VII. & Tito.	3. Cletus natione Romanus de Regione Vico Patricij, Patre Æmeliano. Sedit annos XII. mensem I. dies VI. *Fuit autem temporibus Vespasiani & Titi à * Domitiani, à Consulatu Vespasiani* VII. *& Domitiani V. vsque ad Domitiano IX. & Rufo Coss.* Martyrio coronatur. Hic ex præcepto B. Petri 25. presbyteros ordinauit in Vrbe Roma mense Decembri, qui etiam sepultus est iuxta corpus B. Petri in Vaticano VI. Kal. Maias.	Sic in vtroque M. S. Cod. * Hensc. &
Irenęus. post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens. Epiphanius.	Chronicon. Romanæ Ecclesiæ Episcopus tertius præfuit Clemens annos IX. Hist. lib. 3. cap. 15. Anno eiusdem	4. Cletus annis 6. mensibus 2. diebus 10. Fuit temporibus Vespasiani & Titi, & initio Domitiani à Consulibus Ve-	*A* 4. Clemens natione Romanus de regione Cœlio monte, ex Patre Faustino, sedit annos IX. menses II. dies X. *Fuit* autem *temporibus Galbæ & Vespasiani, à Consulatu Trachali & Italici, vsque * Vespa-*	* Cod. Colb. *Vespasiano VIII.*
		Nota.	*Nota.*	
		Pontifices vixerunt, habetque de illo Cuspinianus Comm. in Cassiodori fastos: *Oblatum est mihi peruetus opusculum anonymi auctoris, quo Pontifices Max. sub quibus Coss. fuerint, enumerantur.*	addiscet. Cæterum scatet librariorum erroribus, eum quibus hic editur, vt talis habeatur, qualis in M. SS. Codicibus legitur.	
		† Clemens Tertio, Cletus quarto loco ponuntur, qua vero ratione, ignoratur: cum Canon Missæ Traditionem Ecclesiæ Romanæ his verbis exhibeat: *Lini, Cleti, Clementis.*	*A* VV. CC. Henschenius & Papebrochius in editione huius Catalogi Clementem ante Cletum exhibuerunt, cùm tamen in M. S. Codice Reginæ Sueciæ, quem pluribus mensibus penès me habui, & ex quo prima huius Catalogi editio facta est à præfatis Viris, Cletus ordine tertius, & Clemens or-	

siano

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

3. S. Cletus.

*Cletus natione Romanus, de regione Vici Patricij, sedit * annos XII. mensem I. dies XI. Fuit autem temporibus Vespasiani & Titi, à Consulatu Vespasiani VII. & Domitiani V. vsque ad Domitianum IX. & Rufum Consules. Martyrio coronatur. Hic ex præcepto B. Petri * 35. presbyteros ordinauit in Vrbe Roma mense Decembri, qui etiam sepultus est iuxta Corpus B. Petri in Vaticano * 6. Kal. Maias,* & cessauit Episcopatus dies XX.

* Flor. duo. *annos XI.*

* Cassinensis. Vat. & Flor. Cod. 25. *presb.*

* Cass. & Florent. *VII. Kal.* Vat. & Flor. secund. *VI. Kal.*

4. S. Clemens.

A *Clemens natione Romanus de Regione Cælio monte ex patre Faustino. Sedit annos IX. menses II. dies X. Fuit autem temporibus Galbæ & Vespasiani, à Consulatu * Traiani, & Italici, vsque Vespasianum IX. & Titum.* Hic dum multos libros zelo fidei Christianæ religionis adscriberet, martyrio coronatur. *Hic fecit septem regiones * diuidi Notarijs fidelibus Ecclesiæ, qui gesta Martyrum sollicitè, & curiosè vnusquisque per regionem suam diligenter perquirerent.* Hic fecit duas Epistolas, quæ Catholicæ nominantur. Hic ex præcepto B. Petri suscepit * Ecclesiam, & Pontificatum gubernandum, sicut ei fuerat à Domino Iesu Christo cathedra tradita vel commissa, tamen in Epistola quæ ad Iacobum scripta est, qualiter ei à B. Petro commissa est Ecclesia, reperies. Ideò Linus & Cletus ante eum scribuntur, eò quòd ab ipso Principe Apostolorum ad ministerium Sacerdotale exhibendum sunt Epi-

* Vatic. Flor. duo & Cass. *Traiani.*

* Cassin. *& diuisit.*

* Flor. *Ecclesiæ Pontificatum.*

Notæ.

A Plura in Clemente narrat auctor libri Pontificalis, quæ aliunde quàm ex Secundo Catalogo desumpta sunt, neque id ipsum occultat; nam quæ de Clementis Pontificatu refert, ex epistola Clementis ad Iacobum se desumpsisse affirmat. Quamuis autem epistola illa supposititia sit, antiquissima tamen est, & Rufini ætatem superat, iamque à tertij sæculi fine, aut initio quarti sub Clemētis nomine circumferebatur. Quæ autem in Clemente traduntur in edit. Anastasij, in Petro exhibentur à duobus Codicibus Florentinis, Cassinensi, vti & Mazarino, Thuano, & altero Marquardi Freheri.

sco-

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Biblior. Cæsareæ, ad M. S. exemplar & editionē Cuspiniani correcta.	Iuxta Secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Succiæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
SS. Opt. & Aug. Clementi Anacletus.	Imperatoris (Domitiani) 12. Anencletus successorem reliquit Clementem.	spasiano VIII. & Domitiano V. vsque Domitiano IX. & Ruso.	*siano IX.* & Tito. Martyrio coronatur. Hic fecit septem regiones, & diuidit notarijs fidelibus Ecclesiæ, qui gesta Martyrum sollicitè & curiosè vnusquisque per regionem suam diligenter perquireret, & fecit duas Epistolas. Hic fecit ordinationes tres, presbyteros X. diaconos 2. Episcopos per diuersa loca V. per mensem Decembris. Obijt Martyr tertio Traiani, qui sepultus est in Græcia * *IX.* Kal. Decemb. & cessauit Episcopatus dies XXI.
Irenæus .... Epiphan. .... D. Opt. & Aug.	Deest in Chronico, sed reperitur in Historia, & confunditur cum Cleto.	5. Anacletus annis 12. mensib. 10. diebus 3. fuit temporibus Domitiani à Consulibus Domitiano X. & Sabino, vsque Domitiano XVII. & Clemente.	5. Aneclitus natione Græcus de Athenis, ex patre Antiocho. *Sedit annos duodecim, menses decem, dies tres. Fuit* autem *temporibus Domitiani à Consulatu Domitiani X. & Sabini, vsque* ad *Domitiano XVII. & Clemente* Consulibus. Hic memoriam B. Petri construxit, & composuit, dum presbyter factus fuisset à Beato Petro, vbi Episcopi reconderentur, vbi * tamen & ipse sepultus est, Hic fecit ordinationes duas, presbyteros quinque, diaconos tres, Episcopos per diuersa loca septem * per mensem Decembrem: & cessauit Episcopatus dies quindecim.

* Hensc. *VIII.* & omittit vltima verba de sede vacante.

* Hensc. *tandem*.

Nota:

dine quartus exhibeantur. Eodem autem modo exhibetur Cletus in M. S. Codice Colbertino, ex quo Baluzius in notis ad me missis: *Cletus ponitur ante Clementem.*

Ire-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

ſcopi ordinati. *Hic fecit ordinationes* duas per menſem Decembrem, *Presbyteros 10. Diaconos 2. Epiſcopos per diuerſa loca 15. Obijt martyr * anno Traiani III. qui etiam ſepultus eſt in Græcia VIII. Kalend. Decembris, & ceſſauit Epiſcopatus dies 22.*

* Lucas Holſt. *Traiani 3. vterque M.S. Florentin. intelligitur autem tertius Conſulatus* *A* *iuxta Baronium ad principium anni 102.*

5. S. ANACLETVS.

Anacletus natione Græcus de Athenis ex patre Antiocho. Sedit annos * nouem, menſes duos, dies decem. *Fuit autem temporibus Domitiani, à Conſulatu Domitiani X. & * Sauini, vſque ad Domitianum XVII. & Clementem Conſules. Hic memoriam B. Petri conſtruxit, & compoſuit, dum presbyter factus fuiſſet à B. Petro ſeu* alia loca, *vbi Epiſcopi reconderentur* Sepulturæ: *vbi* autem *& ipſe ſepultus eſt*, iuxta Corpus B. Petri 3. Idus Iulij. *Hic fecit ordinationes duas* per menſem Decembrem, *Presbyteros quinque, Diaconos tres. Epiſcopos per diuerſa loca numero * ſex*: & ceſſauit Epiſcopatus dies 13.

* Caſſin. *annos 12.*

* Flor. prim. *Sabini*.

* Flor. *ſeptem*.

Notæ.

A Quæ hic notantur ex Baronio, correctione indigent, nam certum eſt, librum Pontificalem non agere de Conſulatu tertio, ſed anno tertio Imperij Traiani, quo Clemens obijt. Vide diſſ. 2. cap. 2.

6. S.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Bibliot. Cæsareæ, ad M. S. exemplar & editioné Cuspiniani correcta.	Iuxta Secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Succiæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
Irenæus. Clementi autem succedit Euaristus. S. Epiphanius. Euaristus. SS. Opt. & Aug. Anacleto Euaristus.	Chronicon. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum quartus suscepit Euaristus annis 9. Hist. lib. 3. cap. 34. Clemens anno supradicti Imperatoris [Traiani] tertio obijt, Euaresto Sacerdotium relinquens.	6. Euaristus annis 13. mensib. 7. diebus 2. fuit temporibus nouissimis Domitiani, & Neruæ, & Traiani, a Consulatu Valentis & Veri vsque Gallo, & Bradua.	6. Euaristus natione Græcus Antiochenus ex patre Iuda de ciuitate Bethleem, sedit annos nouem, menses decem, dies duos. *Fuit autem temporibus Domitiani, & Neruæ Traiani, à Consulatu Valentis, &* Veteris, *vsque* ad *Gallo, & Bradua* Consulibus. Martyrio coronatur. Hic titulos in Vrbe Roma diuisit Presbyteris. & septem Diaconos ordinauit, qui custodirent Episcopum prædicantem propter stylum veritatis. Hic fecit ordinationes quatuor, Presbyteros septemdecim, Diaconos nouem, Episcopos per diuersa loca quindecim, qui & sepultus est iuxta corpus Beati Petri in Vaticano * V. Kalend. Nouembris, & cessauit Episcopatus dies nouemdecim. [Margin: * Hensc. Neruæ. — * Vterq; Cod. *V. Cal.* Hensc. legit *VI. Kal.*]
Irenæus. Euaristo Alexander. Epiphan. Alexander. * S. Optat. . . . . D. Aug. Euaristo Alexander.	Chronicon. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum quintus tenet Alexander an. 10. Hist. lib. 4. cap. 1. Cum Euarestus ann. octo in Pontificatu exegisset Romæ Episcopatum suscepit Alexander.	7. Alexander annis septẽ mensibus duobus, die vno. Fuit temporibus Traiani a Cõsulatu Palmæ, & Tulli vsque Æliano, & Vetere.	7. Alexander natione Romanus ex patre Alexandro de regione Caput Tauri, sedit annos decem, menses septem, dies duos. *Fuit autem temporibus Traiani, † vsq; Æliano, & Vetere.* Hic passionem Domini miscuit in prædicatione Sacerdotum. Martyrio coronatur, & cum eo Euentius Presbyter, & Theodolus Diaconus. Hic constituit aquam sparsionis cũ sale benedici in habitaculis hominum. Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros sex, Diaconos duos, Episcopos per

Notæ.

* Mirum, quòd Optatus omittat Alexandrum, quem omnes agnoscunt.

Notæ.

† Ælianus, & Vetus, sub quibus Alexander obijsse dicitur, Consules fuerunt anno 116. & iuxta morem huius Catalogi, anno dumtaxat sequenti obijt Alexander, quo etiam obijt Traianus, prout testantur Acta Alexandri his verbis. *Nutu Dei eodem anno defunctus est Traianus.*

di-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentiois duobus, Cassinensi, Regio & Farnesiano Codicibus.

6. S. Evaristvs.

Euaristus natione Græcus ex patre Iudeo, nomine *Iuda*, *de Ciuitate Bethleem*, sedit annos * tredecim, menses sex, dies duos. *Fuit autem temporibus Domitiani, & Nerua Traiani à Consulatu Valentis & Veteris, vsque ad Gallum, & Braduam Consules. Martyrio coronatur.* * *Hic titulos in Vrbe Roma diuisit Presbyteris, & septem Diaconos* constituit, *qui custodirent Episcopum prædicantem propter stylum veritatis. Hic fecit ordinationes* * tres per mensem Decembris, Presbyteros * 6. Diaconos 2. Episcopos per diuersa loca * 5. *qui etiam sepultus est iuxta corpus B. Petri in* * *Vaticanum.* * *6. Kalend. Nouembris, & cessauit Episcopatus dies nouemdecim.*

* Cassin. & Flor. duo. *ann. IX.* Florent. Sec. *ann. X.*

* Deusdedit lib. 2. cap. 76. in M.S. collectione citat hunc locum vsque ad *Veritatis*

* Cass. *ordin. duas.*

* Flor. Sec. & Cass. *presb. XVII.*

* Cass. & Flor. Sec. *loca 15.*

* Flor. *Vaticano.*

* Vat. *XVI. Kal.*

7. S. Alexander.

Alexander natione Romanus ex Patre Alexandro de regione Caput Tauri, sedit * annos octo, menses quinque, dies duos. *Fuit autem temporibus Traiani, vsque ad Helianum, & Veterem. Hic Passionem Domini miscuit in* * *præcationem Sacerdotum*, quando Missæ celebrantur. *Martyrio coronatur, & cum eo* A *Euentius Presbyter, &* * *Theodorus Diaconus. Hic constituit aquam* aspersionis *cum sale benedici in habitaculis hominum hic fecit ordinationes tres* per mensem Decembrem, *Presbyteros 6. Diaconos 2. Episcopos per diuersa loca numero 5. qui* etiam *sepultus est Via Numentana, vbi decolatus est, ab Vrbe Roma* * non longe *miliario septimo. 5. nonas Maij, & cessauit Episcopatus dies 35.*

* Vat. Cass. & duo Flor. *an. X. Men. VII.*

* Flor. Vat. & Cass. *Prædicatione.*

* Flor. duo, Vat. & Cass. *Theodotus.*

* Deest in Florentino secundo: *non Longe*

Nota.

A De Euentio, & Theodulo, qui cum S. Alexandro Martyrij palmam adepti sunt, ita referunt Alexandri Acta: *Vadens autem* (S. Seuerina) *in septimo milliario de Vrbe Româ via Numentana in prædio suo, S. Alexandrum, & S. Euentium vno posuit monumento. S. vero Theodulum in alio loco sepeliuit.* Ex quibus patet, non Theodorum, vel Theodotum, sed Theodolum, vt habet secundus Catalogus, esse legendum.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Bibliot. Cæsareæ, ad M.S. exemplar & editionẽ Cuspiniani correcta.	Iuxta Secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
			diuersa loca quinque per mensem Decembris, qui & sepultus est via Nomentana, vbi decollatus est ab Vrbe Roma milliario septimo. V. Nonas Maias, & cessauit Episcopatus dies 37.
Irenæus. Sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus. Epiph. Xixtus. S. Oprat. Euaristo Sixtus. D. Aug. Alexandro Sixtus.	Chronicon. Romanæ Ecclesiæ Episcopatũ sextus tenet Sixtus annis decem. Hist. lib. 4. cap. 4. Anno autem Imperij Hadriani tertio Alexander Romanæ Vrbis Episcopus fato functus est, cum decem annos administrationis explesset, cui successit Xyxtus.	8. Sixtus annis decem, mensibus tribus, diebus viginti vno. Fuit temporibus Hadriani à Consulatu Nigri, & Aproniani, vsque Veronio, & Ambibulo.	8. Xistus natione Romanus ex patre pastore de regione Via lata. Sedit annos decem, menses duos, diem vnum. *Fuit* autem *temporibus Hadriani, vsque* ad Vero, & Angulo. Martyrio Coronatur. Hic constituit, vt ministeria sacrata non tangerentur, nisi à ministris. Hic constituit, vt quicumque Episcopus euocatus fuerit ad sedem Romanam Apostolicam, rediens ad Parochiam suam non susciperetur, nisi † confirmata salutationis Plebe ad sedem Apostolicam. Hic constituit, vt intra actionem sacerdotis incipiens populus hymnũ decantaret: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth &c.* Hic fecit ordinationes tres, presbyteros vndecim, diaconos tres, Episcopos per diuersa loca quatuor, qui etiam sepultus est iuxta Corpus B. Petri in Vaticano * *VI nonas* Aprilis, & cessauit Episcopatus menses III. duos. *Hensch. Nou.
Irenæus. Sixto Telesphorus.	Chronicon. Romanæ Ecclesiæ Episcopa-	9. * Telesphorus annis vndecim, mensibus	9. Telespor Natione Græcus ex Anachorita *sedit annos vndecim, menses tres,* dies vigin-
		Nota. * Loco *Antonini Macrini* legunt Henschen. & Papebrochius. *Hadriani*; cum tamen in M.S. Codice habeatur, vt nos hic edimus.	*Nota.* † *Formata* vt legit auctor libri Pontificalis, litteras enim formatas, seu Communicatorias dabat Episcopis Sedes Apostolica, & commercio earum totius orbis in vna communionis societate concordabat, vt affirmat S. Optatus Mileuitanus. Ad hunc porro locum ti

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio & Farnesiano Codicibus.

8. S. SIXTVS.

Sixtus Natione Romanus ex patre Pastore de Regione Via lata. Sedit annos decem, * *menses tres, dies viginti vnum. Fuit autem temporibus Adriani, vsque ad Verum, &* * Anniculum, *Martyrio coronatur. Hic constituit, vt ministeria sacrata non tangerentur, nisi à ministris. Hic constituit, vt quicumque Episcoporum euocatus fuisset ad Sedem Apostolicam, &* * *rediens ad Parochiam suam non susciperetur, nisi cum litteris* * Patriarchæ salutationis plebi quæ est formata. *Hic fecit ordinationes tres* per mensem Decembris, *Presbyteros* 11. *Diaconos* 4. *Episcopos per diuersa loca numero* 4. *qui etiam sepultus est iuxta Corpus B. Petri in* * *Vaticanum* tertio nonas Aprilis. *Et cessauit Episcopatus dies duos.*

* Cassin. & Flor. duo. *Menses duos, diem vnum.*
* Flor. prim. *Ambiguus Bibulus.*
* Deest in Vatic. & Flor. *Et*
* Cassin. *Apostolica.* Vatic. & Flor. duo. *Sedis Apostolicæ.*
* Flor. *Vaticano.*

9. S. TELESPHORVS.

A *Telesphorus natione Græcus ex Anachorita sedit annos vndecim, menses tres, dies vigintiduos: Fuit autem temporibus Antonini, & Marci: hic constituit, vt septem hebdomadas* ante Pa-

Nota.

A In Telesphoro incipit auctor libri Pontificalis adiungere nonnulla, quæ aliunde desumpsit, quam ex secundo Catalogo, vt rationem, quam addit de non incipienda Missa ante horam diei tertiam, id est, iuxta computum horarum in Palestina fieri assuetum, vbi dies hora sexta ante meridiem incipiebat, & in meridie sexta finiebat. Cæterum ex eo quod auctor libri Pontificalis non numeret Consules, qui desunt in secundo Catalogo, & reperiuntur in primo, colligitur non quidem primo, sed secundo vsum fuisse.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalog. Bibl. Cæsareæ, ad M.S. exemplar, & editioné Cuspiniani correcta.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Regiæ Sueciæ ad M.S. exemplar Biblioth. Colbertinę correcta.	
Epiphan. Telesphorus. SS. Optat. & Aug. Sixto Telesphorus.	tum septimus suscepit Telesphorus. Hist. lib. 4. cap. 5. Anno duodecimo Hadriani, cum Xystus Episcopatum Vrbis Romæ 10. annis obtinuisset, septimus ab Apostolis Telesphorus in eius locum successit.	tribus, diebus tribus. Fuit temporibus Antonini Macrini à Cósulatu Titiani, & Gallicani, vsque Cæsare, & Albino.	ti vnum. *Fuit* antem *temporibus Antonini*, & Marci. Hic constituit, vt septem hebdomadis ieiunium celebraretur Paschæ. Martyrio coronatur. Hic fecit, vt natali Domini Nostri Iesu Christi noctu missæ celebrarentur, & in ingressu sacrificij hymnus diceretur angelicus: Gloria in excelsis Deo &c. *A* tantum noctu Natalis Domini. Hic fecit ordinationes quatuor, presbyteros duodecim, diaconos octo, Episcopos per diuersa loca quatuordecim per Mensem Decembrem: qui etiam sepultus est iuxta Corpus B. Petri in Vaticano IV. nonas Ianuar. & cessauit Episcopatus * Dies sex.	* Cod. Col. *Dies 7.*
Irenæus. ac deinceps Hyginus. * Epiph. Hyginus. SS. Opt. & Aug. Telesphoro Hyginus.	Chronicon. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum octauus Suscepit Hyginus an. 4. Lib. 4. cap. 10. Antonini Pij anno primo Pontificatum Romanæ Vrbis sortitus est Hyginus.	10. Hyginus annis duodecim mensibus tribus, diebus sex. Fuit temporibus † ...	10. Iginus natione Græcus ex Philosopho de Athenis, sedit annos quatuor, dies tres, menses sex. *Fuit* autem *tem-temporibus* Seueri, & Marci à Coss. Magni & Camerini vsque ad Orfito, & Camerino. Hic Clerum composuit, & distribuit Gradus, & fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros quindecim diaconos quinque Episcopos per diuersa * loca sex, qui etiam Sepultus est iuxta corpus B. Petri in Vaticano III. Kal. Ianuarij, & cessauit Episcopatus dies tres.	Hensc. hic plura omittit, & mutat, contra vtriusq; Cod. lectionem. * Codic. Colbert. *loca 6.*
Nota.		*Nota.*	*Nota.*	
* Epiphanius ante Hyginum habet alium Euaristum, qui, nescio quomodo in eius Catalogum irrepserit, cum à nemine agnoscatur.		† Lacunæ in Hygino, & Aniceto reperiuntur in M. S. Cæsareo, quæ tamen ex secundo Catalogo suppleri possunt, vtpote cuius auctoris temporibus in M.S. cod. extabant, ex quo Imperatorum, & Consulatuum notas colligere licet.	Secundi Catalogi, auctor epistolarum Decretalium secundam Sixti Epistolam composuit, quæ est de sacris Vasis à solis ministris tangendis, & de non redeundo sine formatis Epistolis. *A Tantum noctu Natalis Domini.* Vndenam auctor Catalogi desumpserit, hymnum Angelicum: *Gloria in excelsis Deo* tantum noctu Natalis Domini cantari debuisse iuxta Telesphori decretum, fateor	

11.

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.	Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.
ſcha *ieiunium celebraretur, & natali Domini noctu* missa celebrarentur*, cum omni tempore ante horæ † tertiæ cursum nullus præsumeret missam celebrare, qua Dominus noster ascendit crucem, & ante Sacrificium *Hymnus diceretur Angelicus, hoc est, Gloria in excelsis Deo*. Martirio * coronatus est, *qui sepultus est iuxta Corpus Beati Petri in Vaticano IV. nonas Ianuarÿ: hic fecit ordinationes* quatuor *per mensem Decembrem* * *Presbyteros* 12. *Diaconos* 8. *& cessauit Episcopatus* dies 4.	* Vatic. & Flor. *missa celebraretur, nam constituit, vt*. * Flor. & Caſſ. *Coronatur*. * Vat. & Florent. addunt; *Episcopos per diuersa loca tredecim*.

10. S. Hyginus.

Hyginus Natione Græcus ex Philosopho de Athenis, * cuius Genealogia non inuenitur, *sedit annos quatuor*, menses tres, dies octo. *Fuit autem temporibus Veri, & Marci à Consulatu Magni & Camerini, vsque* * *Orfidum*, & Priscum. *Hic Clerum composuit, & distribuit Gradus*. Hic *fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, Presbyteros* 15. *Diaconos* 5. *Episcopos per diuersa loca* * septem: *qui etiam sepultus est iuxta Corpus Beati Petri in Vaticano tertio* Idus *Ianuarÿ*, *& cessauit Episcopatus dies* 3.	* Vat. *cuius Genealogiam non inuenimus*. * Vat. *ad*. * Florent. Caſſ. & Vat. *Sex*.

Nota.

† *Cum omni tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret missam celebrare, qua Dominus noster ascendit crucem*. Hora diei tertia iuxta modum computandi horas diei in palestina vsu receptum, vt supra annotauimus. Præclarum est autem hoc Telesphori decretum, quòd in primitiua Ecclesia locum habere potuit, dum vnum altare in singulis Ecclesijs, & non plusquam vna missa per diem in illis celebrabatur.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalog. Bibl. Cæsareæ, ad M.S. exemplar, & editionē Cuspiniani correcta.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
Irenæus. post Pius, Epiphan. Pius. SS. Opt. & Aug. Igino Anicetus.	Chronicon. Romæ nonus Episcopus ordinatur Pius annis 15. Lib. 4. cap. 11. Hygino post quartum Episcopatus annū mortuo, Romanæ Ecclesiæ Sacerdotium suscepit Pius.	11. Anicetus annis .... à Consulatu Gallicani, & Veteris, vsque Præsente, & Rufino.	11. Anicitus natione Syrus ex patre Ioanne de Vico Amisa: Sedit annos vndecim, menses quatuor, dies tres. Fuit autem temporibus Seueri & Marci, *à Consulatu Gallicani & veteris, vsque Præsente & Rufino*. Hic Constituit, vt Clericus comam non nutriret. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris, Presbyteros octo, Diaconos quatuor, Episcopos per diuersa loca octo, qui etiam sepultus est iuxta corpus Beati Petri in Vaticano XII. Kal. Maij, & cessauit Episcopatus dies sex. *Cod. Colbert. locat.* *Cod. Colbert. Dies 7.*
Irenæus. Post Pium Anicetus. Epiphan. Anicetus ...., qui Pio alijsque pontificibus successit. * SS. Opt. & Aug. Aniceto Pius.	† Chronicon. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum decimus tenet Anicetus annos 10. Hist. lib. 4. cap. 11. Romæ cum Pius anno Pontificatus sui 15. obijsset, Anicetus Ecclesiæ illius Antistes factus est.	12. Pius annis viginti, mensibus quatuor, diebus viginti vno. Fuit temporibus Antonini Pij à Consulatu Clari, & Seueri, vsque duobus Augustis. Sub huius Episcopatu frater eius Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit Angelus, cum venit ad eum in habitu Pastoris.	12. Pius natione Italus ex patre Rufino, frater Pastoris de ciuitate Aquileia, sedit * annos octodecim, menses quatuor, dies tres. *Fuit autem temporibus Antonini Pij à Consulatu Clari, & Seueri: sub huius Episcopatu frater ipsius Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quòd præcepit Angelus Domini, cum venit ad eum in habitu Pastoris*, & præcepit ei, vt Sanctum Pascha die Dominica celebraretur. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, Presbyteros octodecim, Diaconos viginti vnum, Episcopos per *Codic. Colbert. an. 19.*
Nota.	*Nota.*		*Nota.*
* S. Epiphanius finit Catalogum suum in Aniceto, vnde & nos in sequentibus eius testimonium omittimus.	† Eusebius sibi contradicit in Chronico, & Historia. In Chronico namque Pium Aniceto præponit, in Historia postponit; rectius quidem in Chronico, vt patet ex notis supra.		me ignorare: initio tamen Ecclesiæ non adeò frequenter recitatum fuisse, vt nunc fit in omnibus festis, vel ex antiquo Sacramentario Gregorij M. patet, quòd tempore Caroli M. scriptum asseruatur in Bibliotheca Palatino Vatic. vbi initio legitur: *Item dicitur Gloria in excelsis Deo, si Episcopus fuerit tantummodo die Dominico siue diebus festis: à Presbyteris autem minimè dicitur, nisi solo in Pascha.* e Vel ex ijs, quæ habet auctor huius Catalogi de libro Hermetis, apertum fit, quod vsus sit antiquiore Catalogo, ex quo ea desumpsit.

diuet-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.

† 12. S. ANICETVS.

Anicetus natione Syrus ex patre Ioanne de Vico * *Omisa*, sedit annos * nouem, menses tres, dies tres. *Fuit autem temporibus Seueri & Marci, à Consulatu Gallicani, & Veteris, vsq; ad Presentem, & Rufinum: Hic constituit, vt Clerus comam non* * *nutriret*. Secundum præceptum Apostoli: *hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris* * *Presbyteros* 17. *Diaconos* 4. *Episcopos per diuersa loca* numero 9. qui etiam obijt Martyr, & sepultus est in Cœmeterio Calixti 12. *Kal. Maij*, *& cessauit Episcopatus* * *dies* septem.

* Vat. & Flor. prim. *Humisa*.
* Florent. duo. *an.* 11, *men.* 4.
* Cassin. & Flor. *Nutriat*.
* Flor. duo. Vatic. & Cass. *Presbyteros* 19. *Episc.* 32.
* Flor. duo, Cass. & Vatic. *dies septemdecim*.

11. S. PIVS.

Pius natione Italus ex patre Rufino, frater Pastoris de ciuitate Aquileia. Sedit annos * XIX. *menses IV. dies III. fuit autem temporibus Antonini Pij à Consulatu Clari & Seueri* *. *Sub huius Episcopatu Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit Angelus Domini, cum veniret ad eum in habitu Pastoris, & præcepit ei, vt Sanctum Pascha die Dominico celebraretur*. Hic constituit, hæreticum venientem ex Iudęorum hæresi suscipi & Baptizari. Et Constitutum de Ecclesia fecit. *Hic fecit ordinationes* * *quinque per mensem Decembrem*, *Presbyteros 19. Diaconos 21. Episcopos per diuersa loca numero* * 12. *qui etiam sepultus est iuxta* † *B. Petri in Vaticano V. idus Iulias, & cessauit Episcopatus dies* 12. [hic ex Rogatu B. Praxedis dedicauit Ecclesiam Thermas Nonati in vico Patrici in honorem sororis suæ S. Potentianæ, vbi & multa dona obtulit, vbi sæpius Sacrificium Domino offerens ministrabat, imo & fontem Baptismi constitui fecit, manu sua benedixit, & consecrauit, & multos venientes ad fidem baptizauit in nomine Trinitatis.

* Vat. *annos* 11.
* *Sub huius* &c. apud S. Iuonem decret. lib. 4. cap. 145.
* Florent. & Cass. *ordin. tres*.
* Flor. *num.* 10. † adde *Corpus*.
[Absunt hec omnia à Florentinis M. SS. item à Regio & Vaticano.

Notæ.

† *Duodecimus Anicetus*. Ex hoc numero Pontificatus duodecimo, patet auctorem libri Pontificalis Pium Aniceto præposuisse, cum enim Hyginum statuat decimum, & Anicetum duodecimum, Pius in antiquis libri Pontificalis Codicibus intercedere debuit, sicut attestatur Lucas Holstenius, qui notat. *Hic in manuscriptis Florentinis ponitur Pius, cui subditur deinde Anicetus*. Et sic Codex Reginæ Sueciæ. Notatur quoque in corpore Byzantinæ Historiæ post Anastasij vitas Pontificum *in Regio, & Mazarino Codicibus anteponitur pius Aniceto*.

12. S.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalog. Bibl. Cæsareæ, ad M.S. exemplar, & editioné Cuspiniani correcta.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginę Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
			diuersa loca duodecim: qui etiam sepultus est iuxta Corpus B. Petri V. idus Iulij, cessauit Episcopatus die 14.
D. Irenæus. Successit Aniceto Sother. SS. Optat. & Aug. Pio Soter.	Chronicon. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum 11. suscepit Soter ann. 8. Lib. 4. cap. 19. Cum Anicetus Ecclesiæ Romanæ Episcopatum 11. annis obtinuisset, Soter in eius locum successit.	13. Soter annis nouem, mensibus tribus. Fuit temporibus †....	13. Soter natione * Campanus ex patre Concordio de ciuitate Fundis, sedit annos * octo, menses sex, dies viginti vnum. *Fuit temporibus* Seueri à Consulatu Rustici & Aquilini, vsque Cethego & Claro. Hic constituit, vt * nullus monachus palla sacrata contingeret, nec incensum poneret intra Sanctam Ecclesiam; hic fecit ordinationes tres per Mensem Decembris, Presbyteros 17. Diaconos 8. Episcopos per diuersa loca 11. qui sepultus est iuxta Corpus B. Petri X. Kal. Maij. Cessauit Episcopatus dies 11.
* Irenæus. duodecimo nunc loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius. SS. Optat. & August. Soteri Eleutherius.	Chronicon. Romanæ Ecclesiæ duodecimus Episcopatum suscipit Eleutherius annis 15. lib. 5. cap. 1. Sotere Romanæ Vrbis Episcopo post octauum Episcopatus annum vita functo, 12. ab Apostolis Eleutherius in eius locum successit, anno 17. Antonini Veri.	14. Eleutherius annis ..... fuit temporibus Antonini Commodi à Consulatu Veri & Ereniani vsque Paterno, & Bradua.	14. Eleuther natione Græcus ex patre Abundantio de oppido Nicopoli, sedit annos quindecim, menses tres, dies duos. *Fuit temporibus Antonini, & Commodi, vsque ad Paterno, & Bradua.* A Hic accepit Epistolam à Lucio Britanniæ rege, vt Christianus efficeretur per eius mandatum, & hoc
Nota. * In Eleuthero finit Catalogum suũ Irenæus, qui sub eodem Pontifice Romam venit, & floruit.		***Nota.*** † Lacuna antiquioris Catalogi in Sotere suppleri posset ex M.S. Cæsareo, in quo habetur: *temporibus Antonini, & Commodi, à Consulatu Veri & Herenniani, vsque Paterno, & Bradua.* Verum vitio librarij, Consulatus hic aliunde in M.S. irrepsit.	***Nota.*** Antiquior autem Catalogus ob libri auctoritatem eius mentionem fecit, primis namque temporibus à fidelibus legebatur, neque parum contulisse creditur ad Sacrum Pascha die Dominico celebrandum. Videri possunt Eusebius lib. 5. c. 9. Origines. Clemens Alexandr. Tertullianus, alijque, qui eius meminerunt. A *Hic accepit epistolam à Lucio Britannia Rege.* Idẽ refert Ven. Beda lib. 1. hist. Gentis Anglorum c. 4. vbi: *Cum Eleutherius vir Sanctus Pontificatui Rom. Ecclesiæ præesset, misit ad eum Lucius Britannorum Rex Epistolã obsecrans, vt per eius manda-*

Margin notes: * Hensc. Romanus — * idem male legit an. 9. — * idem legit: *vt Nulla Monacha* prout etiam legit quidã in margine Cod. Reginæ Sueciæ: uterq; tamen Codex legit *vt nullus Monach.*

con-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.

13. S. SOTER.

Soter natione Campanus ex patre Concordio de Ciuitate Fundis, sedit annos nouemdecim, * menses tres. *Fuit* autem *temporibus Seueri à Consulatu Rustici & Aquilini, vsque* ad *Cetegum & Clarum: hic constituit*, † *vt * nulla monacha pallam Sacratam contingeret*, * *nec incensum poneret* in *Sancta Ecclesia*. *Hic fecit ordinationes * tres per mensem Decembrem*, Presbyteros 8. Diaconos 9. *Episcopos per diuersa loca numero* 11. *qui* etiam *sepultus est in* Cœmeterio Calisti via Appia 10. *Kalend. * Maij, &* cessauit Episcopatus dies 22.

* Vati. Reg. & Florentini duo *menses 6. dies 21.*

* Florent. secund. Vat. & Reg. *nullus monachus*.

* Reg. *nisi*.

* Cass. & Flor. duo, *ordin. quinque*.

* Flor. secund. *Iunias*.

14. S. ELEVTHERIVS.

Eleutherius natione Græcus, ex Patre Abundio *de oppido Nicopoli, sedit annos quindecim*, * menses sex, dies quinque. *Fuit* autem *temporibus Antonini & Commodi, vsque ad Paternum & Braduam. Hic accepit Epistolam à Lucio Britannia Rege, vt Christianus efficeretur per eius mandatum, & hoc* iterum firmauit, vt nulla esca * Vsualis à Christianis *repudiaretur*, * *maximè fidelibus*, quam Deus creauit, quæ tamen rationalis, & humana esset. *Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembris*, Presbyteros 12. Diaconos 8. *Episcopos per diuersa loca numero* 15. *qui etiam sepultus est iuxta Corpus B. Petri Apostoli* in Vaticano * *VII. Kal. Iunij*, & cessauit Episcopatus dies * V.

* Cass. & Flor. *mens. 3. dies 2.*

* In Cass. & Vat. deest *Vsualis*.

* In Vat. deest: *maxime fidelibus*.

* Cass. *9. Kal.*

* Flor. *dies 15.*

Nota.

† *Hic constituit, vt nulla monacha, &c.* legunt tres M. SS. Codices, *vt nullus monachus*. Verum *monacha* lectio retinenda, quam auctor ex secundo Catalogo desumpsit, & Codex Palatino-Vaticanus sæculo 8. conscriptus seruat. Notandum autem, Soteris temporibus Monachas fuisse, siue illæ fuerint, quæ in monasterijs simul, & in communi viuebant sub aliqua matre, quarum mentionem facit D. Optatus Mileuitanus, qui eas tempore Donatistarum in Africa fuisse affirmat, siue sint Virgines Deo Sacratæ, quæ in parentum domibus habitabant, & cum reliquo populo ad Ecclesiam accedebant, propioremque ad Sacrum Bema locum habebant, vt monachi quoque, de quibus loquitur Dionysius libro de Hierarchia Ecclesiastica.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalog. Bibl. Cæsareæ, ad M. S. exemplar, & editioné Cuspiniani correcta.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginę Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.	
			constituit, vt nullus * repudiaretur á Christianis maximè fidelibus, quem Deus creauit, qui tamen rationabiles sunt. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembris, Presbyteros 11. Diaconos 7. Episcopos per diuersa loca 15. qui sepultus est iuxta Corpus B. Petri VII. Kal. Iunij: cessauit Episcopatus dies Septemdecim.	* Hensc. addit *cibus* quod verbum deest in vtroque Cod.
SS. Opt. & Ang. Eleutherio Victor.	Chronicon. Romæ Episcopatum suscipit decimus tertius Victor annis decem. lib. 3. cap. 22. Commodo decimum annum Imperij agente cum Eleutherus 13. annis Episcopatum administrasset, Victor in eius locum successit.	15. Victor annis decē, mensibus duobus, diebus decem †	15. Victor natione Afer ex patre Felice, sedit annos decem, menses duos, dies decem, fuit temporibus * Cæsaris á Consulatu Commodi II. & Glabrione, vsque Laterano & Rufino. Hic constituit, vt Pascha die Dominica celebraretur, sicut Pius. Hic fecit sequentes Cleros: martyrio coronatur. Constituit, vt necessitate faciente, vbi inuentus fuisset, siue in flumine, siue in mari, siue in fonte, aut stagno (tantum Christiana confessione declarata credulitatis) efficeretur integer Christianus, quicumq; hominum ex * gentile veniens, vt Baptizaretur: fecit Concilium, & interrogatio facta est de Pascha, vel de die prima cum Theophilo Episcopo Alexandriæ de Luna. Hic fecit ordinationes duas, Presbyteros 4. Diaconos 5. Episcopos per diuersa loca 12. qui sepultus est iuxta Corpus B. Petri V. Kal. August. & cessauit Episcopatus dies 11.	* Addit Hensc. *Commodi Pertinacis & Seueri*. Legit. *Commodi V.* vbi in M. S. est 11. — * Hensc. legit *Gentilitio*.
		Nota. † Lacuna annorum Eleutherij suppleri potest ex omnibus Catalogis posterioribus, in quibus habentur 15. *anni*. Alia autem lacuna Consulum in Victore suppleri potest ex secundo Catalogo.	*Nota.* *tum Christianus efficeretur, & mox effectum pia postulationis consecutus est.* Quæ omnino concinunt Catalogi, & Libri Pontificalis verbis.	

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.

15. S. VICTOR.

Victor natione Afer ex patre Felice, sedit annos decem, menses vndecim, dies decem: fuit autem *temporibus* * Helij pertinacis & Seueri *à Consulatu commodi* V. *& Glabrionis vsque ad Lateranum & Rufinum. Hic constituit, vt S. Pascha die Dominico celebraretur*, † Sicut & Eleuther. *Hic fecit * sequentes Cleros: martyrio coronatur*, & *constituit, vt necessitate faciente* * ibi, *vbi inuentus fuisset, siue in flumine, siue in mari, siue in fontibus*, tantum *Christiana confessione* credulitatis clarificata, *quicumque hominum ex gentilitate veniens, vt Baptizaretur. Hic fecit ordinationes* * tres per mensem Decembrem, *Presbyteros quatuor*, Diaconos septem, *Episcopos per diuersa loca duodecim*. Hic fecit constitutum ad interrogationem Sacerdotum de circulo Paschæ cum Presbyteris, & Episcopis facta collatione, & accersito Theophilo Episcopo * Alexandriæ, facta congregatione, vt à quarta decima Luna primi mensis vsque ad vigesimam primam die Dominica custodiatur Sanctum Pascha. * *Hic sepultus est iuxta Corpus B. Petri* in Vaticano *V. Kal. Aug. & cessauit Episcopatus Dies* duodecim.

* Reg. Vat. & Florent. *Cæsaris Aug. a Commodo 2. & Glaberione.*

* Flor. *Frequentes.*

* Flor. secund. & Vat. deest. *ibi.*

* Florent. 2. & Vat. *duas.*

* Cæsarceusi.

* Hoc loco ponunt Flor. secund. & Reg. *ordinationes duas*, deinde: *martyrio coronatur, qui & sepultus est.*

Notæ.

† *Sicut & Eleuther.* Secundus Catalogus habet: *Sicut Pius*, qui occasione libri *Pastoris* præcipere potuit, vt Sanctum Pascha die Dominico celebraretur. Cæterum hunc ritum, qui apud Asianos vsu receptus non fuit, Victor Papa vbique obseruari voluit, eaque de re frequentia Concilia tam Romæ quam in aliarum regionum Prouincijs celebrari iussit, quod vltimis verbis auctor indicat, & omnino concinit illi, quod hac de re tradit Eusebius lib. 5. cap. 23.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon, & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Bibliot. Cęsar. ad M.S. exemplar, & editionem Cuspiniani correcta.	Iuxta secundum Catalogum Bibliot. Reginæ Sueciç ad M. S. exemplar Bibl. Colbertinæ correcta.
SS. Opt. & Ang. Victori Zepherinus.	Chronicon. Zephyrinus decimus quartus Romanæ Ecclesiæ Episcopatum suscepit an. 17. Lib. 5. cap. 28. Zephyrinus Victori successit.	16. Zephyrinus annis .... à Consulatu Saturnini, & Galli, vsque Præsente, & Extricato.	16. Zypherinus natione Romanus ex patre Abundantio, sedit annos septem, menses sex, dies decem. Fuit temporibus * Antonini, & Seuerini, *Consulatu Saturnini*, Antonini, & Gallicani, *vsq; ad Presente, & Stricato* Consulibus. Hic constituit † præsenciam omnibus Clericis, & Laicis fidelibus, siue Clericus, siue Leuita, siue Sacerdos ordinaretur., & fecit constitutum de Ecclesia, vt patenas vitreas * ante se Sacerdotes in Ecclesia, & ministros supportarent, dum Episcopus missam celebraret, ante se Sacerdotes omnes astãtes, sic missæ celebrarentur, excepto cuius Episcopi interest, vt tantum * Clerus sustineret: omnibus præsentibus ex ea consecratione de manu Episcopi, iam coronam consecratam acciperet presbyter habendam populo. Hic fecit ordinationes quatuor per mẽsem Decembris, Presbyteros 14. Diaconos 7. Episcopos per loca 13. qui sepultus est in cœmeterio suo iuxta cœmeterium Calisti, via Appia: & cessauit Episcopatus dies 5.
SS. Opt. & Aug. Zepherino Calixtus.	Chronicon. Calistus decimus quintus Romanæ Ecclesiæ Episcopatum suscepit annos 5. Lib. 6. cap. 21. Primo an. Antonini Zepherinus Romanæ Vrbis Episcopus abijt è vita, cum per annos 13. Sacerdotium obtinuisset, post quem Calistus Episcopatum suscepit.	17. Calistus annos 5. menses 2. dies 10. Fuit temporibus Macrini, & Heliogabali, à Consulatu Antonini & Aduenti, vsque Antonino III. & Alexandro.	17. Calistus natione Romanus ex patre Domitio de regione Vrbe Rauennatium. Sedit *annos quinque, menses duos*, dies vndecim. *Fuit temporibus Macrini & * Theodoli Obolli, à Consulatu Antonini*, & Alexandri.

* Hensc. legit *Seueri, & Antonini.*

* Ita vterque Cod. vbi tamen Hensch. legit *ante Sacerdotes in Ecclesia ministri portarẽt.* addit quoque alia

* Colb. legit: *Clericus.*

* Hensc. *Heliogabali.* rectè quidem, sed non iuxta lectionem M. SS. Codd.

Nota.

† *Hic constituit præsentiam.* Legit auctor libri Pontificalis: *in præsentia.* Statuitque Zypherinus, ordinationes publicè in Ecclesia peragi, prout etiamnum obseruatur. Idem Zephyrinus statuisse dicitur, vt celebranti Episcopo adstarẽt omnes Sacerdotes istius Ecclesiæ, qui ritus etiamnum perseuerat.

dri.

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

16. S. Zepherinvs.

Zepherinus natione Romanus ex patre Abundio, sedit * annos 17. menses 2. dies 10. *Fuit* autem *temporibus Antonini & Seueri, à Consulatu Saturnini* & *Gallicani vsque ad Præsentem & Striganum Consules*. *Hic Constituit*, vt in præsentia omnium Clericorum & Laicorum fidelium *siue * leuita siue Sacerdos ordinaretur*, *& fecit constitutum de Ecclesia*, *vt patenas vitreas ante Sacerdotes in Ecclesiam* ministri portarent, donec *Episcopus missas celebraret*, ante se Sacerdotibus adstantibus, & sic missæ celebrarentur, excepto, quod ius Episcopi interesset, *vt tantum Clerus sustineret omnibus * præsentibus ex ea consecratione de manu Episcopi tam coronam consecratam*, & * *acciperet presbyter tradendam populo*. *Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembrem* Presbyteros nouem, *Diaconos septem*, Episcopos per diuersa loca * octo, *qui* etiam *sepultus est in Cœmeterio suo iuxta Cœmeterium Calixti Via Appia* 7. Kal. Septemb. *& cessauit Episcopatus* dies 6.

* Vat. an. 16. Flor. secund. 9. Flor. prim. 7.

* Flor. & Vat. addunt *siue Clericus*.

* Flor. duo : *præsentes exeant Consecrationem*.

* *Et acciperent*. Iidem Codd.

* Flor. secund. & Vatic. *tredecim*.

17. S. Calixtvs.

Calistus natione Romanus ex patre Domitio, *de regione Vrbe Rauennatio*. Sedit annos sex, menses duos, dies decem. *Fuit* autem *temporibus Macrini* & Heliogabali *à Consulatu Antonini & Alexandri*. * [*Hic martyrio coronatur*.] *Hic constituit Ieiunium die Sabbathi ter in anno fieri*, *frumenti*, *vini*, *& olei secundum prophetiam* * [*quarti*, *septimi*, *& Decimi*.], hic fecit Basilicam trans Tiberim. *Hic* † *fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem*, Presbyteros 16. *Diaconos* 4. Episcopos per diuersa loca 8. qui etiam * sepultus in Cœmeterio Calepodij, via Aurelia, milliario 3. pridie idus Octobris, & † fecit aliud Cœmeterium via Appia, vbi multi

* [] Desunt. in Cod. Cass.

* [] Desunt in Flor. Cass. & Vat.

* *Martyrio Coronatur & sepultus est*. Ita Flor. 2.

Nota.

† *Fecit aliud Cœmeterium via Appia*, *vbi multi Sacerdotes & martyres requiescunt*, *quod appellatur vsque in hodiernum Diem Cœmiterium Calisti*. Ita auctor libri Pontificalis, & ita quoque nostris tempori-

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Bibliot. Cesaree ad M.S. exemplar, & editionem Cuspiniani correcta.	Iuxta secundum Catalogum Bibliot. Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibl. Colbertinæ correcta.	
			dri. Hic martyrio coronatur: hic constituit, Ieiunium die Sabbati ter in anno fieri frumenti, Vini, & Olei secundum Prophetam, quarti mensis, septimi, & decimi: qui sepultus est in Cœmeterio Calepodij via Aurelia, milliario tertio, pridie idus Octobris. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris, Presbyteros 15. Diaconos 4. Episcopos per loca septem: quieuit Episcopatus dies 5.	
SS.Opt.& Aug. Calixto Vrbanus.	Chronicon. Vrbanus decimus sextus Romanæ Ecclesiæ ordinatur Episcopus, annis 9. Lib.6.cap.21. Calistus cum quinquennio superstes vixisset, Vrbano Ecclesiam regendam dereliquit.	18. Vrbanus annos octo, menses 11. dies 12. Fuit temporibus Alexandri à Consulatu Maximi & Æliani, vsque Agricola, & Clementino.	18. Vrbanus natione Romanus ex patre Pontiano. Sedit * annos tres, menses decem, dies duodecim. Hic ministeria sacrata Argentea constituit, & patenas argenteas vigintiquinque, posuitq; etiam Clericos. * Confessor temporibus Diocletiani. Hic sua traditione multos conuertit ad Baptisma, etiam Valerianum sponsum S. Cæciliæ, & multi martyrio coronati sunt per eius doctrinam. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris, Presbyteros octodecim, Diaconos sex, Episcopos per loca septem. Qui sepultus est in Cœmiterio Prætextati Via Appia, quem sepeliuit B. Tiburtius XIV. Kal. Iunij, & cessauit Episcopatus dies 30.	* Hensc. legit: an. VIII. cōtra lect. Codicis. * Vterq; Codex hæc verba de temporibus Diocletiani omittit. Et ab imperito tabellario inserta sūt duobus Codic. M.SS.
SS.Opt.& Aug. Vrbano Pontianus.	Chronicon. Pontianus decimus septimus Romanæ Ecclesiæ Episcopatum suscepit, annis 5.	19. † Pontianus annos quinque, *Nota.* † Ab hoc Pontiani Pontificatu antiquiorem Catalogum alio auctore conscriptum esse, putabat Henschenius, eo quod plura acta adiungantur, quod tamen in Anthero eius successore Pontifice locum non habet, cum ibi nulla penitus acta addantur.	19. Pontianus natione Romanus ex patre Calpurnio. Sedit annos octo, menses quinque, dies duos. Martyrio coronatur *temporibus Alexandri à Consulatu Pompeiani, & Pelimiani: eodem tempore Pontianus Episcopus, & Hyppolytus Presbyter* exilio sunt deputati	In vtroque Cod. M.S. ponitur Antherus ante Pōtianum, queé Henschenium secuti postponimus, vt Catalogi respondeant sibi inuicem.

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

sacerdotes & martyres requiescunt, quod appellatur vsque in hodiernum diem Cœmiterium Calixti, & cessauit Episcopatus dies sex.

18. S. VRBANVS.

Vrbanus natione Romanus ex patre Pontiano. Sedit * annos 8. menses 11. dies 12. *Hic fecit ministeria sacrata omnia argentea, & patenas argenteas* 25. * posuit. Hic verus confessor extitit temporibus Maximini & Africani Consulum. † *Hic sua traditione multos conuertit ad baptismum &* credulitatem, *etiam Valerianum* nobilissimum virum *sponsum sanctæ Caciliæ* * quos etiam vsque ad martyrij palmam Perduxit, *&* per eius monita * *Multi martyrio coronati sunt. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem*, * Presbyteros 9. Diaconos 5, Episcopos per diuersa loca 8. *qui etiam sepultus est in Cœmeterio Prætextati Via Appia.* VIII. *Kal. Iunias, & cessauit Episcopatus dies* 30.

Flor. secund. * *an. 4. mens. 6.*

* in Flor. secund. deest. *posuit* & sequitur: *qui etiam claruit confessor tempore Diocletiani.*
† *bic sua, &c.*

Regius Codex addit: *cum fratre suo Tiburtio*, & infra post *multi* addit: *alij.*
* Fl. 2. & Reg. *Presb. XVIII. Diacones VII.*
Florent. secund. addit: *quem sepeliuit B. Tiburtius.*

19. S. PONTIANVS.

Pontianus natione Romanus ex patre Calpurnio, sedit * annos quinque, menses duos, dies duos. *Martyrio coronatur. Fuit*

in editis habetur hic Anterus, sed Codices Reg. Vat. minor, & Flor. duo post Vrbanum habent Pontianum.

Nota.

bus Cœmiterium appellatur, cuius frequens mentio in Actis Sanctorum, qui ibidem sepulti sunt. Notandum autem, quod Callistus hoc Cœmiterium fecisse traditur, adeoque verum non sit, quod à Burneto notatum fuit in litteris de Itinere Italico, Cœmeteria esse gentilium, & primum quinto sæculo Christianos in ijs sepeliri consueuisse. Vide, quæ infra ad vitam Marcelli Papæ annotabimus.

Nota.

† Quæ hoc loco ex secundo Codice Florentino adferuntur de Vrbani Pontificatu temporibus Diocletiani collocando, erronea sunt, cum Vrbanus integro sæculo ante Diocletianum obierit.

autem

A.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon, & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Bibliot. Cæs. ad M. S. exemplar, & editionem Cuspiniani correcta.	Iuxta secundum Catalogum Bibliot. Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.	
		menses duos, dies septem. Fuit temporibus Alexandri à Consulatu Pompeiani & Peligniani. Eo tempore Pontianus Episcopus, & Hyppolitus presbyter exules sunt deportati in Insulam nociuam Sardiniam, Seuero & Quintino Consulibus: in eadem insula discinctus est IV. Kal. Octobris, & loco eius ordinatus est Anteros XI. Kal. Decembris Consulibus suprascriptis.	ab Alexandro † *in Sardiniam insulam Bucinã Seuero, & Quintiano Consulibus. In eadem Insula* afflictus, fustibus maceratus defunctus *est* III. *Kal.* Nouembris: hic fecit ordinationes duas, Presbyteros quinque, Diaconos quinque, Episcopos per loca sex: quem B. Fabianus adduxit nauigio, & sepeliuit in Cœmeterio Callisti via Appia die depositionis eius ab XI. Kal, Decembris.	& vnice intuita cognoscatur quæ ex altero desumpta sunt.
SS. Opt. & Aug. Pontiano Antherus.	Chronicon. Antherus decimus octauus Romę Episcopus ordinatur mense vno. lib. 6. cap. 29. mortuo Pontiano, qui sex annis Episcopatum tenuerat, Ecclesiæ Romanæ administrationem suscepit Anteros.	20. Anteros mense vno, diebus decem: dormit 3. nonas Iannarij Maximino & Africano consulibus.	20. Anterus natione Græcus ex patre Romolo, sedit annos vndecim, mensem vnum, dies duodecim. Martyrio Coronatur temporibus *Maximini & Africani Consulum*. Hic gesta martyrum diligenter à notarijs exquisiuit, & in Ecclesia recondidit, propter quod à Maximo * Presbytero martyr effectus est. Hic ordinauit vnum Episcopum, qui sepultus est in Cœmeterio Calisti Via Appia, IV. nonas Ianuarij, & cessauit Episcopatus dies duos.	* Henschen. corrigit *Præfecto*.

Nota.

† *In Sardiniam Insulam Bucinam.* Legit antiquior Catalogus, *Insulam Nocinam*. Cæterum Buccina parua insula est ad promontorium Sardiniæ a parte Meridionali situm, in quam S. Pontianum relegatum fuisse, scribit quoque auctor libri Pontificalis.

An-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

autem *temporibus Alexandri à Consulatu Pompeiani, & Feliciani; eodem tempore Pontianus Episcopus, & Hippolytus presbyter exilio sunt* deportati *ab Alexandro in Sardiniam, in insulam * Bucinam. Seuero & Quintiano Coss. in eadem insula* * defunctus est *tertio Calendas Nouembris*, & † in eius locum ordinatus est Anterus XI. Calendas Decembris. *Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem*, Presbyteros sex, *Diaconos quinque, Episcopos per diuersa loca numero sex. Quem Beatus * Fanianos adduxit* cum clero per nauim, *& sepeliuit in cœmeterio Calisti Via Appia*, & cessauit Episcopatus à depositione eius dies 10.

20. S. ANTHERVS.

Anteros natione Græcus, ex patre Romulo, sedit * annis 12. mense 1. diebus 12. Martyrio coronatur. Fuit autem *temporibus Maximini & Africani Consulum. Hic Gesta Martyrum diligenter à notarijs exquisiuit, & in Ecclesia recondidit. * Propter quod à Maximo præfecto Martyrio coronatus est.* Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decembris, *Episcopum vnum. * Qui* etiam *sepultus est in cæmeterio Calixti Via Appia*, 3. *Nonas Ianuarij, & cessauit Episcopatus dies* 13.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

* Codices M. SS. legunt *Bucianam*.

* Addunt Flor. duo. Vatic. & Reg. *Afflictus, fustibus maceratus, martyr*.

* Flor. *Fabianus*.

* Ita in M. SS. Vat. & Reg. Vat. deest *annos* 12. Deest quoque in Florent. secundo, *fuit autem*.

* Caff. Florent. secund, Vat & Regius. *Propter quemdam Maximinum presbyterum, qui martyrio coronatus est*.

* addunt omnes M. SS. Codd. *in ciuitate Fundis Campania*.

Notæ.

† *In eius locum ordinatus est Anterus XI. Kal. Decembris.* Hæc auctor Pontificalis desumpsit ex antiquiore Catalogo, cum non habeantur in secundo; & vel ex hoc loco manifestè apparet, quod in editione libri Pontificalis malè Anterus Pontiano præponatur, quantumuis, & in secundo Catalogo idem error reperiatur. Quapropter & nos ex Manuscriptis Codicibus Vaticano, Regio, & Florentinis duobus Pontianum suo loco restituimus, & editionem huius libri absque vllo scrupulo correximus.

Iuxta SS. Patres.

Anthero
Fabianus.

Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.

Chronicon. post quem decimus nonus Fabianus annis 13.

lib. 6. cap. 22. Anteros † cum ad Mensem eo (Pontificatu) perfunctus esset, Fabianum delectum ferunt.

Iuxta antiquiorem Catalogum Bibliot. Cæsareæ, ad M.S. exemplar & editioné Cuspiniani correcta.

21. Fabianus annos quatuordecim, mensem vnum, dies decem. Fuit temporibus Maximini, & Gordiani, & Philippi, à Consulatu Maximini & Africani, vsque Decio II. & Grato. Passus XIII. Kal. Februarias. Hic regiones diuisit Diaconibus, & multas fabricas per cœmeteria fieri iussit. † post passionem eius Moyses & Maximus Presbyteri, & Nicostratus Diaconus comprehensi sunt, & in carcerem sunt missi: eo tempore superuenit Nouatus ex Africa, & separauit de Ecclesia Nouatianum, & quosdam confessores, postquam Moyses in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses vndecim, dies vndecim.

Iuxta Secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.

21. S. Fabianus natione Romanus ex patre Fabiano, *Sedit annos quatuordecim, mensem vnum*, dies vndecim. Martyrio coronatur. *Fuit* autem *temporibus Maximi & Africani, vsque Decio II.* & Quadrato, & *passus est* XIV. *Kal. Februarij. Hic regiones diuisit Diaconibus*, † & fecit sex Subdiaconos, qui septem notarijs imminerent, vt Gesta Martyrum fideliter colligerent. *Post Passionem eius Moyses & Maximinus Presbyteri, & Nicostrates Diaconus comprehensi sunt.* Eodem tempore Moyses in carcere *defunctus est, qui fuit ibi menses vndecim*, & sic multi Christiani fugerunt. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris, Presbyteros 22. Diaconos ..... Episcopos per loca 14. qui sepultus est in Cœmeterio Calisti Via Appia * XIV. Kalendas Februarij, & cessauit Episcopatus dies sex.

* Codex Colb. 14. Kal. Henschenius legit 13.

* Hensc. legit: *Diaconus* 7. idem legit 13. *Kal.*

Notæ.

† Cum Eusebio vnum mensem Pontificatus Anthero tribuente concinit antiquior Catalogus, ex quibus corrigendi secundus & liber Pontificalis, qui vndecim & duodecim annos ei tribuunt.

Notæ.

† Quæ sub Fabiano de Moyse, & socijs traduntur, auctor ex D. Cypriano collegisse videtur.

Notæ.

† *Hic fecit sex subdiaconos, qui septem Notarijs imminerent, & gesta Martyrum fideliter colligerent.* Sunt, qui putarunt eum Henschenio, Gesta Martyrum, quorum hic mentio reperitur, esse illa, quæ in antiquiore Catalogo exhibentur. Verum de paucis admodum Martyribus mentio fit in antiquiore Catalogo, & eorum Acta non describit, sed tantum martyrij genus verbo indicat. Vnde putem, acta martyrum à notarijs, & subdiaconis primitiuæ Ecclesiæ descripta, in persecutione Diocletiani cum cæteris Ecclesiæ membranis perijsse. Vel si quæ integra ex incendio euaserunt, ea ad manus nostras non deuenisse, sed temporum vetustate ferme omnia consumpta esse.

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

21. S. FABIANVS.

* *Fauianus natione Romanus ex Patre Fauio, sedit* * *annos* 14. *menses* 10. *dies* 11. *Martyrio coronatur. Fuit autem temporibus* * *Maximini, & Africani vsque ad Decium secundum & Quadratum, & passus est* * 4. *Calend. Februarias. Hic regiones diuisit Diaconibus, & fecit* septem *Subdiaconos, qui septem notarijs imminerent, vt gesta Martyrum* in integro * *colligerent*, & multas fabricas per cœmeteria fieri præcepit. Et *post Passionem eius.* * *Moyses &* Maximus † *Presbyteri, & Nicostratus Diaconus comprehensi sunt*, & in *carcerem missi sunt*. † Eodem tempore superuenit Nouatus ex Africa, & separauit de Ecclesia Nouatianum, & quosdam confessores, postquam *Moyses* presbyter *in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses* 12. * sicut & multi fuerunt. *Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris, Presbyteros* 22. Diaconos 7. Episcopos per diuersa loca numero 11. *qui* etiam *sepultus est in Cæmeterio Calixti Via Appia* * 14. *Cal. Februarij & cessauit Episcopatus dies septem.*

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

* Lucas Holst. *habetur integra apud Mombritium.*
* Mombr. *annos* 13. *sine Mensibus & Dieb.*
* Omnes Codd. M.SS. *Maximi.*
* Flor. Cass. & Vat. 13. *Kal.*
* Reg., Vat. & Flor. 2. *& fideliter.*
* XIII. *Kal.* ita Fl. & Reg.
† Mombr. addit *& Proximus*;
* Florent. *& sic multi Christiani fugerunt per diuersa loca.* Ita quoque Florent. 2. & Vat. ac Reg.
* Vat. 13. *Kal.*

Notæ.

† *Eodem tempore superuenit Nouatus ex Africa, & separauit de Ecclesia Nouatianum &c.* Hæc auctor libri Pontificalis non ex secundo Catalogo, sed ex primo desumpsit, cuius auctor ea ipsa à D. Cypriano didicit; qui Epistola ad Cornelium Papam scripsit. *Planè quoniam pro magnitudine sua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic maiora & grauiora commisit, qui istic aduersus Ecclesiam Diaconum fecerat, illic Episcopum fecit.* Nouatianum scilicet, qui primum schisma conflauit.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Bibliot. Cæsareæ, ad M. S. exemplar & editionẽ Cuspiniani correcta.	Iuxta Secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
Iuxta SS. Opt. & D. Aug. Fabiano Cornelius.	Chronicon. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum post Fabiani gloriosam mortem vigesimus suscepit Cornelius annis 2. lib. 7. cap. 2. Romæ cum Cornelius tribus circiter annis Episcopatum tenuisset, Lucius in eius locum substituitur.	22. Cornelius annos duos, menses tres, dies decem, à Consulibus Decio IV. & Decio II. vsque Gallo & Volusiano. † Sub Episcopatu eius Nouatus extra Ecclesiam ordinauit Nouatianum in Vrbe Roma, & Nicostratum in Africa. Hoc facto, confessores, qui se separauerunt à Cornelio, cum Maximo presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reuersi. Post hoc Centumcellis expulsus, ibi cum gloria dormitionem accepit.	22. Cornelius natione Romanus sedit annum vnum, menses duos, dies tres. Martyrio coronatur. Hic temporibus suis rogatus à quadam matrona, corpora Apostolorum † Beati Petri & Pauli de Catacumbis leuauit noctu, primum quidem corpus B. Pauli acceptum Beata * Luciana posuit in prædio suo Via Ostiensi iuxta locum, vbi decollatus est. B. Petri Apostoli accepit corpus B. Cornelius Episcopus, & posuit iuxta locum, vbi crucifixus est inter corpora Sanctorum in templo Apollinis in monte Aureo in * Vaticanum Palatij Neronis III. Kal. Iulij. Post hoc factum fecit ordinationem vnam, Presbyteros septem, qui etiam decollatus est ad templum Martis. Cuius corpus noctu collegit B. Lucina, & sepeliuit in crypta iuxta Cœmeterium Calisti, Via Appia in Prędio suo, * XVII. Kal. Octobris, & cessauit Episcopatus dies sexaginta sex.

Margin notes: * Lucina. — * Vaticano Palatio. — * Henschen. legit 18. Kal.

Notæ.

† *Sub Episcopatu eius Nouatus extra Ecclesiam ordinauit Nouatianum.* Quamuis auctor Catalogi videatur hoc loco repetere, quæ in Fabiano dixerat, diuersa tamen tradit. Nam Nouatus, quem sub Fabiano Romam venisse tradiderat, sub Cornelio Nouatianũ ordinasse, hoc loco affirmat. Correctione tamen indigere videtur, quod Cornelius dicatur Centumcellis dormitionem accepisse, cum D. Hieronymus in vita Pauli Eremitæ, & lib. de scriptoribus affirmet, eum Romæ passum. Quod ipsum alij Catalogi tradunt, & Acta Cornelij.

Notæ.

† Quæ in Actis Cornelij traduntur de corpore B. Petri, quod ab eo positum fuit iuxta locum, vbi crucifixus est in monte Aureo in Vaticano III. Kal. Iulij, indicant, etiam translationis diem ab Ecclesia Romana celebrari. Quomodo autem factum sit, quod Corpus D. Petri ab Anacleto adhuc presbytero in Vaticano reconditum, rursus à Cornelio huc translatum sit, duabus de causis contingere potuit: vel quia verum est, quod Gregorius magnus tradit lib. 3. reg. epist. 30. ad Constantinam Augustam, quod Orientales ea auferentes, dum Romani illos insequebantur, ea ad secundum Vrbis milliarium in catacumbis collocarunt, indeque à Cornelio translata sint: vel quia fideles in cryptis Vaticanis detecti, sub Calisto Papa cum corporibus Petri & Pauli ad catacumbas confugerant, vbi & Romani Pontifices à Fabiano sepeliri cœperunt. Vnde rogatu Lucinæ Cornelius ea in Vaticanum transtulit, vt pluribus probat Onuphrius in historia manuscripta.

Iux-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis doobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

22. S. Cornelivs.

Cornelius natione Romanus, ex patre Castino, sedit * annos tres, *menses duos*, *dies* decem. *Martyrio coronatur*. Sub cuius Episcopatu Nouatus Nouatianum extra Ecclesiam ordinauit, & in Africa Nicostratum. [Hoc facto Confessores, qui se separauerunt à Cornelio cum Maximo presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reuersi,] & facti sunt Confessores fideles. Post hoc Cornelius * Centumcellis pulsus est, & ibi scriptam epistolam de sua confirmatione missam à Cypriano, quam Cyprianus in carcere scripsit, & * de Celerino Lector suscepit. *Hic temporibus suis rogatus à quadam Matrona* Lucina, *corpora Apostolorum Petri & Pauli de catacumbis leuauit noctu. Primum quidem corpus B. Pauli* * Beata Lucina *posuit in prædio suo Via Ostiensi* ad Latus, *vbi decollatus est. Beatus* vero *Cornelius Episcopus* corpus B. Petri Apostoli, *& posuit iuxta locum, vbi crucifixus est inter corpora Sanctorum Episcoporum in templo Apollinis * in montem Aureum in Vaticano Palatij Neroniani* * VI. Cal. Iulij † *post hoc* eodem tempore audiens Decius, quod epistolam accepisset à B. Cypriano Carthaginensi Episcopo, misit Centumcellis, & adduxit Beatum Cornelium, quem tamen iussit sibi præsentari cum Præfecto Vrbis in interludo noctu ante templum * Palladis, cui ita dixit: Sic definisti, vt nec Deos, nec præcepta principum, nec nostras minas timeas, vt contra Rempublicam litteras accipias, & dirigas? Cornelius Episcopus respondit dicens: ego de corona Domini litteras accepi, non contra Rempublicam. Sed magis * speciale consilium ad animas redimendas. Tunc Decius iracundia plenus iussit os Beati Cornelij cum plumbatis cedi, & præcepit duci eum ante templum Martis, vt adoraret. Quod si non fecisset, * dicens capite truncetur. Post hoc, * id est 3. nonas Martij, iam iam ante passionem suam omnia bona Ecclesiæ tradidit Stephano Archidiacono suo. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris. Presbyteros IV. Diaconos IV. Episcopos per diuersa loca numero 7. *Qui etiam decollatus est* in loco supradicto, & martyr effectus *est*, *cuius corpus noctu collegit B. Lucina* cum clericis, *& sepeliuit in crypta iuxta Cœmeterium Calixti Via Appia in prædio suo* * 8. Cal. Septembris, & cessauit Episcopatus dies 35.

* Flor. duo *annos duos, dies tres* & sic Reg.

[ ] hæc desumpta sunt ex primo Catalogo.

* Flor. *Centumcellas*.

* Vat. *& dedit Celerino Lectori*.

* Flor. 2. *accepit, & posuit in prædio suo Via Ostiensi iuxta locum, vbi &c.* ita quoque Reg. & Vat.

* Omnes Codd. *in Monte Aureo*.

* Flor. & Reg. *III. Kal. Iulij. post hoc ambulauit noctu Centumcellas, eodem tempore &c.* Ita quoque addit Vat.

* Reg. & Flor. *Palatij, quem ita aggreditur dicens, sic definisti, vt nec Deos consideres, nec*

* Vat. *sed magis propter animas redimendas*.

† * Flor. *diceret capite truncandum*. . Addit Cass.

* *Idem Cornelius Passus est 3. nonas Martij. Itaque ante* &c.

* Reg. & Flor. duo: *XVIII. Kal. Octobris*. Ita quoque Vat.

Nota.

† Plura habet hoc loco Auctor libri Pontificalis de Cornelij martyrio, quæ ex Actis ipsis desumpsit. V.C. Papebrochius in Conatu Chronico historico hæc Acta multis vitijs laborare existimat, & illo in primis, quod Cornelium sub Decio passum affirment, cum ex dioi Cypriani epistola 52. ad Cornelium scripta constet, Cornelium post Decij mortem soperfuisse: qua de re vide, quæ à nobis scripta sunt dissertatione 2. cap. 6. Caterum vel ex his Cornelij actis patet, auctorem libri Pontificalis pleraqne desumpsisse ex duobus Catalogis, cum nonnulla verba ex primo, alia ex secundo Catalogo transcripserit.

Nota.

† Vat. minor habet. *Quod si non fecerit, capite truncari, qui cum adorare non vellet, decollatus est in loco supradicto. Cuius corpus noctu &c.* Quæ de boois Ecclesiæ Stephano Archidiacono rradiris subiuoguntur, nó agooscit, & ex sequenti Vita Lucij malè huc translata; nec Regius ea agnoscit. Ita Holst.

23. S.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Hiſtoriam Euſebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Biblıot. Cæſareæ, ad M. S. exemplar & editionē Cuſpiniani correcta.	Iuxta Secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertioæ correcta.
Iuxta SS. Opt. & Aug. Cornelio Lucius.	Chronicon. Lucius vigeſimus primus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum tenet menſes 8. lib. 7. cap. 2. Qui [Lucius] vix octo menſium ſpatio perſunctus eo munere moriens Epiſcopale officium Stephano dereliquit.	23. Lucius annos tres, menſes octo, dies decem. Fuit temporibus Galli & Voluſiani, vſque Valeriano III. & Gallieno II. Hic exul Fuit, & poſtea nutu Dei, incolumis ad Eccleſiam reuerſus eſt. Deceſſit 3. nonas Martij Coſſ. ſupraſcriptis.	23. Lucius natione Romanus ex patre Purphirio. Sedit *annos tres*, menſes tres, dies tres. * Martyrio coronatur. [In margin: * Omittuntur hæc duo verba, ab Henſch.] *Fuit temporibus Galli & Voluſiani vſque* ad *Valerianum III.* & Gallicanum. *Hic in exilio fuit, poſtea nutu Dei incolumis ad Eccleſiam reuerſus eſt.* Hic præcepit, vt duo Presbyteri, & tres Diaconi in omni loco Epiſcopum non dcſererent propter teſtimonium Eccleſiaſticum: qui etiam à Valeriano capite truncatus eſt * IV. Nonas Martij. [In margin: * Henſc. *III. Non.* ſed vterqueCod. M.S. *IV.*] Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembris, Presbyteros quatuor, Dianonos quatuor, Epiſcopos per loca ſex. Qui etiam ſepultus eſt in Cœmeterio Caliſti Via Appia. Ceſſauir Epiſcopatus dies triginta.
Lucio Stephanus.	Chronicon. Poſt quem [Lucium] vigeſimus ſecundus * Stephanus annis 3.	24. Stephanus annos quatuor, menſes duos, dies viginti vnum. Fuit temporibus Valeriani & Gallieni, à Conſulatu Voluſiani & Maximini, vſque Valeriano III. & Gallieno II.	24. Stephanus Natione Romanus, ex Patre * Iobio. † [In margin: * Henſc. legit: *Iulio*. Sed vterque Codex: *Iobio*.] Sedit annos V. menſes V. dies duos. Martyrio coronatur. *Fuit temporibus Valeriani, & Gallicani, & Maximi, vſque ad Valerianum III. & Gallicnum II.* [In margin: * Colb. *Gallicano II.* idem codex habet in Stephano, quæ codex Alex. habet in Lucio de presbyteris, *qui præfuerūt a Coſſ. Maximi, & Grauionis II. vſque Tuſco, & Baſſo XIII. Kal. Aug.*] Hic conſtituit Sacerdotes, & Leuitas Veſtes Sacras in vſum qnotidianum non vti, niſi in Eccleſia. Hic fecit ordinationes duas per menſem

Nota.

* Stephano, cui Euſebius tribuit annos tres, antiquior Catalogus tribuit annos quatuor, ſecuodus, annos qninque: liber Pontificalis iuxta quorumdam M. SS. Codd. lectiones, annos VII. & aliquot menſes. Euſebio tamen concinit S. Proſper, quos ſecuti ſumus in Chronologia.

Nota.

† *Sedit annos V.* VC. Godefrid. Henſchenius credebat, Stephanum Papam vix quinque integris menſibus Pontificem fuiſſe, reliquo tempore Vicariatum obtinuiſſe: quod quam à vero alienum, & a geſtis Stephani contra rebaptizātes aliſque diuturniori tempore peractis diſſonum ſit, animaduertit eruditus Henſchenij ſucceſſor Papebrochius, cuius proinde ſeotentia fuit, pro tempore ex notis Conſularibus hic deſignando, loco Valeriani III. & Gallieni II. legendum eſſe: Valerianum IV. & Gallienum III. quo Conſulatu anno 257. Stephanus obijt.

De-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

23. S. LVCIVS.

Lucius natione * Tuscus de Ciuitate Luca ex patre Lucino; sedit *annos tres*, menses octo, *dies tres*. *Martyrio coronatur*. *Fuit* autem *temporibus Galli*, *& Volusiani*, *vsque ad Valerium III. & Gallicanum*. *Hic in exilio fuit* * relegatus: *postea nutu Dei incolumis ad Ecclesiam* * *reuersus est*. *Hic præcepit, vt duo Presbyteri, & tres Diaconi, in omni loco Episcopum non desererent propter testimonium Ecclesiasticum: qui etiam à Valeriano capite truncatus* est III. *nonas Martij*. Hic potestatem dedit omnis Ecclesiæ Stephano Archidiacono suo, dum ad passionem pergeret. *Hic fecit ordinationes* * *duas per mensem Decembris, Presbyteros quatuor, Diaconos quatuor, Episcopos per diuersa loca* * numero tres. *Qui etiam sepultus est in Cœmeterio Calisti via Appia* VIII. Kal. Septembris, *& cessauit Episcopatus* dies XXXV.

* Vatic. Reg. & Flor. duo. *Romanus ex patre Porphyrio.*
* in Flor. secund. deest: *Relegatus*.
* Cass. & Reg. addunt: *suam*.
* Flor. Cass. & Vat. *tres*.
* Vat. *num. septem*. Flor. & Reg. *septemdecim*.

24. S. STEPHANVS.

Stephanus natione Romanus ex patre * *Iulio, sedit* * annos quatuor, menses duos, dies decem. *Martyrio coronatur*. *Fuit autem temporibus Valeriani, & Gallicani, & Maximi, vsque ad Valerianum tertium, & Gallicanum secundum*. † [Suis temporibus exilio deportatus est: postea nutu Dei reuersus est ad Ecclesiam incolumis, & post die XXXIV. tentus à Maximiano, missus est in carcerem cum nouem Presbyteris, & duobus Episcopis, Honorio, & Casto, & tribus Diaconis, Xysto, Dionysio, & Gaio. Ibidem in carcere ad arcum Stellæ fecit Synodum, & omnia vasa Ecclesiæ Archidiacono suo Xysto, in potestatem dedit, vel arcam pecuniæ, & post dies sex exiens sub custodia, ipse simul capite truncatus est]. *Hic constituit Sacerdotes, & Leuitas*, * *vt vestes sacratas in*

* Reg. & Flor. sec. *Ionio*. Flor. duo, & Reg. *annos VII. men. V. dies II.*

Quæ hac nota [ ] continentur, absunt à Codd. Vatic. Flor. duobus, & Reg.

* *Vt* deest in Vat. qui legit: *veste sacrata*. Florent. retinet *vt*, sed legit: *non vtantur*.

Notæ.

† Quæ hac nota [ ] continentur, à pluribus M. SS. Codicibus absunt, vt ex Luca Holstenio in margine notatum est. Certum autem videtur, priora verba de reditu ab exilio, ex Actis Lucij in hunc locum irrepsisse: cætera vnde desumpta sint ab illo, qui librum Pontificalem hoc loco interpolauit, fateor me ignorare, non enim in Actis eius, quæ in M. S. Codice 5771. Vaticano exhibentur, reperire potui: quin potius ibidem refertur, Stephanum in Cœmeterio Calixti in propria sede decollatum fuisse.

vsu

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalog. Bibl. Cæsareæ, ad M.S. exemplar, & editionē Cuspiniani correcta.	Iuxta secundum Catalógum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Biblioth. Colbertinę correcta.
			Decembris, Presbyteros V. Diaconos V. Episcopos per loca II. Sepultus in Cœmeterio Callisti Via Appia III. nonas Augusti, cessauit Episcopatus dies 22.
SS. Opt. & Aug. Stephano Sixtus.	Chronicon. Xystus vigesimus tertius Romanæ Ecclesiæ Episcopatum tenet annis 8. lib. 7. cap. 14. eadem tempestate [Gallieni] Romanæ quidem Ecclesiæ adhuc præerat Xystus.	25. Sixtus annis duobus, mensibus vndecim, diebus sex. Cœpit à Consulatu Maximi & Glabrionis, vsque Tusco & Basso, & passus est VIII. Idus Augusti . . . à Cōsulatu Tusci & Bassi, vsq; in diem XII. Kalendas Augusti, Æmiliano & Basso Consulibus.	25. Xistus natione Græcus ex Philosopho. Sedit annum vnum, menses decem, dies viginti quatuor. Martyrio coronatur. Fuit temporibus Valeriani & Decij. Trūcati sunt capite cum B. Xisto * quinque Diaconi Felicissimus, Agapitus, Ianuarius, Magnus, Vincentius, Stephanus, * VI. Idus Augusti, & Presbyteri præfuerunt *à Consulatu Maximi & Granionis II. vsque Tusco & Basso* * XIII. *Kal. Augusti*. † Quo tempore fuit magna persecutio sub Decio. * Et post Passionem B. Xisti, post tres dies passi sunt Laurentius eius Archidiaconus, & Claudius, Seuerus Presbyter, & Romanus Ostiarius, & Crescentius Lector. Hic fecit ordinationes duas, Presbyteros quatuor, Diaconos sex, Episcopos per loca duos. Sepultus est in cœmeterio Calisti Via Appia, nam * sex Diaconi in Cœmeterio Prætextati Via Appia VII. Idus Augusti. Beatus vero Laurentius sepultus est Via Tiburtina in crypta, in Agro Verano, IV. Idus Augusti, & cessauit Episcopatus annos duos.

* Hensc. *VI.*

* Hensc. *VIII. idus.*

*In Cod. M.S. repetitur. *Consulatu Tusci & Bassi, vsque*

* hic nōnulla omittuntur ab Hensch.

* Hensc *V.* qui hic multa mutat, & adiungit, cum nihil aliud desit, quā *sepulti sūt* ex libro Pontific.

Nota.

† *Quo tempore fuit magna persecutio sub Decio.* Error hic irrepsit quoad Decij nomen, cum non sub Decio, sed sub Valeriano diu post mortem Decij Xistus sederit. Cum tamen Stephani, Xixti, & B. Laurentij Acta passim Decianæ persecutionis mentionem faciant, intelligi possēt de persecutione, quæ sub Decio cœpit, quæque sub Gallo, & Valeriano continuata fuit.

Six-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

vsu cotidiano non vti, nisi in Ecclesia tantum: Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrium. Presbyteros VII. Diaconos V. Episcopos per diuersa loca numero III. qui etiam *sepultus est in Cœmeterio Calisti Via Appia*, IV. nonas Augusti, *& cessauit Episcopatus dies XXII.* *.

25. SIXTVS II.

Sixtus natione Graecus * *ex Philosopho*, sedit * annos duos, menses vndecim, dies sex. *Martyrio coronatur. Fuit* autem *temporibus Valeriani, & Decij*, quo tempore fuit maxima persecutio. Eodem tempore hic comprehensus à Valeriano, & ductus, vt sacrificarer demonijs: * quia contempsit præcepta Valeriani, capite truncatus est, & cum eo alij sex *Diaconi, Felicissimus, & Agapitus, Ianuarius, & Magnus, Vincentius, & Stephanus*, sub die *VI. idus Augusti*: & Presbyteri præfuerunt *à Consulatu Maximi, & Granionis, vsque ad Consulatum Tusci, & Bassi XIII. Kal. Augusti, quo tempore* sæuissima persecutione arguebatur Beatus Sixtus sub Decio. *Et post Passionem Beati Sixti post tertiã diẽ passus est & Beatus Laurentius eius Archidiaconus IV.* idus Augusti, & *Claudius* Subdiaconus, *& Seuerus Presbyter, & Crescentius Lector, & Romanus Ostiarius: hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros IV.* Diaconos VII. *Episcopos per diuersa loca duos.* Qui verò *sepultus est in Cœmeterio Calixti via Appia.* Nam * ex *Diaconi* supradicti sepulti sunt in *Cœmeterio Pretextati via Appia* VIII. Idus Augusti. *Beatus* autem *Laurentius sepultus est in Via Tiburtina* in Cœmeterio Cyriacetis *in Agro Verano in crypta* cum alijs multis martyribus *IV. Idus Augusti*, & cessauit Episcopatus dies * XXXV.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.

* Addit Flor. *& Presbyteri præfuerunt à Consulatu Maximi, & Glabrionis II. vsq; Tuscum, & Bassum, à Consulatu Tusci & Bassi, vsque XVII. Kalend. Aug. quo tempore fuit maxima persecutio sub Decio.* Florent. subiungit. *quæ mox in Xysto quoque repetuntur.*

* Flor. secund. omittit *Sixtum.* Flor. Cass. & Vat. *& Philosophus.*

* Reg. & Flor. *annum I.* Flor. *dies 23.*

* Flor. *qui contempsit præcepta Valeriani, & ob id capite, &c. & cum eo alij ex Diaconis.* hunc locum ex Gestis Pontificalibus citat Rodulphus Presbyter in Vita Rhabani apud Brouerum Antiq. Fuldens. lib. 3. pag. 240. qui vulgatam lectionem confirmat. Sed putem legendum, *alij sex ex Diaconis Fel.* &c. *ex Presbyteris Ianuar.* &c.

* Vat. & Reg. *sex Diaconi.*

* Cass. 26. Vat. 25.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Bibliot. Cæsareæ, ad M.S. exemplar & editioné Cuspiniani correcta.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Regiæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
SS. Aug. & Opt. Sixto Dionysius.	Chronicon. Dionysius vigesimus quartus Romanę Ecclesię Episcopus constituitur annis 12. lib. 17. cap. 27. Cnm igitur Xystus vndecim annis Ecclesiæ Romanæ præfuisset, in eius locnm successit Dionysius.	26. Dionysius annis octo, mensibus duobus diebus quatuor. Fuit tẽporibusGallieni ex die XI. Kalendarum Augusti Æmiliano & Basso Consulibus, vsque in diem septimum Kalendar. Ianuarij, Consulibus Claudio, & Paterno.	26. Dionysius ex Monacho, cuius generationem reperire non potuimus, sedit annos quinque, menses duos, dies quatuor. *Fuit temporibus Gallieni, ex die vndecimo Kalend. Augusti, Æmiliano & Basso consulibus, vsque in diem* VI. *Kal. Ianuarij, & Consulatum Claudij & Paterni*. Hic presbyteris Ecclesias dedit, & Cœmeteria, & Parochias Diœcesis constituit. Hic fecit ordinationes, * Episcopos septem per loca. Sepultus est in Cœmeterio Calisti Via Appia quinto Kalendas Ianuarij, & cessauit Episcopatus dies quinque. [* addit Hensch. *per mens. Decemb. Presbyteros VIII. Diaconos III.*]
Dionysio Felix.	Chronicon. Felix vigesimus quintus Romanæ Ecclesiæ Episcopatum suscepit annis quinque. lib. 7. cap. 32. Cnm Felix V. annis gubernasset Ecclesiam, Eutychianus in eius locum successit.	27. Felix annis V. mensibus XI. diebus XXV. Fuit temporibus Claudij & Aureliani à Consulatu Claudij & Paterni, vsque in Consulatum Aureliani II. & Capitolini.	27. Felix natione Romanus ex patre Constantino. Sedit annos quatuor, menses tres, dies vigintiquinque: martyrio coronatur. *Fuit temporibus Claudij & Aureliani, à Consulatu Claudi & Paterni, vsque* ad *Consulatum Aureliani & Capitolini*. Hic constituit, super sepulchra martyrum missas celebrari. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros octo, Diaconos tres, Episcopos per loca vndecim. Sepultus est in cœmeterio suo † Via Aurelia milliario secundo, III. Kal. Iunij, & cessauit Episcopatus dies quinque.

Notæ.

† *Sepultus est in Cœmeterio suo Via Aurelia milliario secundo.* Ita etiam liber Pontificalis, & quamuis viri eruditi dubitent de loco huius Ecclesiæ, an ibi sita fuerit, vbi nunc S. Pancratij Basilica conspicitur, videtur tamen longius ab Vrbe distasse, & nunc ruinis suis obruta esse; Bosius, qui in Roma subterranea hunc Felicem cum Tertio eius nominis Pontifice confundit, adducit inscriptionem in Basilica Felicis repertam.

Fe-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.

26. S. DIONYSIVS.

Dionysius ex monacho, cuius generationem non potuimus reperire: sedit * annos duos, menses tres, dies septem. *Fuit* autem *temporibus Gallieni ex die XI. Kalendarum Augustarum. Æmiliano, & Basso Consulibus, vsque in diem 7. Kalendarum Ianuariarum* à Consulatu *Claudij, & Paterni*. *Hic Presbyteris Ecclesias* * diuisit, *& Cœmeteria*, † *& Parochias, Diœceses instituit*: *Hic fecit ordinationes* duas per mensem Decembris, Presbyteros 12. Diaconos 6. Episcopos per diuersa loca, numero 8. * qui etiam *sepultus est in Cœmeterio Calixti Via Appia* VI. *Kal. Ianuarij, & cessauit Episcopatus dies V.*

* Florent. duo: *annos VII. menses II.*

* Flor. sec. & Vat. *dedit, & ministeria.*

* Vatic. & Flor. *depositus est.*

27. FELIX.

Felix natione Romanus ex patre Constantio sedit * annos duos, menses decem, dies viginti quinque, *martyrio coronatur*. *Fuit* autem *temporibus Claudij, Aureliani, à Consulatu Claudij, & Paterni, vsque ad Consulatum Aureliani, & Capitolini*: *Hic constituit* † *supra* * *sepulchra martyrum Missas celebrari*: *Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem*, Presbyteros nouem, Diaconos * duos, Episcopos per diuersa loca numero quinque: hic fecit Basilicam in via Aurelia, vbi & sepultus est *miliario* * *secundo* ab Vrbe Roma, *III. Kal. Iunij, & cessauit Episcopatus dies quinque.*

* Flor. duo *annos quatuor, menses sex*, vel *tres*, vt secund. Cod.

* Vat. & Florentini duo: *martyrum memorias.*

* Omnes Cod. M.SS. *quinque.*

* Vatic. minor: *quinta.* †

Notæ.

† *Et Parochias Diœceses instituit*. Hincmarus Remensis Opusc. 55. Capitum. Cap. 15. *Dionysius Papa Rusticanis Parochijs terminos certos posuit, ac ponendos disposuit, de quibus etiam Chalcedonense Concilium, quæ sunt nota, decreuit*. Verum iuxta Baronium ad ann. 270. in fine, agitur hic tantum de Parochijs Vrbis Romæ, quas Valeriani persecutio turbarat.

† *Supra Sepulchra Martyrum missas celebrare*. Aliæ lectiones habent: *Supra memorias Martyrum*. Sepulchra enim, vel ob inscriptiones, & signa martyrij, vel ob ossa martyrum ibidem posita, vocabantur *Memoriæ martyrum*, & ex hac Felicis constitutione ortum habuisse putem Canonem 34. Illyberitanum, *ne Cereum in cœmeterijs incendatur, inquietandi enim spiritus Sanctorum non sunt*. Quod nimirum Gentiles ex Cerei lumine detegerent loca, in quibus Martyres sepulti erant, quorum sepulchra ex illo indicio deijciebant. Porrò

Notæ.

† Milliario quinto iuxta Codicem Vaticanum: quę lectio si retineatur, alia erit hæc Basilica, ab ea, quæ à Felice III. facta est milliario secundo, poteritque hæc esse illa, quæ à nonnullis via Portuensi ponitur milliario ab Vrbe 5. vbi Felicis Cœmeterium est.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Bibliot. Cæsareæ, ad M. S. exemplar & editionē Cuspiniani correcta.	Iuxta Secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.	
SS. Aug. & Opt. Felici Eutychianus.	Chronicon. Eutychianus vigesimus sextus Episcopatum suscepit Romanæ Ecclesiæ menses VIII. lib. 7. cap. 32. Eutychianus vix 10. mensibus in Episcopatu peractis, Caio, qui nostra ætate vixit, sedem suam reliquit.	28. Eutychianus annis octo, mensibus vndecim, diebus tribus. Fuit tempotibus Aureliani III. & Marcellini, vsque in diem IV. idus Decembris Caro II. & Carino Consulibus.	28. Eutychianus natione Tuscus ex patre Marino. Sedit annum vnum, mensem vnum, diem vnum. *Fuit temporibus Aureliani à Consulatu Aureliani III. & Marcellini, vsque in diem idus Decembris Caro II. & Carino Coss.* Hic constituit fruges super altare benedici. Hic per loca 362. Martyres sepeliuit. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris. Presbyteros 14. Diaconos 5. Episcopos per loca 9. qui & sepultus est in Cœmeterio Calisti Via Appia, * VII. Kalendas Augusti, & cessauit Episcopatus dies octo.	* Hensc. *VI.*
Eutychiano Caius.	Chronicon. Post quem vigesimus septimus Gains annis 15. lib. 7. cap. 32. Hic [Gaius] cum annis circiter 15. Ecclesiæ præfuisset, successorem habuit Marcellinum.	29. Caius annis XII. mensibus IV. diebus VII. Fuit temporibus Cari & Carini ex die XVI. Kalend. Ianuarij, Consulibus Caro II. & Carino, vsque in X. Kalendas Maij Diocletiano VI. & Constantio II. Consulibus.	29. Gaius natione Dalmata, & ex genere Diocletiani Imperatoris ex patre Gaio. Seditannos vndecim, menses quatuor, dies duodecim. *Fuit temporibus Cari, & Carini ex die XV. Kalend. Ianuarij,* à Consulatu *Cari II.* Hic fugit persecutionem Diocletiani in cryptis habitans, confessor quieuit. Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembris, Presbyteros XVI. Diaconos VII. Episcopos per loca V. Sepultus est in Cœmeterio Callisti Via Appia X. Kalendas Maij. Cessauit Episcopatus dies XI.	

SS.

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

28. S. EVTYCHIANVS.

Eutychianus natione Tuscus ex patre Marino de ciuitate Lunæ, sedit * annos octo, menses decem, dies quatuor. *Fuit* autem *temporibus Aureliani à Consulatu Aureliani tertio, & Marcellini, vsque in diem Idus Decembris, Caro secundum, & Carino Consulibus: hic * constituit, vt* fruges super altare tantum, fabæ, & vuæ benedicerentur; *hic* tempotibus suis *per* diuersa *loca* 342. *Martyres* manu sua *sepeliuit*. Qui hoc constituit, vt quicumque fidelium Martyrem sepeliret [sine dalmatica aut colobio purpurato, nulla ratione sepeliret.] quod tamen ad notitiam * sibi diuulgaretur. *Hic fecit * ordinationes quinque per mensem Decembris, Presbyteros 14. Diaconos 5. Episcopos per* diuersa *loca* 9. Martyrio coronatur, *qui* etiam *sepultus est Cœmeterio Calixti Via Appia* VIII. *Kalendas Augusti, & cessauit Episcopatus dies VIII.*

29. S. CAIVS.

*Caius natione * Dalmata, ex genere Diocletiani Imperatoris, & patre Gaio, sedit annos XI. menses IV. dies XII. Fuit autem temporibus [Cari, &] Carini, à die * 14. Cal. Ianuarij à* Cõsulatu Cari secundum, & Carini, vsque in diem X. Kalendarum Maiarum Diocletiano IV. & Constantio II. Hic constituit, vt * ordinationes omnes in Ecclesia sic ascenderent: si quis Episcopus esse mereretur, vt * esset Ostiarius, Lector, Exorcista, * Sequens, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter; & exinde Episcopus ordinaretur. Hic regiones diuisit Diaconibus. *Hic fugiens persecutionem Diocletiani in cryptis* habitando, martyrio coronatur * anno IX. *Hic fecit ordinationes IV. per mensem Decembrem*, Presbyteros 25. Diaconos 8. *Episcopos per diuersa loca* numero 5. † Qui post annum XI. cum * Gauiniano fratre suo propter filiam Gauini Presbyteri nomine Susannam martyrio coronatur. Qui etiam *sepultus est in Cœmeterio Calixti via Appia X. Kal. * Maij, & cessauit Episcopatus dies 11.*

Notæ.

cum hoc temporibus Diocletiani non licuerit, crediderim tunc ossa Martyrum in alijs locis sub altaribus collocari cœpisse, & ex illo profluxisse ritum Ecclesiæ, consecrandi altaria cum Martyrum reliquijs, quæ sub illis conduntur ab Episcopo consecrante.

† *Qui post annum XI. cum Gauiniano fratre suo propter filiam Gauini Presbyteri nomine Susannam martyrio coronatur.* Caius itaque post annum Pontificatus XI. martyrio coronatur cum fratre suo Gabino, vel Gauiniano propter filiam eius Susannam, neptem Caij, quam Diocletianus pro filio suo petebat, quæ quia nuptias respuebat, vna cum eius patre Gabino Caius Papa martyrio coronatur, vt patet ex Actis B. Susannæ, quæ ad 22. Aprilis referuntur ab Henschenio.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio & Farnesiano Codicibus.

* Flor. duo, & Cassin. *annum I. mens. I. diem I.*

* Vat. *præcepit Benedici* deleto *vt* iuxta Flor. quoq; & Cass. Quæ hoc signo [ ] continentur, desunt in Vat.

* Flor. & Cass. *sui*.

* Flor. sec. *ordinat. tres*.

* Vat. & Flor. sec. *Dalmatinus*.

[ ] hoc signo contenta desunt in Florent. duobus, & Vatic.

* Flor. duo: *à die 16.*

* Flor. duo, Vat. & Anselmus Lucensis: *ordines*.

* Cass. *vt prius esset*.

* Quidam Codex legit *Acolythus*.

* Vatic. *post annos VIII.* in Flor. secundo deest *anno IX.*

* Flor. & Cass. *Gauino*.

* Cass. & Vat. *Martij*.

Notæ.

† In editione Moguntina anni 1602. loco *sequens* legitur ex quodam Codice *Acolythus*, quæ Lectio confirmatur ex epistola Cornelij Papæ ad Fabium Antiochenum, in qua enumerantur omnes septem gradus Clericorum in Romana Ecclesia tunc reperti, & inter eos quarto loco gradus Acolythorum.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalog. Bibl. Cæsareæ, ad M.S. exemplar, & editioné Cuspiniani correcta.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correctã.
SS. Opt. & Ang. Caio Marcellinus.	Chronicon. Marcellinus vigesimus octauus Romanæ Ecclesiæ Episcopatum suscepit annis 9. *	30. Marcellinus annis octo, mensibus tribus, diebus vigintiquinque. Fuit téporibus Diocletiani, & Maximiani ex die pridiẽ Kalendas Iulias, à Consulibus Diocletiani VI. & Cõstantio II. vsquẽ in Consulatum Diocletiani IX. & Maximiani VIII. quo tempore fuit persecutio, † & cessauit Episcopatus annos VII. mens. VI. dies XXV.	30. Marcellinus nationẽ Romanus ex patre Proiecto. Sedit annos octo, menses quatuor, dies quindecim. *Fuit temporibus Diocletiani & Maximiani*, *ex die* Kalend. * *Iulij à Consulatu Diocletiani* V. *& Constantij* II. *vsque Diocletiani* VIII. *& Maximiani VIII. quo tempore fuit persecutio* magna * Infra triginta dies quindecimẽ millia hominum Promiscui sexus per diuersas prouincias martyrio coronantur *a** dẽ qua re ipse Marcellinus ad sacrificium ductus est, vt thurificaret, quod & fecit. Et post paucos dies pœnitentiã ductus, ab eodem Diocletiano propter fidem Christi cum Claudio, & Quirino, & Antonino capite sunt truncati, & martyrio coronatur. Iacuerunt corpora sancta in platea * dies XXV. iussu Diocletiani, vbi Marcellus presbyter noctu collegit corpora Sanctorum, & sepeliuit Viã Salariã in cœmeterio Priscillæ, in cubiculo, quod patet vsque inẽ hodiernum diem, quod ipsẽ præceperat pœnitens, dum traheretur ad occisionem *b** inẽ crypta iuxta corpus S. Crescẽ-

Marginal notes: * Hensc. *Iunij*. — * deest *vt* — * Colb. *Dies* 26. *ex iussu Diocletiani*.

Nota.

* Eusebius in Historia sua finem facit cum Marcellino inẽ enumerandis Vrbis Romæ Episcopis, vnde in sequentibus solum Chronicon citabimus.

Nota.

† *Et cessauit Episcopatus annos 7. menses 6. dies* 25. Papebrochius legit: an. IV. menses VI. dies XXV. verum in Cod. Cæsareo habetur, vt nos edidimus: porro vide diss. 2. c. 8. huius operis.

Nota.

a *De qua re ipse Marcellinus ad Sacrificium ductus, &c.* Eadem habet auctor Libri Pontificalis, qui cum auctore huius catalogi antẽ Isidorum Mercatorem scripserunt, apud quem extant Acta Synuessani Concilij pariter antiquissima, & ante tempus Isidori Mercatoris conscripta, quæ licet in alijs supposititi videantur, quoad lapsum Marcellini à vero aberrare non videntur, vt ostendit Onuphrius Panuinius in Historia Ecclesiastica, quæ M.S. asseruatur in Bibliotheca Vaticana.

b *In crypta iuxta corpus S. Crescentionis*. Ex quo loco patet, Sanctos Martyres in Cryptis sepultos fuisse. Quod adeo verum est, vt nullum ea de re dubium esse possit,

tio-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

30. S. Marcellinvs.

Marcellinus natione Romanus ex patre Proiecto. Sedit annis octo, * mensibus duobus, diebus vigintiduobus. *Fuit autem temporibus Diocletiani, & Maximiani ex die Kalendarum Iuliarum à Consulatu Diocletiani* * *VI. & Constantini II. vsque ad Diocletianum* IX. & *Maximianum VIII. quo tempore fuit persecutio magna,* * vt *intra* 30. *dies septemdecim millia hominum promiscui sexus per diuersas prouincias martyrio coronarentur* Christiani: *de qua re, & ipse Marcellinus ad* * *sacrificium ductus est, vt thurificaret, quod & fecit, & post paucos dies pænitentia ductus, ab eodem Diocletiano pro fide Christi cum Claudio, & Cyrino, & Antonino capite sunt truncati, & martyrio* * *coronantur.* Coniurans B. Marcellinus Marcellum Presbyterum, dum pergeret ad passionem suam, vt præcepta Diocletiani non impleret, & post hoc factum *iacuerunt corpora sancta in platea* ad exemplum Christianorum diebus * XXXVI. *iussu Diocletiani, & exinde Marcellus Presbyter collegit* noctu corpora cum Presbyteris, & Diaconibus, cum hymnis, & sepeliuit via Salaria in cœmeterio Priscillæ *in cubiculo* claro, *quod patet vsque in hodiernum diem, quod ipse* * præparauerat *pænitens, dum traheretur ad occisionem in crypta iuxta corpus S. Crescentionis* VII. *Kalendas Maij:* qui etiam *fecit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros quatuor, Diaconos duos, Episcopos per diuersa loca numero* quinque. Ab eodem die † *cessauit Episcopatus* * *annos VII. menses VI. dies XXV. persequente Diocletiano Christianos.*

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio & Farnesiano Codicibus.

* Flor. *mens. III. diebus XVI.*

* Cass. & Vat. *octauo.* & Flor. *Constantij II.*

* Cass. *itaut*

* Vat. & Cass. *ad Sacrificandum.*

* Flor. sec. *coronati.*

* Florent. duo, & Vat. XXVI.

* Vat. Cass. & Florent. *praceperat.*

* *An.7.* ita Deusdedit, & Vat. sed Anselm. Luc. annos XII.

Nota.

† *Et cessauit Episcopatus annos 7. menses 6. dies 25. persequente Diocletiano Christianos.* Secundus Catalogus legit: *annos sex*, antiquissimus Catalogus *annos quatuor*. Cardinalis Baronius ne quidem annum vnum Sedis vacantis admittit. Qua in re ipsi adsentitur Onuphrius Panuinius, qui cum communi recentiorum ostendit, Marcellinum obijsse eodem anno, quo Diocletianus purpuram deposuit: vnde sequitur, Episcopatum per septem, sex, aut quatuor annos vacare non potuisse persequente Diocletiano Christianos, sed eodem anno persecutionem cessasse, quo mortuus est, & Clero Romano occasionem dedisse substituendi in eius locum Marcellum, qui plusquam vno anno Pontificatum tenuit, testantibus eius Actis, quod in catabulo *post multos annos seruiendo indutus amictu cilicino emisit spiritum sub die 17. Kalend. Septembris.*

31. S.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalog. Bibl. Cæsareæ, ad M. S. exemplar, & editioné Cuspiniani correcta.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
			tionis VI. Kalend. Maij. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros quatuor, Diaconos duos, Episcopos per loca quinque, & cessauit Episcopatus annos sex, menses sex, dies viginti quinque, persequente Diocletiano Christianos.
SS. Opt. & Aug. Marcellino Marcellus.	* Chronicon . . . . deest.	31. † Marcellus anno 1. mensibus VI. diebus XX. Fuit temporibus Maxentij à Consulatu Maximiani Herculei X. & Maximiani Galerij VII. vsque post Consulatum X. & VII.	31. Marcellus natione Romanus ex Patre Marcello. Sedit annos IV. *Fuit temporibus Maxentij*, à Consulatu Maxentij IV. & Maximi, *vsque post Consulatum*. Hic fecit ordinationes per mensem Decembris, Presbyteros 25. Diaconos 2. Episcopos per loca 21. Sepultus est in Cœmeterio Priscillæ, Via * Salaria XVI. Kalend. Februarij. Cessauit Episcopatus dies XX.

* Colb. *VII. Kal. Maj.*

* Vbique in M. S. Cod. legitur *Salutari*, sed erronee.

Nota.

* Cum Eusebius lib. 7. hist. cap. 33. testetur, se Caij ætate vixisse, mirum videri debet, quod Marcellum Pontificem secundò à Caio successorem omiserit, vtpote quem iam prouectioris ætatis, & in dignitate Ecclesiastica constitutus ignorare non potuit.

Nota.

† Hanc vitam Marcelli ab alio auctore Catalogo additam putat Papebrochius, qui actis Eusebij alium, vel & Miltiadis alterum auctorem tribuit, quod qua ratione fiat, planè ignoro, cum ab vno eodemque auctore totus hic catalogus conscriptus sit, qui quidem in vno Pontifice acta aliqua addidit, in alio pro libitu omisit. Extant autem Acta Marcelli in M. SS. Codicibus, & Epitaphium, quod ei fecit Damasus Papa Primus ab Andrea du chesne, deinde à Papebrochio V. C. editum.

Nota.

cum etiam constet Christianos tempore persecutionis in cryptis habitasse, & quæcumque pietatis Christianæ officia exercuisse. Vnde de Caio auctor huius Catalogi: quod fugerit *persecutionem Diocletiani in cryptis habitando*. Stephanus Papa in Catacumbis in Sede, vbi ad Sacrificium offerendum sese præparabat, decollatus est, vt habent eius Acta. De Xisto refert D. Cyprianus epistola ad Successum. *Xistum autem in Cœmeterio animaduersum esse sciatis, VIII. Idus Augusti.* De B. Laurentio auctor huius Catalogi in Xisto II. *B. autem Laurentius Sepultus est in Via Tiburtina in agro Verano in Crypta cum alys multis Martyribus.* De Alexãdro Martyre antiqua eius inscriptio in Cœmeterio Calisti reperta: *Alexander mortuus non est, sed viuit super astra, & corpus in hoc tumulo requiescit: vitam expleuit cum Antonino Imperatore, qui vbi multum beneficy antevenire prouideret, pro gratia odium reddit, genua enim flectens vero Deo Sacrificaturus ad supplicia ducitur: ô tempora infausta, quibus inter Sacra, & vota ne in cauernis quidem saluari possumus, &c.*

SS.

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

31. S. MARCELLVS.

Marcellus natione Romanus ex patre Benedicto de regione Via Lata, sedit annos quinque, menses * sex, dies viginti vnum. *Fuit* autem *temporibus* * [Constantij & Galerij &] *Maxentij*, * *Consulatu Maxentij quarto, & Maximi* * *vsque ad* Consulatum. Hic rogauit quandam matronam nomine Priscillam, & fecit Cœmeteria Via Salaria, & XXV. Titulos in Vrbe Roma * constituit, quasi Diœceses propter Baptismum, & Pœnitentiam multorum, qui conuertebantur ex paganis; & propter sepulturas martyrum. Hic ordinauit XXVI. Presbyteros in Vrbe Roma *per mensem Decembris, Diaconos duos, & Episcopos per diuersa loca* * XXI. Hic coarctatus est, & tentus, eò quòd Ecclesiam ordinaret. Comprehensus à Maxentio, vt negaret, se esse Episcopum, & sacrificijs se humiliaret dęmoniorum. Qui semper contemnens, deridens dicta & præcepta Maxentij, damnatus est in catabulo, qui dum multis diebus seruiret in catabulo, orationibus & ieiunijs Domino seruire non cessabat. Mense autem nono nocte venerunt clerici eius omnes, & * emerunt eum de catabulo: matrona autem quædam nomine Lucina, * quæ fecerat cum viro suo Marco annos XV. & in viduitate sua habebat annos XIX. suscepit B. Marcellum, * quę domum suam nomine B. Marcelli titulum dedicauit: vbi die noctuque hymnis, & orationibus Domino Iesu Christo * confitebantur. Hoc audito Maxentius misit, & tenuit iterùm B. Marcellum, & iussit * iterùm in eadem Ecclesia plancas externi, * & ibidem animalia catabuli congregata starent, & ipsis B. Marcellus deseruiret, qui tandem in seruitio animalium nudus, amictus cilicio defunctus est. Cuius corpus colligit Beata Lucina, & sepeliuit in *Cœmeterio Priscillæ Via Salaria* * XVII. *Kal. Februarij, & cessauit Episcopatus diebus XX.* Lucina verò proscriptione damnata est.

* Flor. duo. Vat. & Cass. *menses 7.*
* Quæ his signis [] continentur, desunt in Flor.
* Cass. *à Consulatu.*
* Flor. Sec. *vsque post.*
* Flor. *instituit.*
* Vat. XXV.
* Vatic. & Flor. *emerunt.*
* Flor. *vidua, quæ fuerat.*
* *In domum suam, quam & nomine* &c. ita Vat.
* Flor. & Vat. *confitebatur.*
* Flor. Sec. omittit *iterum.*
* Lege *vt*
* Flor. Sec. *VI. Kal.*

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon, & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Bibliot. Cęsar. ad M. S. exemplar, & editionem Cuspiniani correcta.	Iuxta secundum Catalogum Bibliot. Reginæ Suecię ad M. S. exemplar Bibl. Colbertinæ correcta.
SS. Optatus & Aug. Marcello Eusebius.	Chronicon. Eusebius vigesimus nonus Romæ Episcopus constituitur mens. VII.	32. Eusebius menses IV. dies XVI. à XIV. Kalendas Maij vsq; in diem XVI. Kalendas Septembris.	32. Eusebius natione Gręcus ex Medico, sedit annos VI. mensem I. dies III. Fuit temporibus Constantini. Sub huius tempore inuenta est sancta Crux Domini nostri Iesu Christi V. Nonas Maij. Et hic baptizatus est Iudas Quiriacus. Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros tredecim, Diaconos tres, Episcopos per loca quatuordecim. Hic sepultus est in Cœmeterio Calisti Via Appia VI. Nonas Octobris. Cessauit Episcopatus dies sex.
SS. Optatus & Aug. Eusebio Miltiades.	Chronicon. Post quem trigesimus Ecclesiam tenet Melchiades annis 6.	33. Miltiades annis tribus, mensibus sex, diebus octo, à die sexto Nonas Iulias a Cõsulatu Maximiano VIII. solo, quod fuit mense Septembri, Volusiano & Rufino, vsque in III. Idus Ianuarij Volusiano, & Aniano Consulibus.	33. Melciades natione Afer sedit *annos tres, menses sex*, dies septem, ex *die Nonas Iulij, à Consulatu* * Maximini VIII. vsque ad Maxentium II. qui fuit mense Septembri *Volusiano, & Rufino Consulibus*. Hic constituit, nulla ratione die Dominica, aut quinta feria ieiunium quis de fidelibus ageret: quia eos dies pagani quasi sacrum ieiunium celebrabant, & Manichæi inuenti sunt in vrbe ab eodem die. Fecit vt oblationes consecratæ per Ecclesias, & † consecratum Episcopus dirigeretur, quod declaratur fermentum. Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decembris, Presbyteros IV. Diaconos III. Episcopos per loca XI. & cessauit Episcopatus dies XV.

*Colber. *Maximini IX.*

* Hensc. *ob consecratum Episcopi.*

Nota.

† *Consecratum . . . i. quod declaratur fermentum*. Ob disciplinam arcani Eucharistia hoc loco Fermentum vocatur, vt Dissertatione ea de re edita monstrauimus. Eucharistiam namque Episcopis, & Presbyteris ad vrbem venientibus mittere consueuerant Pontifices, vt testatur D. Irenæus apud Eusebium lib. 5. cap. 24.

SS.

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenii ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.

32. S. EVSEBIVS.

Eusebius natione Graecus ex * patre *Medico*, sedit * annos duos, mensem vnum; dies * vigintiquinque. *Fuit* autem *temporibus Constantini. Sub* † *huius temporibus inuenta est Crux Domini nostri Iesu Christi V. Nonas Maij*: & *baptizatus est Iudas*, qui & * *Cyriacus*. Hic hæreticos inuenit in vrbe Roma, quos * verè ad manus impositionem reconciliauit. Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decembrium, *Presbyteros XIII. Diaconos III. Episcopos per* diuersa *loca* numero *XIV.* qui etiam *sepultus est in Cæmeterio Calisti in* crypta *Via Appia 6. Nonas Octobris, & cessauit Episcopatus diebus* VII.

* Vat. *ex Medico*.
* Cass. & Flor *annos 6*,
* Flor. *dies 3*.
* Flor. & Cass. *Quiriacus*.
* Vat. & Flor. sec. *quos per manus* &c.

33. S. MELCHIADES.

* Milciades *natione Afer, sedit annos tres, menses* septem, dies duodecim, *ex die nonas Iulij à Consulatu* Maxentij, vsque ad Maximum II. *Qui fuit mense Septembris Volusiano, & Rufino Coss. Hic constituit*, * *nulla ratione die Dominica aut quinta feria ieiunium quis fidelium ageret, quia hos dies pagani quasi sacrum ieiunium celebrabant, & Manichæi* * *inuenti sunt in vrbe* * *ab eodem. Hic fecit, vt oblationes consecrata per Ecclesias* * ex consecrati Episcopi dirigerentur, *quod declaratur fermentum. Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decembrim*, Presbyteros VII. Diaconos V. Episcopos per diuersa loca * XII. Hic sepultus est in Cœmeterio Calisti Via Appia in crypta, III. Idus Decembris, & *cessauit Episcopatus* diebus XXVI.

* Flor. *Melchiades*
* Flor. *an. 4. men. 6. dies 8.*
* Vat. *vt nulla*.
* Flor. *tunc inuenti sunt*.
* Vat. minor. *eodem die fecit, vt oblat.* &c.
* Flor. *& consecrata*, lege autem *ex consecratu*.
* Flor. XI.

Nota.

† *Huius temporibus inuenta est Crux Domini nostri Iesu Christi V. Nonas Maij & baptizatus est Iudas, qui & Cyriacus.* Abbo Floriacensis habet in Eusebio, inuentam esse Crucem *à Iuda, qui post baptizatus est.* Idem indicat auctor secundi Catalogi, & commemoratur hæc historia a Gregorio Turonensi lib. 1. cap. 34. vbi de tempore Constantini: *Huius tempore venerabile Crucis Dominicæ lignum per studium Helenæ matris eius repertum est, prodente Iuda Hebræo, qui post baptismum Quiriacus est vocitatus.* Quibus omninò concinit auctor Secundi Catalogi, ex quo forsan hæc desumpsit Gregorius Turonensis. Porrò negant huius historiæ veritatem Baronius, & Onuphrius Panuinius cum Gelasio Papa, qui eam nouellam reuelationem vocat.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Bibliot. Cęsareę ad M.S. exéplar, & editionem Cuspiniani correcta.	Iuxta secundum Catalogum Bibliot. Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibl. Colbertinæ correcta.
SS. Opt. & Aug. Miltiadi Syluester.	Syluester trigesimus primus Romanorum Ecclesię ordinatur Episcopus, annis XXII.	34. Syluester annis viginti vno, mensibus vndecim. Fuit temporibus Constantini, à Consulatu Volusiani, & Aniani, ex die pridie Kalendas Februarij, vsque in diem pridie Kalendarum Ianuariarum Constantino, & Albino Consulibus.	34. Syluester natione Romanus ex patre Rufino, sedit annos viginti tres, menses decem, dies vndecim; *temporibus Constantini*, & Volusiani, ex die Kalendarum Februarij, vsque in diem Kalendarum Ianuarij, Constantio & Volusiano Consulibus. Hic in exilio fuit in montem Sotactem persecutione Constantini concussus, & postmodum rediens cum gloria baptizauit Constantinum Augustum, quem curauit Dominus pro baptismo à lepra. Hic fecit Constitutum de omni Ecclesia. Huius temporibus factum Concilium cum eius consensu in Nicæa Bithyniæ, & congregati sunt Sacerdotes trecenti septemdecim Episcopi Catholici, & quorum † Chirographus cucurrit; alij imbecilles ducenti octo, qui exposuerunt fidem integram, sanctam, catholicam, & immaculatam; & damnauerunt Arrium, Fotinum, & Sabellium vel se-
	Nota.	*Nota.*	*Nota.*
	Cum Syluestro finem accipit Eusebij Chronicon, & deinde incipit D. Hieronymi Supplementum.	Annianus & Volusianus II. Consules fuerunt anno 314. Albinus verò, & Constantius anno 335. adeò vt ex primo Consulatu prid. Kal. Feb. vsque ad secundum pridie Kal. Ianuarij sint anni 21. & menses XI. vt rectè in hoc Catalogo dicitur, ex quo corrigi potest secundus Catalogus, in quem plura quoad temporum notas menda irrepserunt.	† *Et quorum Chirographus cucurrit; alij imbecilles* 208. eorum nimirùm, qui ob imbecillitatem, senectutem, vel infirmitatem Concilio Nicæno *adesse non potuerunt*. Ex quo loco constat, præter catalogum 318. Episcoporum, qui Nicęnæ Synodo adfuerunt, alios ducentos octo Patres eius Actis subscripsisse, quorum Catalogus modò deperditus est.

qua-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

34. S. SYLVESTER.

Syluester natione Romanus ex patre Rufino, sedit annos XXIII. menses X. * dies XII. *Fuit autem temporibus Constantini * & Volusiani ex die Calendarum * Februariarum vsque ad diem Calendarum Ianuariarum Constantio & Volusiano Consulibus. Hic in exilio fuit in montem Soractem * [persecutione Constantini concussus] & postmodum rediens cum gloria † baptizauit Constantinum Augustum, quem curauit Dominus per* baptismum *à lepra*, cuius persecutionem primò fugiens in exilio fuisse cognoscitur.

Hic fecit in Vrbe Roma Ecclesiam in prædio cuiusdam Presbyteri sui, qui cognominabatur Equitius, quem titulum Romanum constituit iuxta Thermas Domitianas, qui vsque in hodiernum diem appellatur titulus Equitij. Vbi & hæc dona constituit: Patenam argenteam pensantem libras 20. ex dono Augusti Constantini: donauit autem scyphos argenteos duos, qui pensauerunt singuli libras denas. Calicem aureum pensantem libras duas: Calices ministeriales quinque, pensantes singuli libras binas: Amas argenteas duas pensantes singulæ libras denas: Patenam argenteam * Chrismalem auro clusam pensantem libras quinque. Phara coronata 10. pensantia singula libras octonas: Phara ærea 20. pensantia singula libras denas: Canthara Cerostrata 12. ærea pensantia singula libras tricenas: Fundum Valerianum in territorio Sabinensi, qui præstat * Solidos 80. Fundum Statianum in territorio Sabinensi, qui præstat solidos 55. Fundum duas casas in territorio Sabinensi, qui præstat solidos 40. Fundum * Percilianum territorio Sabinensi, qui præstat solidos 20. Fundum * Corbitanum territorio Corano, qui præstat solidos 40. Domum in Vrbe cum Balneo Sicinini Regione, quæ præstat solidos 85. Hortum intra Vrbem Romam ad duos * ramantes, qui præstat solidos 15. Domum in regione * Roffea intra Vrbem, quæ præstat solidos 58. & * tremis.

* M. SS. Cod. *dies XI.*
* Vat. *Imperatoris, & Volusiani Consulis ex die Calen. Februariarum.*
* [] Absunt à Vat.
* *Titulus Equitij* est Ecclesia S. Martini de montibus, vt rectè annotat Panuinius in Historia Ecclesiastica M. S. quæ asseruatur in Bibl. Vatic.
* Vatic. *ministerialem.*
* Vat. *Pensionem solid* 70.
* *Piscinum* Vat. minor.
* Flor. & Cass. *Corbianum.*
* Vat. *amantes.*
* Flor. & alij *Orpea.*
* M. SS. *tremissem.*

Nota.

† *Baptizauit Constantinum Augustum.* Grauis quidem de loco, & persona, quæ Constantinum baptizauit, controuersia est inter eruditos, qui ex Eusebio, Hieronymo, Ambrosio, alijsque Patribus statuunt, cum baptizatum in fine vitæ ab Eusebio Nicomediensi. Verùm Romæ baptizatum fuisse à Sancto Syluestro, habet communis & antiqua Romanæ Ecclesiæ traditio, quam liber Pontificalis hoc loco exhibet, & ex secundo Catalogo didicit, cuius auctor ex antiquioribus Actis forsan in scrinio Apostolicæ Sedis asseruatis eam desumpsit.

Hic

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalog. Bibl. Cæsareæ, ad M. S. exemplar, & editioné Cuspiniani correcta.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginę Succiæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
			quaces eorum, † & in vrbe Roma congregauit Episcopos 277. & damnauit Calixtum & Arrium, & Fotinum, & constituit, vt Presbyterum Arrianum non susciperet, nisi Episcopus loci designati: & chrisma ab Episcopo confici, & priuilegium Episcopis dedit, vt baptizatū consignent propter hæreticam suasionem. Hic constituit, vt nullus laicus crimen clerico inferret. Hic constituit, vt Diaconi dalmaticis vterentur, & palla linostina leuæ eorum tegerentur. Hic constituit, vt nullus clericus propter causam quamlibet in curiam introiret, nec ante iudicem cinctum causam diceret, nisi in Ecclesia. Hic constitu-

Notæ.

† *Et in vrbe Roma congregauit Episcopos 277. & damnauit Calistum, & Arrium, & Photinum.* Photinum, quem vltimo loco nominat, post tempora S. Syluestri ortum fuisse, constat, vt neque in Niceno, neque in Romano Concilio sub Syluestro damnari potuerit. Habentur plura in Concilij Romani Actis, quæ suppositionis arguuntur, vnde post Hincmarum Remensem suppostitium visum est tum alijs eruditis, tum Labbeo, qui illud Isidori mercibus adscribit. Verùm cum auctor huius Catalogi Isidoro antiquior sit, nullum mihi dubium superest, quin breuis epilogus Synodi Romanæ sub Syluestro habitæ ante Iustini tempora extiterit, ex qua auctor huius Catalogi superiùs allata desumpsit.

it,

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Hulstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.

† *Hic fecit Constitutum de omni Ecclesia: etiam huius temporibus factum est Concilium cum eius* * *consensu in Nicea Bithiniæ, & congregati sunt* 318. *Episcopi Catholici* [*& quorum chirographum cucurrit, alij imbecilles* 208.] *qui exposuerunt fidem integram, sanctam, Catholicam, immaculatam, & damnauerunt Arium, Photinum, & Sabellium, vel sequaces eorum, & in vrbe Roma congregauit ipse cum consilio Augusti Episcopos* 277. *& damnauit iterùm* [*Calixtum &*] *Arrium, & Photinum, & Sabellium, & constituit,* * *vt Presbyterum Arrianum resipiscentem non susciperet, nisi Episcopus loci designati; & chrisma ab Episcopo confici: & priuilegium Episcopis dedit, vt baptizatum consignarent propter hæreticam suasionem. Hic* & hoc *constituit,* * vt baptizatum liniret Presbyter chrismate leuatum de aqua propter occasionem transitus mortis. *Hic constituit, vt nullus Laicus crimen Clerico inferre audeat. Hic constituit, vt Diaconi dalmatica vterentur* in Ecclesia, & * *pallio linostimo læua eorum tegeretur. Hic constituit, vt nullus Clericus propter causam quamlibet in curiam introiret, nec ante iudicem cinctum causam diceret, nisi in Ecclesia. Hic constituit, vt sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto* * *celebraretur, nisi tantùm* * *in* linteo ex terreno lino procreato. *Sicut Corpus Domini nostri Iesu Christi in sindone* * lintea munda *sepultum est, sic missa celebraretur.* † *Hic constituit, vt si quis desideraret in Ecclesia militare aut proficere,*

* Flor. duo. Vat. & Cass. *Præcepto.*

[] Desunt. in Vat.

[] Desunt. in Flurent.
* Flor. *vt Presbyter Arrianus resipiscens non susciperetur,* Flur. secund. addit: *nisi Episcopus loci designaret.*

* Citat hunc locum ex gestis Pontificalibus Rup. Abbas lib. 5. diuin. Offic. cap. 16.

* M.SS. & *pallia Linostima lęuam eorum tegerent.*

* Flor. *celebretur, nisi tantùm.* Vat. M.SS. * *in lineo ex terra procreato.*
* Linea.

Nota.

† *Hic fecit Constitutum de omni Ecclesia.* Quodnam sit hoc Constitutum, non explicat auctor libri Pontificalis: Vbi tamen sub Syluestro pax Ecclesijs reddita fuit, multaque tempore persecutionum aut statui, aut obseruari non poterant, ratio temporum exigebat, vt ipse tanquam *Episcoporum Episcopus*, vt verbis Tertulliani vtar, vel tanquam *Pater Christianæ plebis*, vt cum Augustino loquar, ritus & collapsam Ecclesiæ disciplinam ordinaret, quod eum fecisse nequaquam dubitare licet.

† *Hic constituit, vt si quis desideraret in Ecclesia militare aut proficere, vt esset Lector* &c. Vnum ex decretis Syluestri ad omnem Ecclesiam spectantibus, dici potest illud, quod de varijs ordinandorum temporibus edidisse fertur, vt nimitùm Lector haberet annos viginti, qui Exorcista fieret post dies 30. Acolythus post annus quinque, subdiaconus post annos à suscepto Acolythatu quinque, Diaconus post annos quinque, Presbyter post annos tres, vbi omnes ordines recensentur excepto Ostrarij, quæ forsan sub nomine Custodis Martyrum intelligitur. Ecclesiæ namque antiquitus Martyria vocata fuere, adeo vt Ostrarij etiam Custodes Martyrum in Ecclesijs recunditorum diei potuerint.

vt

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon, & Historiam Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Bibliot. Cæs. ad M. S. exemplar, & editionem Cuspiniani correcta.	Iuxta secundum Catalogum Bibliot. Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
			it, vt sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto celebraretur, nisi tantum in lineo. Sicut Corpus Domini nostri Iesu Christi in Sindone linea sepultum est, sic missa celebraretur. Hic constituit, vt si quis desideraret in Ecclesia militare, aut proficere, vt esset Lector ad annos 30. Exorcista dies 30. Acolythus annos 5. Subdiaconus annos 5. Custos Martyrum annos 5. Diaconus annos 6. Presbyter 3. probatus ex omni parte, etiam foris qui sunt, testimonium habere bonum, & sic ad ordinem Episcopatus ascendere: nullum maioris vel prioris locum inuadere, nisi ordinem temporum cum pudore cognosceret omnium clericorum vertina gratia, nullo omninò clerico vel fideli contradicente. † Hic fecit ordinationes sex per mensem Decembris, Presbyteros 44. Diaconos 36. Epis-

Notæ.

† *Hic fecit ordinationes sex per mensem Decembris*. Quæ auctor hoc, alijsque locis refert de ordinationibus *Presbyterorum & Diaconorum*, intelligenda sunt de Clero Romano, cuius Presbyteri & Diaconi tam conspicui fuere ab initio militantis Ecclesiæ, vt eorum ordinatio annotari meruerit à Notarijs, vel ijs, quibus hoc munus impositum erat, ex quorum regesto auctor varias has ordinationes desumpsisse videtur. Porrò quanta auctoritate pollerent Presbyteri, & Diaconi Romæ, patet ex Actis Conciliorum, quæ ab ipsis cum Romanis Pontificibus celebrata sunt, vnde & Senatus, & Consistorium Pontificium vocatus est ipsorum cœtus, & dignitas Cardinalitia ortum habuit.

sco-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

* *vt esset Lector*, *annos* habere 30. *Exorcista dies* 30. *Acolythus annos* 35. *Subdiaconus annos* 5. *Custos Martyrum annos* 5. *Diaconus annos* 30. & 7. *Presbyter annos* 3. *probatus ab omni parte*, *etiam & ab his*, *qui sunt*, *foris testimonium habere bonum*, * vnius vxoris virum, vxorem à Sacerdote benedictam, *& sic ad ordinem Episcopatus ascendere*: *nullum* * *maioris vel prioris locum inuadere*, *nisi ordinem temporum cum pudore cognoscere omnium clericorum votiua gratia*, *nullo omninò clerico vel fideli contradicente*. Hic ordinationes Presbyterorum & Diaconorum fecit 7. per mensem Decembris, Presbyteros 42. Diaconos 37. Episcopos per diuersa loca diuersis temporibus in Vrbe Roma numero 75. Huius temporibus fecit Constantinus Augustus Basilicas istas, quas & ornauit. Basilicam Constantinianam, vbi posuit ista dona: * Fastigium argenteum battutile, quod habet in fronte Saluatorem sedentem in sella in pedibus 5. pens. libras 120. Duodecim Apostolos in quinis pedibus, qui pensauerunt singuli libras nonagenas, cum coronis argenti purissimi. Item à tergo respiciens in absida Saluatorem sedentem in throno in pedibus quinis ex argento purissimo, qui pens. libras 140. Angelos quatuor ex argento, qui sunt in pedibus quinis * costas cum crucibus tenentes, qui pensauerunt singuli libras 105. cum gemmis alauandinis in oculos; * Fastigium ipsum, vbi stant Angeli vel Apostoli, pensat libras duo millia viginti quinque ex argento * dolatico. Farum ex auro purissimo, quod pendet sub fastigio cum Delphinis quinquaginta, quæ pensant cum catena sua libras 25. Coronas quatuor cum Delphinis viginti ex auro purissimo pensantes singulæ libras 15. Cameram basilicæ ex auro trimnie in longum, & in latum in pedibus quingentis. Altaria septem ex argento * battutili pens. sing. libras 200. Patenas aureas septem, quæ pensant singulæ libras 30. Patenas argenteas 13. &c. Et infra. † *Fontem* sanctum, vbi baptizatus est Augustus Constantinus ab eodem Episcopo Syluestro [ipsum S. Fontem] ex metallo porphyretico ex omni parte coopertum intrinsecùs & foris, & desuper, & quantum * aquam continet ex argento purissimo in pedibus quinque, qui pensauit argenti libras 3008. &c.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

* Flor. *esset Lector ann.* 20. *Exorcista dies* 30. *Acolythus annos* 5. .... *Diaconus annos* 7.

* Flor. *vnius Vxoris virum à Sacerdote benedicta*.

* Flor. *nullum maiorem vel priorem locum inuadere*. Vat. *nisi ordine temporum*.

* Var. *Cameram ex auro purissimo*, *&*

* Lege *hastas*.

* Flor. *tenentem hastam*.

* Cass. & Vat. *colaticio*.

* M.SS. *purissimo*.

[ ] Desunt in Vatic.

* Vat. *aqua*.

Nota.

† *Fontem sanctum*, *vbi baptizatus est Augustus Constantinus*. Præclara sunt Theophanis Scriptoris Græci verba, quibus libro Pontificali concinit: *Magnus Constantinus cum Crispo filio Romæ à Syluestro baptizatus est*, *prout ad hanc vsque diem veteris Romæ incolæ Baptisterium seruant in testimonium & fidem*, *post tyrannorum necem*, *eum à Siluestro Romæ fuisse baptizatum*. Extat in M.S. Codice 833. Bib. Palat. inscriptio ad fontem S. Ioannis, cui subiungitur: *Hic locus olim sordentis tumuli squalore congestus sumptu & studio Christi famuli Hilari Episcopi iuuante Domino tanta ruderum mole sublata*, *quantum culminis nunc videtur ad offerendum Christo Domino munus ornatus atque dedicatus est*. Quod certo indicio est, fontem à Constantini temporibus ibidem extitisse, qui etiamnùm Constantini baptisterium vocatur.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Bibliot. Cæsareæ, ad M.S. exemplar & editionẽ Cuspiniani correcta.	Iuxta Secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
			copos per loca 65. Eodem tempore fecit Constantinus Augustus Basilicam in Palatio Sesloriano, vbi etiam de ligno Sanctæ Crucis Domini nostri Iesu Christi auro, & gemmis conclusit. Eodem tempore † fecit Basilicam S. Agnæ Martyris ex rogatu Constantiæ filiæ suæ. Eodem tempore fecit

* Hæc de Basilica S. Agnæ omisit Hensc.

Nota.

† *Fecit Basilicam S. Agnæ martyris ex rogatu Constantiæ filiæ suæ.* Extat etiamnum hæc Ecclesia Via Nomentana, milliario ab Vrbe primo, & iuxta illam est Cœmeterium, in quo dicitur latuisse Liberius post reditum ab exilio. Est quoquè supra Cœmeterium Ecclesia rotunda similis Baptisterio Constantini, quæ forsan olim Baptisterium illud fuit, quod auctor libri Pontificalis tradit à Constantino extructum fuisse ad S. Agnetem: putant tamen communiter eruditi, esse Mausoleum Constantiæ filiæ Constantini, cuius vrna porphyretica, quam vulgus erroneè sepulchrum Bacchi nominat, ibidem etiamnum conspicitur. Quod enim hæc vrna non sepulchrum Gentile, sed Christianum sit, facilè colligitur ex agno inter duos pavones in anteriori parte huius vrnæ exhibito.

basi-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

* Item his temporibus fecit Augustus Constantinus ex rogatu Syluestri Episcopi Basilicam B. Petro Apostolo in templo Apollinis, † cuius loculum cum corpore S. Petri recondidit. Ipsum loculum vndique ex ære Cyprio conclusit [quod est] immobile, ad caput pedes 5. ad pedes pedes 5. ad latus dextrum pedes 5. ad latus sinistrum pedes 5. Sic inclusit corpus B. Petri Apostoli, & recondidit, & ornauit supra ex columnis porphyreticis, & alias columnas vitineas, quas de Græcia perduxit. Fecit autem & Cameram Basilicæ * ex trimma auri fulgentem: Et super corpus B. Petri * æs, & quod conclusit. Fecit crucem ex auro purissimo pensantem libras 150. * in mensuram loci, vbi scriptum est hoc: Constantinus Augustus, & Helena Augusta: hanc domum * regali simile fulgore coruscans aula circumdat. Scriptum ex litteris puris nigellis in cruce. Fecit autem Candelabra &c.

* Flor. & Caff. *eodem tempore.*

[] Flor. sec. deest.

* Flor. deest *ex*.

* Flor. *trimitam*.

* Flor. & Caff. *quod ære conclusit*.

* Flor. Vat. & Caff. *mensura loco*.

* *Regali fulgore coruscantem* Flor. Sec.

Eodem tempore fecit Augustus Constantinus Basilicam B. Paulo Apostolo ex suggestione Syluestri Episcopi. Cuius corpus sanctum ita recondidit in ære, & conclusit, sicut & Beati Petri, Constantinus Augustus, cui Basilicæ donum hoc obtulit: sub Tarso Ciliciæ in insula Cordionis præstans solidos 800. Omnia enim vasa sacrata aurea, argentea, aut ærea ita posuit, sicut & * in Basilicam S. Petri Apostoli &c.

* Vat. & Fl. sec. *in Basilica*.

*Eodem tempore fecit Constantinus Augustus Basilicam in Palatio Sessoriano, vbi etiam de ligno Sanctæ Crucis Domini nostri Iesu Christi posuit, & * auro & gemmis conclusit*, vbi & nomen Ecclesiæ dedicauit, quæ cognominatur vsque in hodiernum diem Hierusalem. In quo loco * constituit donum, candelabra aurea, & argentea ante lignum sanctum lucentia secundum numerum Euangeliorum quatuor, quæ pensauerunt singula libras 30. &c.... * Sub ciuitate suprascripta Falisca possessio Herculis, quæ donata est Augusto Constantino, & Augustus obtulit Ecclesiæ Hierusalem præstans solidos 140. item sub ciuitate Falisca possessio Nimphas præstans solidos 115. sub ciuitate Iuder possessio Angulas præstans solidos 153.

* Vat. & Flor. sec. *in*.

* Flor. Sec. *hæc constituit dona*.

* M. S. sub ciuitate Falisca possessio Nymphas præstat solidos CXXV. item sub ciuitate suprascripta Fal. poss. Herculis, quam donauit Augusta, & Augustus obl. Eccl. Hierusalem, præstat.

Eodem tempore fecit Basilicam Sanctæ Martyris Agnetis ex rogatu Constantiæ filiæ suæ, & Baptisterium in eodem loco, vbi & baptizata est soror eius Constantia [cum filia Augusti] à Syluestro Episcopo, vbi donum constituit hoc, patenam ex auro purissimo &c.

[] Desunt in Vat. & Flor.

Nota.

† *Cuius loculum cum corpore S. Petri recondidit* &c. Loculus, cuius hic fit mentio, est capsula seu conditorium, quo S. Petri reliquiæ conditæ erant. Plinius loquens de quodam, cuius corpus cremari non poterat: *Hunc*, inquit, *cremari cum reliquo corpore non potuisse tradunt, conditumque loculo in templo*. Capsulam itaque seu conditorium, quo B. Petri reliquiæ continebantur, Romanus S. Petri Canonicus in libro de Vaticana Basilica ait fuisse argenteum, illudque à Constantino æri inclusum: *Loculum argenteum*, inquit, *conti-*

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon Eusebij.	Iuxta antiquiorem Catalogum Biblioth. Cæsareæ, ad M. S. exemplar & editionē Cuspiniani correcta.	Iuxta Secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
			basilicam S. Laurentij. Eodem tempore † fecit Basilicam Sanctorum martyrum Marcellini Presbyteri, & Petri Exorcistæ. Sepultus est via Salaria B. Syluester in Cœmeterio Priscillæ, milliario tertio ab Vrbe Roma, pridie Kalendas Ianuarij. Cessauit Episcopatus * dies octo.

* Colbert. dies IX.

Nota.

† *Fecit Basilicam Sanctorum martyrum Marcellini Presbyteri, & Petri Exorcistæ.* Duæ olim Basilicæ Petri & Marcellini extiterunt, quarum altera intra vrbē non longè a Lateranensi Basilica etiamnum conspicitur, altera extra Vrbem via Labicana tertio ab Vrbe milliario, cuius cryptæ subterraneæ & Cœmeterium vsq; in hodiernum diem reperiuntur, prout à Bosio Tomo 2. Romæ subterraneę descripta sunt. Visuntur ibidem ruinæ Mausolei, quod Constantinus Matri suæ Helenæ construxit, quæ vsque nunc Mausoleum Helenæ vocantur. Porrò de secunda Petri & Marcellini basilica hoc loco agere auctorem secundi Catalogi, patet ex libro Pontificali, cuius auctor refert, Basilicam Petri & Marcellini à Constantino extructam fuisse *inter duas lauros, vnà cum Mausoleo, vbi beatissima mater ipsius sepulta est Helena Augusta in sarcophago porphyretico via Labicana milliario ab vrbe Roma tertio.*

SS.

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Eodem tempore Constantinus Augustus *fecit Basilicam Beato Laurentio* Martyri via Tiburtina in * Agrum Veranum supra Arenarium cryptæ, & vsque ad corpus Beati Laurentij martyris, [in qua] fecit gradus ascensionis, & descensionis. In quo loco construxit Absida, & exornauit marmoribus * porphyreticis, * de superiori loco conclusit de argento, & cancellos ex argento purissimo ornauit, qui pensant libras 1000. & ante ipsum locum in crypta posuit lucernam ex auro purissimo nixorum decem pensantem libras 30. Coronam argenteam cum Delphinis 50. pensantem libras 30. Candelabra ærea duo in pedibus denis pensantia sing. libras * 300. ante corpus B. Laurentij Martyris argento clusam passionem ipsius, sigillis ornatam, cum lucernis byssinis argenteis &c.

Eisdem temporibus Augustus Constantinus *fecit Basilicam* beatissimis martyribus *Marcellino Presbytero, & Petro Exorcista* inter duas lauros, & Mausoleum, vbi beatissima mater ipsius sepulta est Helena Augusta, in sarcophago * porphyretico, via Lauicana, milliario ab vrbe Roma tertio. In quo loco, & pro amore matris suæ, & veneratione sanctorum posuit dona voti sui: Patenam &c.

Eodem tempore fecit Basilicam Constantinus * ex suggestione Syluestri in ciuitate Hostiensi, iuxta portum vrbis Romæ Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Sancti Ioannis Baptistæ, vbi & * donum obtulit, Patenam &c.

Eodem tempore fecit Basilicam Augustus Constantinus in ciuitate Albanensi, videlicet S. Ioannis Baptistæ, vbi & posuit * donum hoc. Patenam Argenteam &c.

Eodem tempore fecit Beatissimus Constantinus Augustus intra Vrbem Capuam Basilicam Apostolorum, quam cognominauit Constantinianam. Vbi Posuit dona hæc: Patenas argenteas &c.

Eodem tempore fecit Basilicam Beatissimus Constantinus in Vrbe Neapolitana, cui obtulit & dona hæc. Patenas &c. . . . . * Hic Siluester fecit ordinationes sex per mensem Decembris, Presbyteros 42. Diaconos 26. Episcopos per diuersa loca 65. Hic *Sepultus est via Salaria in Cœmeterio Priscillæ, miliario ab vrbe Roma * tertio*, 11. *Calend. Ianuarias*, qui verè catholicus & confessor quieuit, *& cessauit Episcopatus dies* quindecim.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

* Flor. & Vat. *in agro Verano sub Arenario cryptę.*
[ ] Desunt in Vat. & Flor. Sec.
* Cass. *purpureis*. Vat. *& desuper.*
* Florent. & Vat. *ducentas.*
* Vat. *purpureo.*
* Vat. *Augustus.*
* Florent. Cass. Vat. *dona obtulit hæc.*
* Cass. *dona hæc.*
* Flor. *quę cognominatur Constantiniana.*
* supplendum ex M. SS. *usdem temporibus.*
* Flor. *quarto pridie Cal.*

Notæ.

nentem sanctissimum corpus omni parte ex ære & cyprio conclusit, quod est immobile. Loco *ex ære & Cyprio*, rectiùs legit auctor libri Pontificalis: *Ex ære Cyprio.* Porrò etiamnùm vrna ærea extat sub altari S. Petri in Basilica Vaticana, quàm forsan renouari iussit Otho Quartus, qui tempore Innocentij III. regnauit: nam si rectè memini, Othonis Imperatoris & Innocentij III. nomina in ea incisa legi.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon Hieronymi	Iuxta antiquiorem Catalogum Bibliot. Cæsareæ, ad M. S. exemplar & editionē Cuſpiniani correcta.	Iuxta Secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliotheca Colbertinæ correcta.
SS. Opt. & Aug. Syluestro Marcus.	† Marcus trigeſimus ſecundus Romę ordinatur Epiſcopus menſibus VIII.	35. Marcus menſes VIII. dies XX. Fuit temporibus Conſtantini, Nepotiano & Facundo Conſulibus, ex die XV. Kalend. Februarij vſque in diem Nonarum Octobrium, Conſulibus ſupradictis.	35. Marcus natione Romanus ex patre Priſco. Sedit annos duos. *Fuit temporibus Conſtantini & Nepotiano* Secundò *Conſulibus ex die* Kalendarum *February, vſque* in diē Kalend. Octob. Hic conſtituit, † vt Epiſcopo Oſtenſes, qui conſecrat Epiſcopus, Pallium vteretur, vel ab eodem Epiſcopo Vrbis Romæ conſecraretur. Hic fecit ordinationes duas per Decembrim, Presbyteros * viginti quinque, Diaconos ſex, Epiſcopos per loca ſeptemdecim. Sepultus eſt in Cœmeterio Balbini via Ardeatina pridie Non. Octobris, & ceſſauit Epiſcopatus dies viginti.
Marco Iulius.	Poſt quem Iulius ordinatus eſt annis 16. menſibus 4.	36. Iulius annos quindecim, menſem vnum, dies vndecim. Fuit temporibus Conſtantini, à Conſulatu Feliciani & Titiani ex die VIII. Idus Februarij, in diem pridie Idus Aprilis Conſtantio V. & Conſtantio Cæſare Conſulibus. Hic multas fabricas fecit, Baſilicam in via Portuenſi milliario 3. Baſilicam in via Flaminia milliario 2. quæ vocatur Valentini: Baſilicam Iuliam, quæ eſt regione VII. iuxta Forum D.	36. *Iulius* natione Romanus ex Patre Ruſticio. Sedit *annos quindecim, menſem vnum. Fuit temporibus Conſtantini* & *Feliciani & Maximiani*. Hic fecit ordinationes tres per menſem Decembris, Presbyteros octodecim, Diaconos * quatuor, Epiſcopos per loca octo. Sepultus eſt in via Aurelia in Cœmeterio Calipodij milliario 3. pridie Idus Aprilis. Ceſſauit Epiſcopatus dies viginti quinque.

† Henſchenius hæc ita legit: *vt Epiſcopus Oſtienſis, qui conſecrat Epiſcopum Vrbi.*
* Idē 15.

* Henſc. *Diaconos octo.*

Notæ.

† *Vt Epiſcopo Oſtenſes, qui conſecrat Epiſcopus pallium, vteretur, vel ab eodem Epiſcopo Vrbis Roma conſecraretur.* Hic locus ex libro Pontificali ope M.SS Codd. ita reſtitui poteſt. *Vt Epiſcopus Oſtienſis, qui conſecrat Epiſcopum Vrbis, pallio vteretur, & ab eodem Epiſcopus Vrbis Romę conſecraretur.*

Tra-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

35. S. MARCVS.

Marcus natione Romanus, ex patre Prisco, sedit annos duos, menses octo, dies viginti. *Fuit* autem *temporibus Constantini & Nepotiani* ac * Secundi *Consulum*, *ex die Calendarum Februariarum, vsque in diem Calendarum Octobris. Hic constituit, vt Episcopus Ostiensis, qui consecrat* Episcopum [Vrbis] *pallio vteretur, & ab eodem * Episcopo Vrbis Romæ consecraretur*, & constitutum de * omni Ecclesiastico ordine fecit. Hic fecit duas Basilicas, vnam via Ardeatina, vbi requiescit, & aliam in Vrbe Roma iuxta * Pallacinis. Huius suggestione obtulit Constantinus Augustus Basilicæ, quam Cœmeterium constituit via Ardeatina, fundum * Rosarum cum omni agro campestri præstantem solidos 40. In Basilica in Vrbe Roma obtulit hæc: Patenam argenteam pensantem libras 30. Amas argenteas duas pensantes libras 20. Scyphum argenteum vnum pensantem libras decem. Calices ministeriales argenteos tres pensantes libras binas. Coronam argenteam pensantem libras decem. Fundum Antonianum via Claudia præstantem solidos 30. Fundum * Vaccans via Appia præstantem solidos 40. & trimisios duos. Fundum ortea via Ardeatina præstantem solidos 55. & trimisium vnum. *Hic fecit ordinationes duas * per mensem Decembris, Presbyteros* 25. *Diaconos* 6. *Episcopos per* diuersa loca 27. qui etiam *sepultus est in Cœmeterio Balbinæ via Ardeatina * Secundo nonas Octobris, & cessauit Episcopatus dies* 20.

* Flor. *Facundi*.
* Flor. deest *Vrbis*.
* Cass. & Flor. *Episcopus*.
* Flor. & Cass. *de omni Ecclesiæ ordinauit*.
* Flor. *Pallicinus*. Aliud M. S. *Palatinus*.
* Flor. *Rosarum*.
* Cass. *Baccanum*.
* Vat. *in Vrbe Roma*.
* Flor. Vat. *quod ipse insistens fecit pridie Nonas &c.*

36. S. IVLIVS.

Iulius natione Romanus ex Patre Rustico, sedit annos * XI. menses II. dies VII. *Fuit* autem *temporibus Constantini* hæretici, filij Constantini, à Consulatu *Feliciani & * Maximi*: Hic in multa tribulatione & exilio fuit mensibus decem: & post huius Constantij mortem cum gloria est reuersus ad sedem B. Petri Apostoli. Fecit duas Basilicas * in Vrbe Romana, vnam iuxta forum, & aliam via Flaminia. † Fecit autem & Cœmeteria tria, vnum via Flaminia, & aliud via Aurelia, atque aliud via Portuensi. Hic constitutum fecit, vt nullus clericus causam quamlibet in publico ageret nisi in Ecclesia, & notitia, quæ omnibus pro fide Ecclesiastica est, per notarios colligeretur, & omnia monumenta in Ecclesiam per primicerium notariorum confecta celebrarentur, sine * causatione vel instrumenta, aut donationes,

* Flor. & Vat. *annos XV*.
* Flor. Sec. *Maximini*.
* Flor. *vnā in Vrbe Roma iuxta Forum, alteram trans Tiberim*. Ita quoquè Cass.
* Flor. & Vat. *Caustiones*.

Nota.

Fecit autem & Cœmeteria tria. Dupliciter intelligi potest hic locus, vel quòd antiqua Martyrum Cœmeteria suis temporibus detecta Christianis fidelibus aperiri iusserit, vel quòd loca subterranea seu cryptas arenarias ad vsum sepulturæ Christianorum adaptari mandarit. Vtroque modo Iulius potest dici fecisse Cœmeteria. Quo autem modo ea fecerit, mihi compertum non est.

vel

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon Hieronymi.	Iuxta antiquiorem Catalog. Bibl. Cæsareæ, ad M.S. exemplar, & editionẽ Cuspiniani correcta.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Biblioth. Colbertinæ correcta.	
		Traiani, Basilicam trans Tiberim Regione XIV. iuxta Calistum, Basilicam in via Aurelia, milliario tertio ad Calistum.		
SS. Opt. Aug. Iulio, Liberius.	Liberius 34. Romanæ Ecclesiæ ordinatur Episcopus, quo in exilium ob fidem truso, omnes Clerici iurauerunt, vt nullum alium susciperent. Verùm cum Felix ab Arianis fuisset in Sacerdotium substitutus, plurimi peierauerunt, & post annum cum Felice eiecti sunt, quia Liberius tædio victus exilij, & in hereticam prauitatem subscribens Romam quasi victor intrauerat.	37. Liberius fuit temporibus Constantini, ex die XI. Kalend. Iunias, in diem ... à Consulibus Constantio V. & Constantio Cęsare.	37. Liberius natione Romanus ex patre Augusto. Sedit annos quinque, menses tres, dies tres. Fuit temporibus Constantij, vsque ad Constantio Augusti III. Hic exilio detrudetur à Constantio, eo quod noluit hærese Ariana consentire. Fecit annos tres, & congregans Sacerdotes secum consilio eorum Liberius, ordinauerunt in loco eius Felice presbytero. Episcopum venerabilẽ virum. Et fecit concilium Felix, & inuenit duos presbyteros consentientes Constantio Augusto Arriano nomine Vrsantio & Valente, & damnauit eos in Concilio XLVIII. Episcoporum. Post paucos dies zelo * ductus Vrsantius & Valens rogauerunt Constantium Augustum, vt reuocaret Liberio de exilio, vt vnam tantum communionem participaret excepto rebaptizare. Qui Liberius consensit * præcepti Augusti, vnam participationem conueniret communionis. Hunc reuocauerunt Liberium de exilio.	* Hic plures librarij errores, vti & in reliquo libro. * Felicẽ. * Vrsacium. * ducti. * Liberiũ * Pręceptis Augusti, vt.
		Nota. Hic finem accipit antiquior Catalogus, qui nec Consulatum, nec diem obitus Liberij adnotat, quia eo viuente conscriptus est. Vnde de hoc Catalogo nihil vlterius dicendum occurrit.	***Nota.*** Acta hac Liberij plena sunt erroribus & mendis, quæ Librariorum incuria in M.S. Reginæ Sueciæ irrepserunt, quæ corrigi possunt ex libro Pontificali, vt quod habetur de Felice consilio Liberij in Pontificem electo, quæ Anselmus Lucensis sic legit: *Et congregans Sacerdotes, cum consilio eorum Liberius ordinauit in locum suum Felicem.*	

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio & Farnesiano Codicibus.

vel communicatis, vel traditiones, aut testamenta, vel allegationes, aut manumissiones Clerici in Ecclesia per scriniarium Sanctæ Sedis celebrarent. *Hic fecit ordinationes tres in* Vrbe Romana *per mensem Decembris, Presbyteros decem & octo, Diaconos quatuor, Episcopos* per diuersa loca nouem, qui etiam *sepultus est via Aurelia in Cœmeterio Calepodij miliario* ab Vrbe Romana * *tertio, pridie Idus Aprilis, & cessauit Episcopatus diebus* 25.

* Flor. *quarto*.

37. S. * LIBERIVS.

*Liberius natione Romanus ex patre * Augusto, sedit* annos X. menses VII. *dies III. Fuit autem temporibus Constantij* filii Constantini vsque ad Constantinum Augustum tertium. *Hic exilio deportatur à Constantio, eò quòd noluisset hæresi Arrianæ consentire*, & fecit in exilio annos duos, & * *congregantes se Sacerdotes cum consilio Liberij ordinauerunt in locum eius Felicem Presbyterum Episcopum venerabilem virum, & fecit Concilium Felix, & inuenit duos Presbyteros consentientes Constantio Augusto Arriano, nomine Vrsatium & Valentem, * & exegit eos in Concilio quadraginta, & octo Episcoporum. Post paucos* autem *dies zelo ducti Vrsatius & Valens, rogauerunt Constantium Augustum, vt reuocaret Liberium de exilio, vt * vna tantum communione participarent extra* secundum baptismum. Tunc missa auctoritate per Catulinum agentem in rebus, simul Vrsatius & Valens venerunt ad Liberium, *qui consensit* præceptis Constantij, vt *vna participatio conueniret communionis cum* hæreticis † tantum vt non * rebaptizarent. Rediens autem Liberius de exilio habitauit in Cœmeterio S. Agnetis apud * germanam Constantij, vt quasi per eius interuentionem aut rogatum rediret Liberius in ciuitatem. Tunc Constantia Augusta, quæ fidelis erat Domino Iesu Christo, noluit rogare Constantium Augustum Germanum suum * quia senserat consilium doli. Eodem tempore Constantius vnà cum Vrsatio, & Valente conuocauerunt aliquos, qui ex * fide Arriana erant, & quasi facto consilio misit & *reuocauit Liberium* de Cœmeterio Sanctæ Agnetis: & ingressus Romam in ipsa hora *fecit* Constantius * *consilium cum hæreticis, simul etiam cum Vrsatio & Valente, & eiecit Feli-*

* Habetur fermè tota apud Ansel. Lucensem coll. Can. lib. 3. cap. 115.

* Flor. 2. *Lugusto*. Flor. prim. *annos 6. menses 3. dies 4.*

* Florent. duo: *& congregans Sacerdotes cum consilio eorum Liberius ordinauit in locum suum Felicem*. Anselmus: *Et congregati Sacerdotes cum consilio Liberij*.

* Ansel. & Flor. *damnauit eos* &c.

* Cass. *vt vnam tantùm communionem participaret*.

* Flor. duo *rebaptizaret*. *Hinc reuocauerunt Liberium de exilio*.

* *Constantiam* Flor.

* Flor. *qui assenserat consilio doli*.

* For. sce. *quoniam senserat consilium*.

* Vat. Flor. *ex fece*.

* Flor. & Vat. *augustus*.

Notæ.

† *Tantùm vt non rebaptizarent*. Arianos tempore Liberij Papæ rebaptizasse eos, qui ex Catholicis ad sectam suam veniebant, manifestum fit ex hoc loco, quem auctor libri Pontificalis ex secundo Catalogo descripsit. Quandonam autem cœperint rebaptizare Ariani, nondum innotuit. Verisimile tamen est, eos rebaptizandi morem à Donatistis accepisse, & Donatistas, ne amplius in Africæ angulo latitare dicerentur, ante Liberij tempora vnionem cum Arianis iniisse.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon D. Hieronymi.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
		lio. Eodem tempore Constantius vna cum Vrsatio & Valente conuocauerunt aliquos, qui ex fęce Arriana erant, & * misit, & reuocauerunt Liberium de Cimiterio Sanctæ Agnæ, vbi sedebat, & ingressus * Roma, in ipsa hora Constantius, fecit concilium cum hæreticis simul, Vrsatius, & Valens; & eiecit Felicem de Episcopatu, qui erat catholicus, & reuocauit Liberium. Ab eodem die fuit persecutio in clero, ita vt intra Ecclesiam Presbyteri & Clerici necarentur. Qui Felix depositus de Episcopatu habitauit in prædiolo suo, vbi requieuit in pace Kalendas Augusti. Ingressus Liberius in Vrbem IV. Nonas Augusti consensit Constantio hæretico; non tamen rebaptizatus est. sed consensum præbuit. Fecit ordinationes duas, Presbyteros octodecim *, Diaconos quinque, Episcopos per loca octo. Sepultus est in Cœmeterio Priscillæ via Salaria V. Idus Septembris. Cessauit Episcopus * dies quinque.
SS. Opt. & Aug.	Suprà in Pontificatu Liberij.	30. Felix natione Romanus ex patre Anastasio. Sedit annos tres. †Hic Declarauit Constantium hæreticum, & * rebaptizatum secundùm. Hic martyrio coronatur. Hic fecit Basilicam in via Aurilia miliario ab Vrbe secundo, vbi & requieuit. Hic fecit * ordinationes per mensem Decembris, Presbyteros XXI. Diaconos V. Episcopos per loca XVIII. Qui etiam * capiti truncatur cum multis Clericis, & fidelibus occultè iuxtà * murus Vrbis ad latus * Forma Traiani III. Idus Nouembris: & exinde rapuerunt corpus eius nocte Christiani cum Damaso Presbytero, & sepelierunt in Basilica supradicta XVI. Kalend. Decembris. Cessauit Episcopatus dies XXXVIII.
Nota. † SS. Optatus & Augustinus non agnoscunt inter Romanos Pontifices Felicem Secundum, vel quia illum non habuerunt pro vero Pontifice, vel quia eius Pontificatus in Liberij Pontificatu inclusus fuit.		*Nota.* † Cum tempore Baronij Romæ ageretur de expungendo è serie Romanorum Pontificum Felice Secundo, opportunè contigit, quod pridie eiusdem festi repertus fuerit lapis cum his verbis: *Corpus S. Felicis Papæ & Martyris, qui damnauit Constantium*. Vnde eius memoria magis, & magis celebrata fuit. Vide dissertationis secundæ caput vltimum.

Marginal notes: * misêrunt. * Romá. * Hensc. XIX. * Codex Colbert. *dies VI.* * Cod. Colber. *rebaptizauit*. * Hensc. *ordinationem*. * capite. * muros. * Forma.

SS.

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus,

cem de Episcopatu, qui erat Catholicus, & reuocauit Liberium. Ab eodem die fuit persecutio in clero, ita vt intra Ecclesiam Presbyteri, & Clerici necarentur, & martyrio coronatur. *Qui Felix depositus de Episcopatu, habitauit in prædiolo suo via* Portuensi, *vbi & requieuit in pace* IV. *Calendas Augusti. Ingressus Liberius in Vrbem* *. Romanam *IV. Nonas Augusti Consensit Constantio hæretico, non tamen rebaptizatus est* Liberius, *sed consensum præbuit*, & tenuit Basilicam Beati Petri Apostoli, & Beati Pauli, & Basilicam Constantinianam annos septem, & persecutio magna fuit in Vrbe Romana, ita vt * Clerici & Sacerdotes neque in Ecclesias, neque in Balnea haberent introitum. Hic Liberius ornauit de * platinis marmoreis petris sepulchrum Sanctæ Agnetis martyris. Omnes itaque anni Felicis * in eius ordinatione dinumerantur. Hic fecit Basilicam nomini suo iuxta Macellum Libiæ. Hic *fecit ordinationes duas* in Vrbe Romana per mensem Decembrem, *Presbyteros decem & octo, Diaconos quinque*, Episcopos per diuersa loca decem & nouem. Qui etiam *sepultus est in Cœmeterio Priscillæ via Salaria* * octauo Calendas Maij, & *cessauit Episcopatus diebus septem*.

S. Felix II.

Felix * *natione Romanus ex patre Anastasio*, Sedit anno vno, mensibus * duobus. *Hic declarauit Constantium* filium Constantini *hæreticum*, † *& secundò rebaptizatum* ab Eusebio Nicomediensi iuxta Nicomediam in Aquilone Villa, & * & per hoc declaratum eiusdem Augusti filij Constantini præcepto, *martyrio coronatur*, & capite truncatur. *Hic fecit Basilicam via Aurelia*, cum Presbyteri honore fungeretur: & in eadem Basilica emit agrum circa locum, quem obtulit Ecclesiæ, quam fecit *miliario ab Vrbe* Romana *secundo*. *Hic fecit ordinationem* vnam per mensem Decembris *Presbyteros* 21. *Diaconos* 5. *Episcopos per* diuersa *loca* 19. * *qui etiam* passus est in ciuitate Corona *cum multis clericis, & fidelibus occultè iuxta muros Vrbis ad latus formæ* * *Traiani. III. Idus Nouembris*, * *& exinde* raptum *est eius corpus noctu* à Presbyteris & Clericis *cum Damaso Presbytero*, & sepultum

Nota.

† *Et secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi iuxta Nicomediam in Aquilone villa*. Quæ auctor libri Pontificalis hoc loco affirmat de baptismo Constantij, Eusebius & D. Hieronymus in Chronicis referunt de baptismo Constantini, cum scilicet in fine vitæ ab Eusebio Nicomediensi baptizatum fuisse in Aquilone villa. Qua de re alibi agimus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.

* Codd. M. SS. *Romano*.

* Flor. sec. *clerus*.

* Flor. & Vat. *de Platonis marmoreis sepulchrum*.

* Flor. *in huius ordine*.

* Flor. *V. Idus Septembris*. In antiquo Martyrologio S. Cyriaci *IX. Kal Oct. Romæ depositio S. Liberij Episcopi*.

* Flo. sec. *Iunior*.

* Flor. & Vat. *mensibus III. diebus II.*

* Monbritius: *& pro hoc declarato eijcitur Sanctissimus Felix de Episcopatu suo à Constantio Augusto filio Constantini. Hic fecit* &c.

* Hæc agnoscit Anselmus Lucensis. Codex tamen Florentinus omissis nonnullis ita legit: *Qui etiam capite truncatus est*.

* Flor. *Traiana*.

* Flor. *& exinde rapuerunt corpus eius noctu Christiani cum Damaso presbytero, & sepelierunt*.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon Eusebij.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
SS. Opt. & Aug. Liberio Damasus.	Damasus trigesimus quintus *Romanę Ecclesię ordinatur Episcopus*.	39. Damasus natione Hispanus ex patre * Antonio, sedit annos XVII, menses III. dies XI. [* Fuit temporibus Iuliani.] Fecit Basilicas duas, * vna ad via Ardiatina, vbi requiescit. Hic accusatus in crimine de adulterio, * facto Synodo purificatur à quadraginta quatuor Episcopis. Damnauerunt Concordio & Calisto Diaconos accusatores, & iactauerunt de Ecclesia. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris, Presbyteros XXX. Diaconos XI. Episcopos per loca LI. Sepultus est in Basilica sua III. Idus Decembris cum matre sua, & germana. Cessauit Episcopatus dies XXXVI.

* Hensc. *Antonium.*
* Hæc omittuntur ab Hensc.
* *vnam ad viam Ardeatinam.*
* *falsa.*
* *Concordium & Calistum.*

Nota.

† *Fecit Basilicas duas*, Cum duas Basilicas à Damaso constitutas referat auctor Catalogi, vnius tantùm meminit, quæ via Ardeatina sita erat supra cataeumbæ partes vt cooijcit Bosius in Roma subterranea: atque hæc est Ecclesia, vbi Damasus sepultus fuit, antequam corpos eius ad Ecclesiam S. Laurentij translatum fuit, quæ est altera Ecclesia à Damaso constructa, & ab eius nomine in Damaso vocata, cui per eundem plura dooa oblata fuisse, narrat auctor libri Pontificalis. Ex quo corrigi possunt omnes illi errores, qui in hoc Catalogo leguntur, quem prout in M. S. Codice reperi, omninò deleripsi.

SS.

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.	Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio & Farnesiano Codicibus.
est *in supradicta* eius *Basilica*, quam ipse construxit via Aurelia * 12. *Calendas Decembris* milliario secundo in pace, & *cessauit Episcopatus* diebus 39.	* Flor. & Cass. *XVII. Cal.*

38. S. DAMASVS.

Damasus natione Hispanus ex patre Antonio, sedit annis decem & octo, * mensibus duobus, diebus decem. Et cum eodem ordinatur sub contentione Vrsicinus, & facto * consilio Sacerdotum constituerunt Damasum, quia fortior & plurima multitudo erat, & sic constitutus est Damasus, & Vrsicinum eiecerunt ab Vrbe, & constituerunt eum Neapoli Episcopum, & mansit Damasus in vrbe * Romana præsul in Sede Apostolica. *Fuit* autem *temporibus Iuliani*. Hic *fecit basilicas duas*, *vnam* † iuxta theatrum Sancto Laurentio, & aliam *via Ardeatina*, *vbi requiescit* * in Catacumbis, & ædificauit platoniam, vbi corpora Apostolorum iacuerunt, id est Beati Petri & Pauli, quam & versibus ornauit. Hic multa corpora Sanctorum Martyrum requisiuit, * quorum etiam concilia versibus decorauit. Hic constitutum fecit de Ecclesia. *Hic accusatus* est inuidiosè & incriminatus *de adulterio*, & *facta Synodo* purgatus est à 44. *Episcopis*, qui etiam *damnauerunt Concordium*, *& Calixtum Diaconos accusatores*, *&* proiecerunt *de Ecclesia*. Hic constituit titulum in Vrbe Romana, scilicet Basilicam, quam ipse construxit, vbi & donauit patenam argenteam pensantem libras 15. Scyphum anaglyphum pensantem libras 10. Calices ministeriales argenteos quinque, pensantes singuli libras tres. Coronas argenteas 5. pensantes singulæ libras 8. Canthara cerostrata ærea pensantia libras 16. Domos in circuitu Basilicæ præstantes solidos 55. Possessionem Papyrianam territorio Ferentino cum adiacentibus antiquis præstant. solidos 120. trimisium. Possessionem Antoniana in territorio Casin. præstantem solidos 103. Balneum iuxta titulum præstans solidos septem & viginti. Hic constituit, vt psalmos diu noctuque canerent per omnes Ecclesias. Qui hoc præcepit Presbyteris * & Episcopis vel monasterijs. *Hic fecit ordinationes* in Vrbe *quinque per mensem Decembris*, *Presbyteros* 31. *Diaconos* II. *Episcopos* per diuersa *loca* 62. qui etiam *sepultus est* via Ardiatina *in Basilica sua* 3. *Idus Decembris* iuxta matrem suam & germanam, *& cessauit Episcopatus* per dies 31.	* Cass. & Flor. *mens* 3. * *Concilio* Flor. duo. * Codd. M. SS. *Roma*. * Flor. duo: *Et in Catacumbis vbi iacuerunt corpora Sanctorum Apostolorũ Petri & Pauli, in quo loco platoniam ipsam, vbi iacuerunt corpora sancta, versibus exornauit.* * Flor. fec. *& inuenit.* * Vatic. *in Vrbe Roma Basilicam.* * MS. C. *vel.*

Nota.

† Iuxta Theatrum. Scilicet Pompei.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon Hieronymi & Marcellini Comitis.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
SS. Opt. & Aug. *Damaso Siricius.* Sub quo S. Optatus finem Rom. PP. Catalogo imponit his verbis: *Siricius hodie, qui Noster est socius.*	Hieron. Romanæ Ecclesiæ Siricius trigesimus sextus Antistes factus, vixit annos XV.	Syricius natione Romanus ex patre Tyburcio sedit annos 15. dies 15. Hic constitutum fecit de Ecclesia, & direxit per prouincias. Constituit vt † sine consecrato Episcopi loci cuiuslibet Presbyter non liceret consecrari. Hic constituit hæreticos sub manus impositione reconciliare. Hic fecit ordinationes V. Presbyteros XXXI. Diaconos XV. Episcopos per loca XXXII. Sepultus est in Cœmeterio Priscillæ via Salaria VII. Kal. Martij. Cessauit Episcopatus dies XX. *(In margine:)* * Henſc. corrigit hoc loco vt vbiq; & legit *cuilibet Presbytero non liceret consecrare.*
S. Augnst. *Siricio Anastasius.* Sub quo D. Augustinus scribebat, & quocum finem Catalogo suo imposuit.	Marcel. Comes. Honorio IV. & Eutychiano Coss. Romanæ Ecclesiæ Anastasius trigesimus septimus Episcopus ordinatus, vixit annos IV.	Anastasius natione Romanus ex patre Maximo sedit annos tres, dies decem. Hic constituit, quotiescumque Euangelia recitantur, Sacerdotes nou sederent. Hic fecit ordinationes duas, Presbyteros quinque, Diaconos quinque, Episcopos per loca vndecim. Sepultus est * ad Vrso Pilato V. Kalendas Maij. Cessauit Episcopatus dies XXI. *(In margine:)* * *ad Vrsum Pileatum.*
	Nota. † Cum Siricio finem Chroniei Eusebiani supplemento imponit D. Hieronymus: vndè sequentes Pontifices ex Chronieo Marcellini Comitis adiungimus.	***Nota.*** † *Sine consecrato.* Consecratum, quod auctor libri Pontificalis vocat fermentum, erat sacra Eucharistia, quam presbyteri à suo Episcopo consecratam accipiebant, & cæteris hostijs admiscebant, vt nuper annotauit Mabillonius in secundo suo Tomo Musæi Italici.

42. In-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

39. S. SIRICIVS.

Siricius natione Romanus ex Patre Tiburtio, sedit annos quindecim, menses vndecim, dies viginti quinque. *Hic* * *constitutum fecit de* omni *Ecclesia*, vel contra omnes hæreses, & * dispersit per vniuersum mundum, vt in omnis Ecclesiæ * Archiuia teneantur ob impugnationem contra omnes hæreses. Hic *constituit*, vt nullus Presbyter missas celebraret per omnem hebdomadam, * nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum. Hic inuenit Manichæos, * quos exilio deportauit, & hoc constituit, vt non participarent cum fidelibus communionem, quia ore polluto non liceret sanctum Corpus Dominicum vexari. Hic constituit, vt si quis conuersus de Manicheis rediret ad Ecclesiam, nullatenus communicaretur, † nisi tantum relegatione monasterij diebus vitæ suæ teneretur obnoxius, vt ieiunijs & orationibus maceratus, & probatus sub omni examinatione vsque ad vltimum diem transitus sui, * & ob humanitatem Ecclesiæ Viaticum eis largiretur. *Hic constituit, hæreticum* * *sub manu impositionis* recipi præsente cuncta Ecclesia. *Hic fecit ordinationes quinque* in Vrbe per mensem Decembris, *Presbyteros* 31. Diaconos 16. *Episcopos per* diuersa *loca triginta & duos*. Qui etiam *sepultus est in Cæmeterio Priscillæ via Salaria*, * nono Calendas *Martias, & cessauit Episcopatus per dies* 20.

40. S. ANASTASIVS.

Anastasius natione Romanus ex patre Maximo, sedit * annos duos, dies viginti quatuor. *Hic constituit*, vt *quotiescumque Euangelia* sancta *recitantur, Sacerdotes non sederent*, sed curui starent. Hic fecit constitutum de Ecclesia. Hic fecit Basilicam, quæ dicitur Crescentiana in regione secunda, in via Mamertinia, in Vrbe Roma. * Et hoc constituit, nulla ratione transmarinum hominem in clericatus honorem suscipi, nisi quinque Episcoporum designaret Chorographum propter Manichæos. *Hic fecit ordinationes duas* per mensem Decembris, Presbyteros nouem, *Diaconos quinque*, *Episcopos per* diuersa *loca* * *XI*. Qui verò *sepultus est in* Cœmeterio suo *ad Vrsum Pileatum, V. Kalend.* Maij, & *cessauit Episcopatus dies* 21.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.

* *Constitutum* ita Codd. M. SS.

* Caff. & Flor. *sparsit*.

* *Archiuio*.

* Florent. *Nisi qui consecratum Episcopi designati susciperet*.

* Flor. addit *in Vrbe*.

* Flor. fec. *vt*.

* Flor. *sub manus impositione reconciliari*.

* Florentin. *octauo Calendas May*.

* Caff. *Annos 3. dies 27*.

* Florentini Codd. duo: *Et hoc constituit, vt nullum Clericum transmarinum, nisi sui Episcopi designaret chirographum, quis susciperet. Quia eodem tempore Manichæi inuenti sunt in Vrbe Roma. Hic fecit ordin.* &c.

* Fl. *XIX*.

Notæ.

† *Nisi tantùm relegatione Monasterij*. Cum Manichæorum hæresis non modo prauissima, sed etiam obscena fuerit, nullam leuiorem pœnam illis Siricius imponendam censuit, quàm perpetuæ pœnitentiæ in Monasterio peragendæ: vnde duo quædam consequuntur, & Monasteria ante Siricium fuisse, & grauioribus delictis pœnitentiam perpetuam impositam fuisse; cum hoc tamen moderamine, quòd in vltimo constitutis Viaticum concederetur.

Notæ.

† *Constitutum de omni Ecclesia*. S. Innocentius Papa epist. 3. ad Exuperium ait, Siricium formam vitæ Ecclesiasticæ constituisse, & ad Prouincias *misisse*.

41. S.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon Marcellini Comitis.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginę Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
S. Prosper Arcadio V. & Honorio V. Coss. Romanæ Ecclesiæ trigesimus octauus præest Episcopus Innocentius, annis XIV. Suplem. Chronici. Annis XV. mens. V. dieb. XXI.	Arcadio V. & Honorio V. Coss. Romanæ Ecclesiæ Innocentius vigesimus octauus creatus Antistes, vixit annos XV.	42. Innocentius natione Albanensis ex patre Innocentio, sedit * annos XV. mensem I. dies XXI. Hic constituit, * Sabbathum ieiunium celebrari, ideo, quia Sabbathum Dominus in sepulchro positus est, & discipuli ieiunauerunt. Hic fecit ordinationes quatuor per Decembrem, Presbyteros XXX. Diaconos XII. Episcopos per loca LIV. Sepultus est ad * Vrso Pilato V. Kalendas Iulias. Cessauit Episcopatus dies XXI.

* Cod. Colbert. *annis XVI.*

* *Sabbato* ex libro Pont.

* *Vrsum Pileatum* ex lib. Pont.

Nota.

† *Hic constituit Sabbathum ieiunium celebrari*. Celebre est D. Ambrosij responsum, quod interroganti Augustino datum fuisse, ipse Augustinus commemorat epist. 36. alias 86. ad Casulanum: *Quando Romæ sum, ieiuno Sabbato*. Quia nimirùm iam inde ab Ambrosij temporibus Romæ vsu receptum fuit, Sabbato ieiunare. Quem Romanorum morem Innocentius I. decreto suo obseruari præcepit ob rationem in Catalogo appositam.

Theo-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

41. INNOCENTIVS.

Innocentius natione Albanensis ex patre Innocentio sedit annos 15. menses duos, * *dies* viginti. Hic constitutum fecit de omni Ecclesia, & de regulis monasteriorum, & de Iudæis, & de Paganis, & multos Cataphrygas in Vrbe inuenit, quos * exilio & monasterijs releganit: & hic inuenit Pelagium & Cælestium hæreticos, & damnauit eos: & hoc constituit, vt qui natus fuerit de Christiana, denuò per baptismum renasci debeat, hoc est baptizari, quod Pelagius damnabat. Eodem tempore dedicauit Basilicam SS. Geruasi, & Protasij ex deuotione * testamenti cuiusdam illustris fœminæ Vestinæ laborantibus Presbyteris * Cusicino, & Leopardo, & Diacono Libyano, quæ fæmina suprascriptam testamenti paginam sic ordinauit, vt basilica SS. Martyrum ex ornamentis & margaritis venditis iustis æstimationibus construeretur, & constructa est vsque ad perfectum, in quo loco beatissimus Innocentius, & de legatione illustris fæminæ Vestinæ titulum Romanum constituit, & in eodem Dominico * loco obtulit Patenas argenteas duas pensantes singulæ libras 20. Coronas argenteas 12. pensantes singulæ libras 15. Amas argenteas duas pensantes singulæ libras 20. Fatum Cantarum argenteum vnum pensan. libras 22. Cerostrata argentea 4. pensan. singula libras 35. Turrem argenteam cum patena & columba deaurata pensantem libras 30. Ad ornatum baptismi Ceruum * argenteum fundentem aquam pensantem libras 25. Vas ad oleum Chrismatis argenteum pensan. libras 5. Vas aliud ad oleum exorzizatum pens. libras 5. Patenas duas ad Chrisma pens &c.... *Hic constituit Sabbatho ieiunium celebrari, quia Sabbatho Dominus in sepulchro positus est, & discipuli eius ieiunauerunt.* Hic constituit Basilicam Beatæ Agnetis martyris à Presbyteris Leopardo & Paulino cum sollicitudine gubernari, & regi, & ornari * & ex dispositione Vestinæ tituli suprascripti Presbyteris est concessa potestas. *Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembris, Presbyteros 30.* * *Diaconos 12. Episcopos per* diuersa *loca quinquaginta quatuor*, qui etiam *sepultus est* * *ad Vrsum pileatum, V. Calendas* Augusti: *& cessauit Episcopatus per dies 22.*

* Flor. *dies XXI*.
* Flor. duo *quos in exilio monasterij relegarit*.
* In Flor. sec. deest *testamenti*.
* Flor. *Vrsicino*. Flor. sec. *Vrsino*.
* Flor. deest *loco*.
* Flor. *aureum*.
* Flor. duo: *ornari eorum dispositione, tituli suprascripta Vestina Presbyteris concessa potestate*.
* Fl. duo: *Diaconos XVII*.
* Flor. sec. *in Cœmeterio ad Vrsum pileatum Calend.*

Nota.

† *Et de regulis Monasteriorum.* Vndenam desumpserit auctor libri Pontificalis, quòd Innocentius Primus decretum ediderit de regulis Monasteriorum, me penitùs latet, nihil enim hac de re in secundo Catalogo tempore Iustiniani Imperatoris concinnato. Notat autem ad hæc verba Lucas Holstenius: *Hinc apparet imperitia scriptoris*. Attamen miratus sum, hominem eruditum hæc animaduertisse: à Damasi enim ætate Monachi Romam venerant ductore D. Athanasio, Romanasque Virgines & Matronas Monacharum instituta docuerat D. Hieronymus, adeò vt Innocentius Primus, qui diù post Damasum floruit, de regulis Monasteriorum statuta edere potuerit, præsertim cum Siricius Innocentij prædecessor, ab hæresi Manichæorum reuertentes in Monasterijs ad agendam penitentiam recludi voluerit, vt suprà annotauimus.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon Marcellini Comitis.	Iuxta secundum Catalogum Bibliot. Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
S. Prosper. Theodosio VII. & Palladio Coss. Romanæ Ecclesiæ trigesimus nonus Episcopatum suscepit Zosimus annis 3. Suppl. Chronici anno 1. mens. 9. diebus 9.	Honorio XI. & Constantio II. Coss. Romanæ Ecclesiæ Zosimus trigesimus nonus, Episcopus ordinatus, vixit annis 3.	43. Zosimus natione Græcus ex patre Apromio. Sedit annum 1. menses 2. dies II. Hic constituit, * vt diaconi leua tecta haberent de pallijs linostimis per Parochias, & vt cera benedicatur. Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decembris, Presbyteros decem, Diaconos tres, Episcopos per loca octo. Sepultus est iuxta corpus Beati Laurenti via Tyburtina VI. Kalendas Ianuarij. Cessauit Episcopatus * dies XI.
Monaxio & Plinta Romanæ Ecclesiæ quadragesimus Episcopatum agit Bonifacius annis III. Suppl. Chron. Honorio XII. & Theodosio VIII. Coss. Bonifatius quadragesimus Romæ Episcopatum tenet annis 3. mensibus 8. dieb. 6.	Theodosio IX. & Constantio III. Coss. Romanæ Ecclesiæ Bonifacius quadragesimus Episcopus ordinatus, vixit annis tribus.	44. Bonifacius natione Romanus, ex patre Iocundo Presbytero. Sedit annos tres, menses octo, dies quinque. Hic sub * intentione cum Eolalio * ordinatore. Fuit dissentio in Clero * menses VI. dies XV. & * facto Synodo deponitur Eolalius sub alijs Episcopis, quia iustè non fuerat ordinatus, & ex consensu omnium sedit Bonifacius præsul, & constitutus Eolalius in ciuitatem * Nepesinam Episcopus. Hic constituit, vt nulla mulier vel * monica palla sacrata * contingerit, aut * lauarit, aut incensum * ponerit in Ecclesia, nisi minister, nec seruum Clericum fieri. Hic fecit ordinatione I. per mensem Decembris Presbyteros XIII. Diaconos IV. Episcopos per loca XXXV. Sepultus est in Cœmeterio Sanctæ Felicitatis † Via Salutaria VII. Kal. Nouembris. Cessauit Episcopatus dies 8.

*Ita quoque Colber. at Henschenius legit: *Vt Diaconi leuam tectam haberent de Pallijs linostimis, & vt per Parochias cereus benedicatur.*

* Henschenius legit male *dies XXI.*

* Ex lib. Pont. *contentione ... ordinatur.*

* Colb. legit.

* *mens. VII.*

* facta.

* Henschenius *Neptinã.*

* *Monacha.*

* *contingeret, lauaret, poneret.*

Nota.

† *Via salutaria.* Hæc vox corrupta est in hoc Catalogo, sicut & multa alia: corrigenda autem est ex libro Pontificali, qui legit *via Salaria*, vbi Cœmeterium fuit S. Felicitatis, in quo Bonifacium tempore schismatis Eulaliani sedisse, idem auctor libri Pontificalis affirmat.

Ma-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.

42. S. Sosimvs.

Zosimus natione Græcus ex patre Abramio. Sedit annum vnum, menses octo, *dies* viginti quinque. * *Hic* multas *constituit* Ecclesias, & fecit constitutum, *vt diaconi lauas vectas haberent de pallijs linostimis, & per Parochias* concessa licentia * cereos benedici, & iussit, vt nullus clericus poculum in publico propinaret, nisi tantùm in cellis fidelium, maximè Clericorum. *Hic fecit ordinationem vnam* in Vrbe *per mensem Decembrem, Presbyteros* 10. *Diaconos* 3. *Episcopos per* diuersa *loca* 8. Qui etiam *sepultus est iuxta corpus Beati Laurentij Martyris via Tiburtina* * VIII. *Kalendas* Iunias. *Et cessauit Episcopatus* per *dies II.*

* *Menses tres, dies duodecim.* Ita Flor.
* Flor. *hic multa constituit Ecclesiæ.*
* Cass. & Flo. *cereum.*
* Flor. *VII. Kalend.*

43. S. Bonifativs.

Bonifacius natione Romanus ex patre Iocundo Presbytero. Sedit annos tres, menses * quatuor, *dies* tredecim. *Hic sub contentione cum Eulalio ordinatur* vna die, *& fuit dissensio in Clero* * mensibus septem, & per dies tredecim. Eulalius verò ordinatur in Basilica Constantiniana: Bonifacius autem in Basilica * Iulia. Eodem tempore audiens hoc Placida Augusta cum filio suo Valentiniano Augusto, dum sederent Rauennæ, retulit Honorio Augusto Mediolani sedenti. Eodem tempore ambo Augusti missa auctoritate hoc præceperunt, vt ambo exirent ciuitate. Qui dum * compulsi exissent, habitauit Bonifacius in Cœmeterio S. Felicitatis martyris via Salaria, Eulalius verò in Ciuitate Antij ad S. Hermen. Veniente autem proximo die Paschæ præsumpsit Eulalius, eò quòd ordinatus fuisset in Basilica Constantiniana, & introiuit Vrbem, & baptizauit, & celebrauit Pascha in Basilica Constantiniana. Bonifacius verò sicut consuetudo erat, † celebrauit baptismum Paschæ in Basilica Sanctæ martyris Agnetis. Hoc audito Augusti vtrique miserunt, * & eiecerunt Eulalium, * & missa auctoritate reuocauerunt Bonifatium in Vrbem, & constituerunt Episcopum. Eulalium verò miserunt foras in Campaniam. Post annos tres menses octo defunctus est Bonifacius. Clerus autem & * plebs petierunt Eulalium reuocari, quod tamen non consensit Eulalius Romam reuerti: qui etiam in eodem loco Campaniæ post annum mortis Bonifacij defunctus est. *Hic*

* Flor. *menses VIII*. Flor. sec. IX. Romualdus VII. Flor. & Cass. *dies VII.*
* Flor. *mensibus VIII.*
* Romuald. *Iulij.*
* Flor & Romuald. *pulsi.*
* Vat. *& erigerunt Eulalium* 252. *Episcopi.*
* Addit Flor. *alij Episcopi.*
* Flor. & Cass. *populus.*

Nota.

† *Celebrauit baptismum Paschæ.* Licèt vrgente necessitate semper baptizare licuerit, baptismus tamen extra necessitatem tantùm bis in Ecclesia solemniter olim conferebatur. vigilia nimirùm Paschatis, & Pentecostis. Vnde hoc loco baptismus Paschæ vocatur, vt à baptismo Pentecostis distinguatur.

Iuxta SS. Patres	Iuxta Chronicon Marcellini Comitis.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
S. Prosper Mariniano & Asclepiodoto. Romanæ Ecclesiæ quadragesimus primus præsidet Episcopus Cælestinus annis IX.	Asclepiodoto & Mariniano Coss. Cælestinus Romanæ Ecclesiæ quadragesimus primus Antistes creatus est. Vixit annos IX.	45. Cælestinus natione Campanus ex patre Prisco, sedit * annos septem, menses decem, dies sedecim. Hic fecit, vt psalmi CL. * Dauid ante sacrificium psalli, quod ante non fiebat, nisi tantum † Epistola Pauli Apostoli, & Sanctum Euangelium, & sic missæ celebrabantur. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembris, Presbyteros XXXII. Diaconos XII. Episcopos per loca XLVI. Sepultus est in Cœmeterio Priscillæ via Salaria * VII. Idus Aprilis. Cessauit Episcopatus dies XXI.

* Hensc. legit malè *annos VIII.*

* Hensc. loco *Dauid* legit *deberetur.*

* Hensc. legit *VIII.* Codd. Colbert. *VIII. Kal. Aprilis.*

Nota.

† *Epistola Pauli Apostoli, & sanctum Euangelium.* Extant in antiquis M.SS. Codicibus Epistolaria, & Euangeliaria per anni circulum, à Gregorio M. concinnata, in quibus præscribuntur lectiones ex epistolis Canonicis, & Euangelijs in missis dicendę: ex hoc autem Catalogi loco constat, ante Gregorij ætatem primis Ecclesiæ temporibus ne quidem ex omnibus epistolis canonicis, sed tantùm ex epistola Pauli lectiones desumptas fuisse, & forsan quòd vnica tantùm lectio ex epistola Pauli ad Corinthios adhibita fuerit, illa nimirùm, vbi mentio fit vltimæ cœnæ à Christo cum Apostolis peractæ.

Actio

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

Bonifacius *constituit, vt nulla mulier, vel monacha* * *pallia sacrata contingeret, aut lauaret, aut incensum poneret in Ecclesia, nisi minister, nec seruum Clericum fieri*, nec obnoxium curiæ vel cuiuslibet rei. Hic fecit oratorium in Cœmeterio Sanctæ Felicitatis iuxta corpus eius, & ornauit sepulchrum Sanctæ Martyris Felicitatis, & S. * Liuanij, vbi & posuit hæc: Patenam argenteam pensantem libras 20. Scyphum argenteum pensantem libras decem, Amam argenteam pensantem libras 13. Calices minores argenteos duos, pensantes libras 4. Coronas argenteas tres pensantes libras 15. *Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decembris, Presbyteros* 13. *Diaconos* 3. *Episcopos per diuersa loca* 36. *Qui* etiam *sepultus est* * *in Cœmeterio Sanctæ Felicitatis martyris via Salaria* 8. *Calendas Nouembris*, & *cessauit Episcopatus* per *dies* 9.

* Romuald. *Pallam Sacratam*.

* Codd. M.SS. *Siluanij*.

* Flor. secund. *in Cœmeterio iuxta corpus S. Felicitatis*.

44. CAELESTINVS.

Cælestinus natione Campanus ex patre Prisco, sedit annos nouem, * *mensem* vnum, *dies* nouem. *Hic fecit* multa constituta, & constituit, *vt* 150. *psalmi Dauid ante sacrificium psallerentur* antiphonatim, *quod ante non fiebat, nisi tantùm* recitabantur *Epistola Pauli Apostoli, & Sanctum Euangelium, & sic missæ* fiebant. Hic fecit constitutum de omni Ecclesia, & maximè de * regione, quæ hodie Archiuio Ecclesiæ tenentur reconditæ. Hic dedicauit Basilicam * Iuliæ, in qua obtulit post ignem recicum Patenam argenteam pensantem libras * 15. Scyphos argenteos duos pensantes singuli libras 8. Amas argenteas duas, singulæ pensantes libras 10. * Candelabra argentea duo pensantia singula libras 30. Cantara cerostata ærea 14. pensantia singula libras 30. item Coronas argenteas 10. pensantes singulæ libras 10. Ad Beatum Petrum Apostolum Pharum canthar. pens. libras 25. ex argento purissimo. Cantharas argenteas cerostatas in gremio Basilicæ 24. pensantes singulæ libras 20. *Hic fecit ordinationes* * *tres per mensem Decembrem, Presbyteros triginta duos, Diaconos duodecim, Episcopos per* diuersa *loca quadraginta sex*: qui etiam *sepultus est in Cœmeterio Priscillæ via Salaria* VIII. Idus *Aprilis*, & *cessauit Episcopatus* per dies 21.

* Flor. & Romuald. *annos IX. menses X. dies XVII.*

* Flor. *de religione*.
* Flor. *Iuly*.

* Flor. 25.
* Flor. addit *Calices argenteos V. pensantes singuli libras III. aquamaniles, argenteas pens. lib. X.*

* Floren. *ordinationes IV.*

Nota.

† *Vt* 150. *Psalmi Dauid ante Sacrificium legerentur*. Lucas Holstenius notat in margine, *ante Canonem*. *Romualdus intelligit introitum missæ*. In quo tamen numquam 150. Psalmi cantati sunt, sed pars vnius Psalmi tantùm. Vnde hunc locum de matutinis quis rectius intelligere posset, in quibus per anni circulum omnes ferè Psalmi Dauid antiphonatim canuntur. Desumpsit auctor hæc verba ex Secundo Catalogo, à quo non nihil differt Catalogus Palatino Vaticanus, in quo legitur, vt Antiphona ante Sacrificium canerentur: quo loco aliqua verba desiderantur. Neque introitus ex Psalmis Dauidicis antiphonatim olim canebatur à clero in Ecclesijs; sed matutinum instituente id Cælestino, vt ex libro Pontificali colligitur.

Iuxta SS. Patres.	Iuxta Chronicon Marcellini Comitis.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
S. Prosper Actio & Valerio Coss. Romanæ Ecclesiæ quadragesimus secundus præficitur Episcopus Xystus annis VIII. totius Vrbis pace & consensione. Suppl. Chron. annis VIII. dieb. XIX.	Valerio & Actio Coss. Romanæ Ecclesiæ Xystus quadragesimus secundus Episcopus ordinatus vixit annis VIII.	46. Xystus natione Romanus, ex patre Xisto. Sedit annos septem, dies * octodecim. Hic à quodam Basso incriminatus * accusator ex præcepto Valentiniani Augusti cum magna examinatione * factum Synodum purgatur à LIV. Episcopis, & eiecit Bassum à communione. Hic fecit ordinationes, Presbyteros XXVIII. Diaconos XXII. Episcopos per loca LII. Sepultus est via Tyburtina in Crypta ad Sanctum Laurentium. Cessauit Episcopatus dies XXI. * Cod. Colbert. an. VIII. dies XIX. * Lib. Pont. accusatusq; * facta Synodo.
Valentiniano Aug. V. & Anatolio. Defuncto Xisto Episcopo quadraginta & amplius diebus Romana Ecclesia fuit sine Antistite, mirabili pace atque patientia præsentiam Diaconi Leonis exspectans, quem tunc inter Ætium & Albinum amicitias redintegrantem Galliæ detinebant, quasi ideo longe esset abductus, vt & electi meritum, & eligentium iudicium pro-	Valentiniano V. & Anatolio Coss. Leo quadragesimus tertius Papa creatus, vixit annos 31.	47. Leo natione Tuscus, ex patre Quintiano, sedit annos 21. mensem 1. dies 13. Hic fecit constitutum de Ecclesia. Hic inuenit duas hæreses Euthicen, & Nestorium, & * pro rogato Marciani Augusti orthodoxi * Principes ex huius * præceptum factum est Concilium sanctorum Episcoporum in Calcidona Orientis, in Basilica Sanctæ martyris Euphemiæ, & * congrega, CCLXVI. Sacerdotes, & aliorum, quorum Cyrographus cucurrit * CCCCV. Episcoporum, qui condemnauerunt Eutychen & Nestorium. Et post dies XLII. item in vnum congregati cum cyrographis, qui præsentes fuerunt, exponentes fidem MCC. Episcopi cum Augu- * Hensc. legit per rogatum. * Principis ... * præcepto. * congregati. * Cod. Colbert. ccccvi. * Hensc. malè legit cc.

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.

45. SIXTVS III.

Sixtus Tertius *natione Romanus ex patre Sixto, sedit annos* octo, *dies* nouemdecim. *Hic* post annum primum & menses octo *à quodam Basso incriminatus, accusatusque* est. Eodem tempore audiens hoc Valeutinianus Augustus iussit Concilium Sanctæ Synodi congregari, & facto conuentu *cum magna examinatione* iudicio Synodico *purgatus à 56. Episcopis*, & condemnatus Bassus à Synodo, ita tamen, vt ad * vltimum diem viaticum ei non negaretur propter humanitatem pietatis Ecclesiæ. Hoc audiens Valentinianus Augustus cum Matre sua * Placida Augusta, furore sancto commoti præscriptione Bassum condemnauerunt, & omnia prædia facultatum eius Ecclesiæ catholicæ sociauerunt. Qui Bassus nutu Diuinitatis intra menses tres defunctus moritur, cuius corpus Sixtus Episcopus cum linteaminibus & aromatibus manibus suis tractans, recondensque sepeliuit ad Beatum Petrum Apostolum in cubiculo parentum eius. Hic fecit Basilicam Sanctæ Mariæ, quæ ab antiquis Liberij cognominabatur iuxta Macellum Libyæ, * vbi & obtulit hæc: Altare argenteum purissimum pensans libras 300. Patenas argenteas tres pensantes libras 60. &c. .... Hic fecit in Basilica Constantiniana ornamentum super fontem, quod ante ibi non erat, id est Epistylia marmorea, & columnas Porphyreticas erexit, quas Constautinus Augustus congregatas dimisit, & iussit, vt erigerentur, quas & versibus exornauit. Hic fecit Platoniam in Cœmeterio Calixti via Appia, vbi nomina Episcoporum & martyrum scripsit commemorans. *Hic fecit ordinationes* in Vrbe Roma per mensem Decembris, *Presbyteros* 28. *Diaconos* 12. *Episcopos per diuersa loca* 52. Et huius temporibus fecit Petrus Episcopus Basilicam in Vrbe * Sanctæ Sabinæ, vbi & fontem construxit: qui etiam *sepultus est in via Tiburtina in crypta iuxta* corpus Sancti Laurentij, & *cessauit Episcopatus per dies* * 22. †

* Flor. duo *Xistus*.
* Flor. *vltimo die*.
* Flor. *Placidia*.
* Holst. *inscriptio antiqua ibidem*.
* Vat. *Roma*.
* Flor. *dies* 12.

46. S. LEO.

Leo natione Tuscus ex patre Quintiano sedit annos 21. *mensem* 1. * *dies* 26. Huius temporibus fecit Demetria ancilla Dei Basilicam Sancto Stephano via Latina milliario * quarto in prædio suo. *Hic inuenit duas hæreses Eutychianam & Nestorianam* per quosdam Episcopos. Hic ordinauit præcepta sua auctoritate, & misit ad Marcianum Augustum * fidelem

* Flor. *dies XIII. cuius* &c.
* Flor. & Cass. *milliario tertio*.
* Flor. *Orthodoxum principem, & Cathol.* &c.

Nota.

† In fine vitæ Sixti III. habetur: *A morte Siluestri vsque ad hunc primum Leonem sunt anni nonaginta nouem, menses quinque, dies viginti sex*. Quæ verba, vt notat Lucas Holstenius, non sunt in M.SS. Cod. neque Tomo primo Conciliorum, vbi tamen reperiuntur, quæ Deusdedit Cardinalis in collect. canon. lib. 2. cap. 36. citat ex gestis Xysti Iunioris Papæ; hæc enim leguntur in gestis purgationis eius.

prin-

Iuxta SS. Patres.

baretur. Igitur Leo Diaconus legatione publica accitus, & gaudenti Patriæ præsentatus quadragesimus tertius Romanæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur.

Iuxta Chronicon Marcellini Comitis.

Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.

Augusto Marciano pijssimo, qui fidem suam vnà cum Augusta Placida publicè ante conspectum sanctorum Sacerdotum Episcoporum declarauit, vbi iterum damnatus Euthices, & postmodùm rogat Imperator Marcianus simul cum Episcopis * CL. & misit sacra rogans * Leone Papæ, vt fidem expositam fidei Catholicæ, & Apostolicæ ei dirigeret. Beatus verò Leo exposuit & direxit tomum, & firmauit Synodum sanctam. Hic fecit Epistolas multas exponens fidem Catholicam rectam, quæ hodie Arciuo Ecclesiæ Romanæ tenentur; & Decretalem, quem per vniuersum mundum spargens seminauit. Hic fecit ordinationes IV. per mensem Decembris, Presbyteros LXXXI. Diaconos XXXI. Episcopos per loca CLXXV. Hic constituit, vt monacha non * acceperit velaminis capitis benedictionem; nisi probata fuerit in virginitate LX. annorum. Sepultus est in Basilica Beati Petri III. Idus Aprilis, cessauit Episcopatus dies V.

* Hensc. male legit *XLV*.
* Leone Papam.
* Hensc. omittit. *exposuit*.
* *acciperet*.

Nota.

† *Vnà cum Augusta Placida*. Legendum ex libro Pontificali: *Cum Augusta Pulcheria*, quem scriptoris siue tabellarij errorem, nolim quisquam auctori huius Catalogi tribuat, quem Romano Archiuio præpositum fuisse, aut ad illud præ eruditione & sapientia accessum habuisse, hæc verba statim post sequentia indicant: *Quæ hodie Archiuo Ecclesiæ Romanæ tenentur*. Rursùs itaque noto, quod & alibi notatum memini, me hunc Catalogum publici iuris facere, prout in Codice Reginæ Sueciæ ab homine latinitatis ignaro descriptus fuit ex alio antiquiore, sicut & descriptus fuit Codex Colbertinus ætate Caroli magni exaratus, ex quo nullam variantem lectionem quoad huius Augustæ nomen agnotauit Baluzius.

Zeno-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

principem catholicum, & facta collatione cum eodem principe collecti sunt Episcopi, & *factum est Concilium* Sanctum *Episcoporum in Chalcedona* in martyrio *Sanctæ Euphemiæ*, & *congregati sunt 256. Sacerdotes, & alij, quorum * chirographum cucurrit 406. Episcopi*, qui congregati vna cum * Thomo, hoc est fide Apostolica Romana cum chirographo Sancti Archiepiscopi Leonis. Sed & in præsentia catholici Principis Marciani Augusti congregatum Concilium numero * 400. Episcoporum vna cum Augusto Marciano. Qui exposuerunt fidem catholicam, & Apostolicam duas naturas in vno Christo Deo simul & homine: in quo loco pijssimus Augustus Marcianus vna cum vxore sua Augusta Pulcheria deposita regia Maiestate, fidem suam exposuerunt ante conspectum sanctorum Episcoporum: vbi & damnauerunt Eutychem, Nestorium, & Dioscorum, & iterum [fidem suam] Imperator Marcianus Augustus cum coniuge sua Pulcheria Augusta chirographo proprio fidem suam exponentes postulauerunt sanctum Concilium, vt dirigerent ad Beatissimum Papam Leonem rogantes, vt fidem catholicam exponeret. *Beatus vero Leo direxit* fidei catholicæ *tomum*, & exposuit damnans omnes hæreses. Iterum *multas epistolas* fidei misit Beatissimus Leo Archiepiscopus, *quæ hodie* reconditæ in *Archiuo tenentur*. Hic firmauit frequenter suis Epistolis Synodum Chalcedonensem ad Marcianum Augustum Epistolas duodecim: ad Leonem Augustum epistolas tredecim: ad Flauianum Episcopum epistolas octo: Episcopis per Orientem epistolas octodecim, per quas fidem confirmauit Synodi. Hic renouauit post cladem Vandalicam omnia ministeria sacrata argentea per omnes titulos conflata. Hydrias sex, duas Basilicæ Constantinianæ, duas Basilicæ Beati Petri Apostoli, duas Basilicæ Beati Pauli Apostoli, quas Constantinus Augustus * obtulerit, quæ pensauerunt singulæ libras centum, quæ omnia vasa renouauit sacrata. * Hic fecit cameram Basilicæ Constantinianæ, & aliam cameram Basilicæ Beati Petri ornauit, & Basilicam B. Pauli Apostoli renouauit. Fecit autem & Basilicam Beato Cornelio Episcopo & Martyri iuxta Cœmeterium Calixti via Appia. * Hic propter nomen Romanum suscipiens legationem ambulauit ad Regem Vnnorum nomine Athilam, & liberauit totam Italiam à periculo hostium. Hic constituit monasterium apud Beatum Petrum Apostolum, quod appellatur Sanctorum Ioannis & Pauli. † Hic constituit, vt monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate sexaginta annorum. Hic

Nota.

† Hic omissa est periodus, quam agnoscit vterque M. S. Cod. Florent. *Hic constituit, vt intra actionem sacrificij diceretur: Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*. Quæ verba, vt annotatur in Velseri editione Moguntina, etiam habebantur in duobus Codicibus M. SS. Germanicis.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

* *Chirographus*.

* *Tomo*.

* Flor. 1200. alias 600.

[] Desunt in Florent.

* *Obtuleras*.

* Flor. *Hic renouauit Basilicam B. Petri Apostoli, & cameram, & B. Pauli propter ignem diuinum renouauit. Fecit verò cameram in Basilica Constantiniana. Fecit autem Basilicam B. Cornelio Episcopo*.

* Fl. 2. legit *post ignem diuinum*. Loco, *propter* &c.

* Flor. *Hic Papa Romanam suscipiens legationem*.

Iuxta Victorem Tunnonensem.	Iuxta Chronicon Marcellini Com.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
Zenone & Martiano Coss. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum post Leonem Hilarus *suscepit*.	Dagalaifo & Verlais Coss. Romanæ Ecclesiæ Hilarus quadragesimus quartus Pontifex factus, vixit annos VI.	48. Hilarus † natione * Sacerdos ex patre Crispiniano. Sedit annos V. menses III. dies X. Hic fecit decretalem, & per vniuersum Orientem direxit, & Epistolas de fide Catholica. Hic fecit ordinationem vna per mensem Decembris Presbyteros XV. Diaconos V. Episcopos per loca XXI. Sepultus est ad sanctum Laurentium in crypta iuxta corpus B. Xisti. Cessauit Episcopatus dies X.

*Sardus.

Nota.

† *Natione Sacerdos.* Legendum: *natione Sardus*, prout legit auctor libri Pontificalis, penes quem germana huius Catalogi lectio plerisque locis reperitur. Cum enim auctor libri Pontificalis octauo sæculo hoc Catalogo vsus sit, Codices huius Catalogi correctiores consuluit, quàm qui ad manus nostras ex Bibliotheca Reginæ Sueciæ & Bibliotheca Colbertina peruenerunt. Porrò decretalis epistola, quam Hilarus per vniuersum Orientem direxit, auctor libri Pontificalis indigitat, esse illam, quæ de condemnatis à Beato Leone Magno Eutychis, Nestorij, & Dioscori heresibus tractabat.

Post

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Varicanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

constituit supra sepulchra Apostolorum custodes, qui dicuntur cubicularij ex Clero Romano. *Hic fecit ordinationes quatuor* in Vrbe Roma *per mensem Decembris, Presbyteros LXXXI.* * *Diaconos XXXI. Episcopos per* diuersa *loca numero* CLXXXV. qui etiam *sepultus est* apud Basilicam *beati Petri* Apostoli, *tertio Idus Aprilis, & cessauit Episcopatus dies 7.*

* Flor. *Diacones* 21.

47. S. Hilarvs.

Hilarus natione Sardus ex patre Crispino, sedit annis sex, mensibus tribus, diebus decem. *Hic fecit decretalem, & per vniuersum Orientem* sparsit de fide Catholica, & Apostolica, confirmans * tres Synodos, Nicenam, Ephesinam, & Calchedonensem, vel tomum S. Archiepiscopi Leonis, & damnauit Eutychem, Nestorium, & Dioscorum, vel omnes sequaces eorum, & omnes hæreses, & confirmans * auctoritatem & principatum sanctæ sedis Apostolicæ. Hic fecit constitutum de Ecclesia in Basilica ad sanctam Dei genitricem Virginem Mariam consulatu Basilisci, & Hermenerichi XVI. Calendas Decembris. Hic † fecit oratoria tria in Baptisterio Basilicæ Constantinianæ, S. Ioannis Baptistæ, & Ioannis Euangelistæ, & sanctæ Crucis omnia ex argento & lapidibus pretiosis. Confessionem S. Ioannis Baptistæ fecit ex argento, quæ pensabat libras centum. Et crucem auream & confessionem S. Ioannis Euangelistæ fecit ex argento, quæ pensabat libras centum, & crucem auream. Et in ambobus oratorijs iannas æreas & argento clusas. Oratorio Sanctæ Crucis fecit confessionem, vbi * lignum Dominicum posuit cum cruce aurea cum gemmis, quæ pensabat pondus librarum 20. Fecit ex argento purissimo in confessione ianuas pensantes * pondus librarum 5. Supra confessionem aureum Arcum, qui pensabat libras 4. quem portant columnæ onychinæ, vbi stat agnus aureus pensans libras duas: Coronam auream ante confessionem; Pharos cum Delphinis; quæ pensant libras 5. Lampades aureas numero 4. pensantes libras duas. Nimpheum & Triporticum ante oratorium S. Crucis, vbi sunt columnæ miræ altitudinis, quæ dicuntur Hecaton-penta. Lacus & côchas triantas duas cum columnis porphyreticis ragiatis foratis &c..... In Vrbe Roma constituit ministeriales, qui circuirent constitutas stationes .... Hic fecit * monasteria ad S. Laurentium, & Balneum, & Prætorium [Sancti Stephani. Fecit autem Oratorium

* Flor. *quatuor Synodos.*

* Flor. *dominationem.*

* Flor. & alter Cod. *Agnum.*

* Flor. *pensantes libras* 50. *supra confessionem ereum arcum.*

* Flor. *monasterium.*
Quæ continentur hoc signo [ ] desunt à M. S. Flor.

Nota.

† *Fecit Oratoria tria in Baptisterio Basilicæ Constantinianæ, S. Ioannis Baptistæ, & Ioannis Euangelistæ, & Sanctæ Crucis.* Duo priora Oratoria etiamnum visuntur in Baptisterio Basilicæ Lateranensis, cum inscriptione Hilari Papæ.

Iuxta Victorem Tunnonensem.	Iuxta Chronicon Marcellini Comitis.	Iuxta Secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
Post Hilarum Simplicius ordinatur.	Pusco & Ioanne Coss. Romanæ Ecclesiæ Simplicius quadragesimus quintus Pontifex creatus vixit annos 15.	49. Simplicius natione Tiburtinus, ex patre Castino, sedit annos XV. mensem I. dies VI. Hic constituit ad S. Petrum, & ad Sanctum Paulum, & ad Sanctum Laurentium hebdomadas, vt Presbyteri manerent propter baptismum & pœnitentiam petentibus. De Regione prima ad S. Paulum, de Regione tertia ad S. Laurentium, de Regione septima ad S. Petrum. * Huius Episcopatum venit relatio de Grecia ab Acatio, qui fuit Episcopus Constantinopolitanus, & adfirmabat * Petro Alexandrino Eutychiano hæretico facta petitione ab Acatio * venit. Tunc fuit Ecclesia † exequens. Tunc Simplicius præsul damnauit Petro Alexandrino, de quo Acatius innumerabilia crimina adfirmabat. Eodem tempore rescripsit Timotheus Catholicus, & Acatius dicentes, quia vero in mortem Presbyteri Catholici Petrum esse mixtum. Tunc Papa Simplicius dissimulans numquam scripsit Acatio, sed damnauit * Petro. Hic fecit ordinationes per mensem Decembris tres. Presbyteros LVII. Diaconos XI. Episcopos per loca LXXXII. Sepultus est ad B. * Petro V. Nonas Martij, & cessauit Episcopatus dies V.

* sub.
* Hensc. legit: *Petrum Alexandrinum Eutychianum hæreticum*, & omittit *venit*.
* *Petrũ Alexandrinum*.
* Petrũ.
* Petrũ.

Nota.

† *Fuit Ecclesia exequens.* Auctor libri Pontificalis legit *executrix*, & significat, Ecclesiam Romanam iuxta canones sententiam pronuntiasse in Petrum Alexandrinum.

Post

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

Sancti Stephani in baptisterio Lateranensi. Fecit autem & Bibliothecas duas in eodem loco: item Monasterium intra Vrbem ad Lunam. *Hic fecit ordinationem* in Vrbe *per mensem Decembris*, Presbyteros viginti quinque, diaconos sex, *Episcopos per* diuersa *loca viginti* duos: qui etiam *sepultus est ad Sanctum Laurentium in crypta iuxta corpus* Beati Episcopi *Sixti*, & *cessauit Episcopatus* per *dies decem*.

48. SIMPLICIVS.

Simplicius natione Tiburtinus ex patre * *Castino*, *sedit annos XV. dies VII.* Hic dedicauit Basilicam S. Stephani in Cœlio Monte in Vrbe Roma, & Basilicam B. Andreæ Apostoli, iuxta Basilicam B. Mariæ, & aliam Basilicam Sancti Stephani iuxta Basilicam S. Laurentij, & aliam Basilicam intra Vrbem iuxta Palatium * Licinianum Beatæ Martyris Bibianæ, vbi corpus eius requiescit. *Hic constituit ad Sanctum Petrum* Apostolum, & *ad S. Paulum* Apostolum, *& ad S. Laurentium* Martyrem * *hebdomadam*, *vt Presbyteri manerent* ibi *propter* pœnitentes, & *Baptismum*: Regionem tertiam ad S. Laurentium: Regionem primam ad S. Paulum: Regionem sextam vel septimam ad S. Petrum. Sub *huius Episcopatu venit relatio de Græcia ab Acatio Constantinopolitano* Episcopo, *& affirmauit*, Petrum *Alexandriæ Vrbis* Eutychianistam hæreticum, *facta petitione ab Acacio* Episcopo chirographo eius constructa. Eodem tempore *fuit Ecclesia* prima, hoc est Sedis Apostolicæ executrix. *Tunc Simplicius* * Episcopus *Præsul* hoc audiens *damnauit Petrum Alexandrinum*, * eò quòd *Acacius innumerabilia crimina affirmabat*: ita tamen, vt pœnitentiæ reseruaret tempus. *Eodem tempore rescripsit Timotheus catholicus, & Acacius dicentes*, quòd etiam *in morte* * Proterij Catholici Petrus esset permixtus. Tunc Archiepiscopus *Simplicius dissimulans*, *numquam rescripsit Acacio*, *sed damnauit Petrum* exspectans tempus pœnitentiæ. Hic fecit in Ecclesia Romana Scyphum aureum pensan. libr. 5. Canthara ad Beatum Petrum Apostolū 16. pensantia singula libras 12. *Hic fecit ordinationes* 3. in Vrbe Roma *per mensem Decembris* & Februarij, *Presbyteros* LIX. *Diaconos* XI. *Episcopos per diuersa loca* * XXXVII. Hic *sepultus est* in Basilica B. Petri Apostoli VI. *Nonas Martij*, *& cessauit Episcopatus dies* VI.

* Flor. *Castario* Flor. 2. *Casto*. Addunt autem hi duo Codices: *mens. 1.*
* Flor. 2. *Licianum*.
* Deusdedit & Florent. *Hebdomadas*.
* Flor. deest *Episcopus*.
* Flor. *de quo*.
* Flor. *presbyteri*.
* Florent. *LXXXVIIII.*
* Card. Deusdedit *XXXVI.* & addit. *Et post huius obitum factū est à Presbyteris & Diaconibus constitutum de omni Ecclesia*.

Iuxta Victorem Tunonensem.	Iuxta Chronicon Marcellini Comitis.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
Post Simplicium Felix.	Tracondo & Seuerino Coss. Romanæ Ecclesiæ Felix quadragesimus sextus Episcopus ordinatus vixit annis XII.	50. Felix natione Romanus ex patre Felice Presbytero. Sedit annos VII. menses XI. dies XV. Huius Episcopatu iterum venit relatio à * patres Græciarum * Petrum Alexandrinũ reuocatum ad communionem ab Acatio. Tunc venerabilis Papa Felix mittens * defensore ex constituto * Synodo sedis suæ, & damnauit * Acatio cum Petro. Post annos tres iterum venit relatio ab Imperatore Zenone, vt * pœnitens rediret Acatius. Tunc Papa Felix fecit Concilium ex * consensum misit duos Episcopos Mesenum & Vitalem, vt si inuenirent complicem Petri Acatium, iterum damnarent, si non, * offerrent libellum pœnitentiæ. Qui dum introissent in ciuitatem Constantinopolim corrupti * pecuniæ datum supradicti Episcopi, non fecerunt secundum præceptum Sedis Apostolicæ: venientes verò Romani ad Sedem Apostolicam fecit Papa Felix Concilium, & examinatione facta in Concilio inuenit eos reos, & eiecit Mesenum & Vitalem Episcopos à * communionem. Tunc Mesenus Episcopus non se tacuit corruptum per pecuniam, cui Concilium concessit tempus pœnitentiæ. Hoc verò facto temporibus * Odouagri Regis. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris, Presbyteros XXVIII. Diaconos V. Episcopos per loca XXXI. Sepultus est apud B. * Paulo. Cessauit Episcopatus dies V. Hensf. * *patribus* forsan *partibus*. * *defensorem*. * *Synodi* * *Acatium*. * Hensc. male legit *pœnitens*. * *consensu*. * *offerret*. * *pecunia data supradictis Episcopis*. * *Communione*. * *Odoacris*. * *Paulum*.
Anastasio & Rufo Coss. Romanæ Ecclesiæ Felici succedit Gelasius.	Asterio & Præsidio Coss. Romanæ Ecclesiæ quadragesimus septimus Gelasius Episcopus ordinatus vixit annos IV.	51. Gelasius natione Afer ex patre Valerio sedit annos IV. menses VII. dies VII. Fuit temporibus Theoderici Regis & Zenonis Augusti. Hic sub * gesta Synodi cum fleto sub satisfactione libelli purgatum Mesenum Episcopum reuocauit. † Hic fecit Sacramentorum præ- * Hensf. *suggestu*.

Nota.

† *Hic fecit sacramentorum præfationes.* Extat in Bibliotheca Palatino-Vaticana Sacramentarium M. S. annorum circiter mille, in quo continentur præfationes ante Gregorij tempora in Ecclesia Romana vsu receptę, quæ forsan illæ sunt, de quibus hoc loco mentio reperitur: vnde non malè illud Sacramentarium Gelasianum vocatur.

fatio-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.

49. FELIX III.

Felix III. *natione Romanus ex patre Felice Presbytero* de titulo Fasciolæ, *sedit annos* * octo, *menses vndecim, dies viginti tres*. Hic fuit temporibus Odoacris Regis vsque ad tempora Theodorici. * Hic fecit Basilicam sancti Agapiti, iuxta Basilicam S. Laurentij martyris. Sub *huius Episcopatu iterum venit relatio* de Grecia, *Petrum Alexandrinum reuocatum ab Acacio* Episcopo Constantinopolitano. *Tunc venerabilis Felix* Archiepiscopus sedis Apostolicæ Vrbis Romæ *mittens defensorem* cum consilio Sedis suæ. Facto Concilio *damnauit Acacium* Constantinopolitanum, & Petrum Alexandrinum. *Post annos tres iterum venit relatio* * *ab Imperatore Zenone, vt pœnitens rediret Acacius. Tunc Papa Felix misit duos Episcopos Mesenum & Vitalem, vt si inuenirent complicem Petri Acacium*, * *damnarent eos. Qui dum introissent in ciuitatem* Heracleam, *corrupti* sunt *pecunia, data suprascriptis Episcopis*, & *non fecerunt secundum preceptum sedis Apostolicæ*. Venientibus *vero Romam ad sedem Apostolicam*, eodem tempore venerabilis *Felix Papa fecit* Synodum, & * operata est discussio, & inuenit iudicium ambos Episcopos, id est Mesenum & Vitalem reos & corruptos pecunia, *& eiecit Mesenum & Vitalem Episcopos à communione. Tunc Mesenus Episcopus non se tacuit corruptum pecunia*. * Hoc factum est tempore Odoacri Regis. *Hic fecit ordinationes duas* in Vrbe Roma *per mensem Decembrem, Presbyteros XXVIII. Diaconos V. Episcopos per* diuersa *loca numero XXXI*. Hic *sepultus est* in Basilica Beati Pauli Apostoli, & *cessauit Episcopatus dies* 5. Et post transitum eius factum est à Presbyteris, & Diaconibus constitutum de omni Ecclesia, * vt nullus aliquando in ea causa præsumeret se festiuum ostendere de ea re, quæ aliquando ad requisitionem peruenire debet.

* Flor. *annos* 6. . . . . dies XVI.
* Addit Flor. *Regis*.
* Florent. *ad Imperatorem Zenonem*.
* Flor. *iterum damnarent eum, si non offerret libellum pœnitentiæ. Qui dum introissent Constantinopolim, corrupti &c.*
* Flor. *Et facta examinatione inuenit ambos Episcopos*.
* Flor. duo addunt: *cui Concilium concessit tempus pœnitentiæ*.
* In Flor. desunt, quæ hic habentur.

50. S. GELASIVS.

† *Gelasius natione Afer ex patre Valerio, sedit annos quatuor, menses* octo, *dies* * nouem. *Fuit* autem *temporibus Theodorici Regis, & Zenonis Augusti*. [Huius temporibus inuenta est Ecclesia S. Angeli in monte Gargano]. Huius temporibus inuenti sunt Manichæi in Vrbe Roma, quos exilio deportari præcepit, quorum codices ante fores Basilicæ Sanctæ Mariæ incendio concremauit. * *Hic sub gestam Synodicam reuocauit Mesenum Episcopum* ad communionem,

* Flor. & Cass. *Dies XVIII*. quæ his signis [ ] continentur, absunt à Cod. Flor.
* Flor. *Hic suggesti Synodi sub gesta Synodo cum fletu sub satisfactione libellum purgatum Mesenum Episcopum reuocauit, quem Ecclesiæ suæ restituit, qui peccauerat in causa Acacij*.

Notæ.

† Lucas Holstenius in notis ad vitam Gelasij hæc habet: *De Gelasij Papæ studijs & moribus extat egregia narratio Dionysij Exigui Abbatis in præfatione decretalium Epistolarum ad Iulianum Presbyterum S. Anastasij in M.S. Vaticano*.

&

Iuxta Victorem Tunnonensem.	Iuxta Chronicon D. Hieronymi.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
		fationes canto sermone, & Epistolas fidei elimato sermone. Hic fecit ordinationes per mensem Decembris Presbyteros XXXII. Diaconos II. Episcopos per loca LXVII. Sepultus est apud Beatum Petrum XI. Kal. Decembris. Cessauit Episcopatus dies sex.
Gelasio Anastasius.	Ioanne Scytha & Paulino Coss. Romanæ Ecclesiæ quadragesimus octauus Anastasius Pontifex ordinatus, vixit annos 2.	52. Anastasius natione Romanus ex patre Petro, sedit annum vnum, menses vndecim, dies triginta quatuor. Hic fecit ordinationem vnam, per mensem Decembris, Presbyteros XII. Episcopos per loca VIII. Sepultus est apud Beatum Petrum in * Vaticanum XII. Kalendas Decembris, & cessauit Episcopatus dies V.

*Vaticano.

Ana-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

& restituit eum Ecclesiæ sub satisfactione libelli, & purgatus & receptus. Hic fuit amator * Cleri & pauperum, & Clerum ampliauit. Hic liberauit à periculo * *& fame* ciuitatem Romanam. Hic fecit constitutum de omni Ecclesia. Huius temporibus iterum venit relatio de * Græcia, eò quòd multa mala & homicidia fierent à Petro & Acacio. Eodem tempore fugiens Ioannes Alexandrinus venit Romam ad sedem Apostolicam. * Ipsis temporibus Beatus Gelasius suscepit Ioannem, & iterum misit & damnauit in perpetuum Acacium, & Petrum, si pœniterent: tamen exspectans sedis Apostolicæ satisfactionem, secundum humanitatem primæ sedis Ecclesiæ. Hic dedicauit Basilicam Sanctæ Euphemiæ martyris in ciuitate Tiburtina miliario vigesimo ab vrbe Roma. Dedicauit autem & Basilicam SS. Nicandri & Eleutherij Via Lauicana in * fundum Villa Pertula, & aliam Basilicam sanctæ Mariæ via Laurentina in fundum Crispini miliario ab Vrbe Roma vigesimo. Sub huius Episcopatu Clerus creuit. *Hic fecit ordinationes* duas in Vrbe Roma *per menses* * Februarij & Decembris, *Presbyteros* 32. *Diaconos* 2. *Episcopos per* diuersa *loca* numero 67. Qui etiam *sepultus est* in Basilica S. Petri Apostoli *XI Calendas* * *Decembris*. * Hic fecit. Hic fecit tractatus & hymnos sicut Beatus Ambrosius Episcopus, & libros aduersus Eutychem, & Nestorium, qui hodiè in Bibliotheca & Ecclesiæ Archiuo reconditi tenentur, & post obitum eius *cessauit Episcopatus dies* octo.

51. S. ANASTASIVS II.

Anastasius natione Romanus ex patre Petro de Regione quinta * Tauma Caput tauri. *Sedit annum* 1. *menses XI*. dies XXIV. Hic fuit temporibus Theodorici Regis. Hic fecit confessionem S. Laurentij Martyris ex argento, quæ pensabat libras 100. Eodem tempore multi Presbyteri, & Clerici se à communione ipsius erexerunt, eò quòd communicasset sine Concilio Episcoporum vel Presbyterorum vel Cleri cunctæ Ecclesiæ Catholicæ Diacono Thessalonicensi nomine Fotino, qui communis erat Acatio, & quia noluit occultè reuocare Acatium, & non potuit: qui nutu diuino percussus est. *Hic fecit ordinationem vnam* in Vrbe Roma *per mensem Decembrem*, *Presbyteros* 12. *Episcopos per* diuersa loca 16. Qui *sepultus est* in Basilica B. Petri Apostoli XIII. *Calend. Decembris*, *& cessauit Episcopatus dies* IV.

Notæ.

† Iuo Carnotensis in Panormia, & parte 4. Decreti, cap. 94. *Ex libro Pontificali: Gelasius fecit libros 5. aduersùs Nestorium & Eutychen: fecit & tractatus in modum Ambrosij: item libros duos aduersùs Arium: fecit autem & sacramentorum præfationes & orationes cauto sermone, & epistolas fidei elimato sermone multas.*

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

* Flor. deest *cleri &*.
* Flor. *famis*.
* Flor. & Caff. addunt: *Constantinopoli*.
* Flor. addit: *quem dictus Beatus Gelasius suscepit cum gloria, cui etiam secundam sedem præbuit. Ipsis temporibus fecit Synodum, & misit per tractum Orientis, & iterùm misit, & damnauit in perpetuum Acacium, & Petrum, si non pœnitens sub satisfactione libelli postularet pœnitentiam.. Hic dedicauit Basilicam S. Euphemiæ* &c. ita etiam Flor. 2.
* *In Villa Pertusa. Fecit autem & aliam.* Ita Fl.
* In Flor. deest *Februarij &c.*
* Quæ hic habentur, in Florentinis Codd. leguntur post hæc verba: *Roma vigesimo*. Ita enim habent. *Hic fecit duos libros aduersùs Nestorium & Eutychen: fecit & hymnos in modum Beati Ambrosij* [Flor. 2. *item & duos libros aduersùs Arium*] *fecit etiam & sacramentorum præfationes, & orationes cauto sermone, epistolas fidei delimato sermone multas. Sub huius Episcopatu* &c.
* Flor. *Februarij*.
* deest in Flor. & Vat. *Tauma*.

Iuxta Victorem Tunnonensem.

Anastasio Romano Episcopo mortuo succedit Symmachus: & ex alia parte Laurentius ordinatur, qui dum Nuceriæ Ciuitatis Episcopatu nollet esse contentus, Synodo Romæ facta, à cœtu est Sacerdotali proiectus.

Iuxta Chronicon Marcellini Comitis.

Patricio & Hypatio Coss.

Romæ Ecclesiæ quadragesimus nonus Symmachus Episcopus factus vixit annos 15.

Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.

53. Symmachus natione Sardus ex patre Fortunato, sedit annos XV. menses VI. dies XXXV. Hic fuit temporibus Theodorici hæretici & Anastasij Eutychiani Augusti. Hic amauit Clerum & pauperes bonos, prudens, humanus, gratiosus: & cum eo ordinatur Laurentius sub * intentione Episcopus, ex qua causa separata aliqua pars Clericorum vel Senatorum. Alij cum * Symmachum, alij cum * Laurentium. Et facta intentione hoc constituerunt pariter, vt ambo Rauennam peterent ad iudicium Regis Theodorici: qui dum peruenissent, hoc indicatum æquitatis inuenit, vt qui prior ordinatus fuisset, vel vbi pars maxima * consentiretur, ipse * sederit in Sede Apostolica, quod tamen æquitas in Symmachum inuenit, * & cognitio veritatis, & fuit Præsul beatus. Eodem tempore Papa Symmachus fecit * Synodo, & constituit Laurentium in Noceria ciuitate Episcopum intuitu misericordiæ. Post annos verò quatuor, zelo & dolo ducti aliqui ex Clero, & aliqui ex * Senato incriminant Symmachum, & * suburnant testes falsos, quos miserunt Rauennam ad Regem Theodoricum hæreticum accusantes Beatum Symmachum, & occulte reuocant Laurentium Romam, & fecerunt schisma, & separauerunt se ab inuicem pars aliqua à communione Symmachi mittens relationem Regi, & petunt à Rege Theodorico Visitatorem Sedis Apostolicæ Petrum Altinantem. Eodem tempore beatus Symmachus congregauit Episcopos CXV. & * facto Synodo purgatur à crimine falso, & damnatur Petrus Altinans inuasor Sedis Apostolicæ, & Laurentius Nocerinus. Tunc ab omnibus Episcopis, & Presbyteris, & Diaconis, & Clero redintegratur * Sede Apostolica beatus

* contentione.
* Symmacho.
* Laurentio.
* contentione.
* cognosceretur.
* sederet.
* cognitione.
* Synodū.
* Senatu.
* subornant.
* vel erat. vt idem cod. legit Hensc. erat.
* facta.
* Sedi.

Nota.

Scatet hæc Symmachi vita erroribus grammaticæs, qui vitio imperiti tabellarij in M.S. exemplar irrepserunt, quos ex libro Pontificali correximus in margine.

Sym-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.

52. S. Symmacvs.

Symmachus natione * Romanus *ex patre Fortunato*, *sedit annos* 15. *menses* * 8. dies 26. *Hic fuit temporibus Theodorici Regis & Anastasij Augusti* à dic X. Calendarum Decembrium, vsque in diem XIV. Calendarum Augustarum. Hic sub contentione ordinatus est vno die cum Laurentio: Symmachus in Basilica Constantiniana, Laurentius verò in Basilica B. Mariæ: ex qua causa separatus est Clerus, & diuisus est & Senatus; alij cum Symmacho, alij verò cum Laurentio: *& facta contentione hoc constituerunt partes, vt ambo ad Rauennam pergerent ad iudicium Regis Theodorici, qui dum ambo* introissent in Rauennam, *hoc iudicium æquitatis* * inuenerunt: *vt qui primò ordinatus fuisset, vel vbi pars maxima cognosceretur* *, *ipse sederet in Sede Apostolica. Quod* * tandem *æquitas in Symmacho inuenit* cognitionem veritatis, & factus est Præsul Symmachus. *eodem tempore Papa Symmachus congregauit Synodum, & constituit Laurentium in Nuceriam ciuitatem Episcopum intuitu misericordiæ. Post annos verò quatuor zelo ducti aliqui ex Clero, & alij ex Senatu*, maximè Festus & Probinus *incriminarunt Symmachum, & subornauerunt testes falsos, quos miserunt Rauennam ad Regem Theodoricum, accusantes B. Symmachum, & occultè reuocauerunt Laurentium* post libellum Romæ factum, *& fecerunt schisma*, & diuisus est iterùm Clerus. Et alij communicabant Symmacho, alij Laurentio. Tunc Festus & Probinus Senatores miserunt relationem Regi, & cœperunt agere, vt visitatorem daret Rex Sedi Apostolicæ. Tunc Rex dedit Petrum * Alticinæ ciuitatis Episcopum, quod Canones prohibebant. Eodem tempore beatus *Symmachus congregauit Episcopos centum & quindecim, & facta Synodo purgatur à crimine falso, & damnatur Petrus Altinus inuasor Sedis Apostolicæ, & Laurentius Nucerinus*, quia viuo Episcopo Symmacho peruaserunt sedem eius. *Tunc ab omnibus Episcopis & Presbyteris, & Diaconibus, &* omni *Clero* vel plebe, *reintegratur Sedi Apostolicæ beatus Symmachus, vt cum gloria apud Beatum Petrum sederet Præsul*. Eodem tempore Festus caput Senatus Exconsul, & Probinus Exconsul cæperunt intrà Vrbem Romam pugnare cum alijs Senatoribus, & maximè cum * Fausto Exconsule, & cædes & homicidia in Clero ex inuidia fiebant. Qui verò communicabant beato Symmacho iustè, publicè qui inuenti fuissent intra Vrbem, gladio occidebantur. Etiam & sanctimoniales mulieres, & virgines deponentes de monasterijs, vel de habitaculis suis, denudantes sexum fœmineum, cædibus plagarum afflictas vulnerabant, & omni die pugnas contra Ecclesiam in medio ciuitatis gerebant. Etiam multos Sacerdotes occiderunt, inter quos * dignissimum & Gordianum Presbyteros ad Vincula S. Petri Apostoli, & ad Sanctos Ioannem & Paulum, quos fustibus & gladio interfecerunt, & multos alios Christianos, ita vt nulli esset securitas die vel nocte de Clero in ciuitate ambulare. Solus autem Faustus Exconsul pro Ecclesia pugnabat. Post hæc omnia Beatus Symmachus inuenit Manichæos in Vrbe Roma, quo-

Codices Cass. Flor. Romualdus, Deusdedit legunt * *Sardus*.

* *menses VII*. Flor. Cas. Vat.

* Flor. & Vat. *inuenit*.

* Flor. addit *fauere*.

* Idem *tamen*.

* Flor. *Altinæ*.

* Ad hunc Faustum extat epistola Auiti Viennensis pro Symmacho Papa tomo 1. Conciliorum Galliæ.

* Flor. *& dignissimum Gordianum Presbyterum*.

Iuxta Victorem Tunonensem.	Iuxta Chronicon Marcellini Comitis.	Iuxta secundum Catalogum Bibliotheca Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
		Symmachus cum gloria apud Beatum Petrum sedere Præsul. Fecit ordinationes in vrbe Roma quatuor per mensem Decembris, Presbyteros XLVII. Diaconos XV. Episcopos per loca CXVII. Sepultus est apud * Beato Petro sub die XIV. Kalendis Augusti in pace. Cessauit Episcopatus dies III.
		Nota. De hoc Symmacho extat libellus Apologeticus Ennodij Ticinēsis Episcopi. Extant & plures Synodi Romanæ, ex quarum Actis constat, Theodoricum temerè sese miscuisse rebus de Symmacho controuersis, ipsumque Symmachum, non verò Regem Concilia conuocare debuisse, & non Concilio, sed Deo iudicium de causa Symmachi competijsse.

* Hensc. legit CLVII.

* Beatum Petrum.

Iusti-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.

rum omnia simulacra, vel codices ante fores Basilicæ Constantinianæ incendio concremauit, & eos ipsos exilio relegauit. Fuit autem à Consulatu Paulini vsque ad Consulatum Senatoris.

Hic fecit Basilicam Sancti Andreæ Apostoli apud B. Petrum Apostolum, vbi fecit Tugurium ex argento, & Confessionem pensantem libras centum & viginti. Arcus argenteos tres pensant. sing. libras 60. Oratorium S. Thomæ Apostoli ex argento pens. lib. 300. [in confessione lib. viginti.] Arcum argenteum pens. lib. 16. Confessionem S. Cassiani & Sanctorum Prothi & Hyacinthi ex argento pens. libras 20. Arcum argenteum pens. libr. 12. Oratorium S. Apollinaris ex argento & confessionem cum arcu ex argento pens. lib. 30. Oratorium sancti Sosij ex argento in confessione pensan. libras 20. Item ad fontem in Basilica B. Petri Apostoli Oratorium S. Crucis ex argento, confessionem, & Crucem ex auro cum gemmis, vbi inclusit lignum Dominicum. Ipsa Crux aurea pensan. libras 10. Fecit autem Oratoria duo S. Ioannis Baptistæ, & Sancti Ioannis Euangelistæ. In quorum confessione arcus argenteos posuit pensan. lib. 30. Quæ cubicula omnia a fundamento perfecta construxit. Basilicam verò B. Petri * marmoribus ornauit, & Cantharum B. Petri cum quadriporticum marmoribus ornauit, & ex musiuo agnos, & Cruces, & palmas ornauit. Ipsum vero atrium omne compaginauit, gradus verò ante fores Basilicæ B. Petri ampliauit, & alios gradus construxit sub tigno dextra, lęuaque. Item in eodem loco Episcopia dextra lęuaque fecit. Item sub gradus in atrio alium Cantharum fori &c.

Loco verborum his signis [] inclusorum habet Cod. Flor. *& confessionem*.

* dele *marmoribus ornauit*, quia redundat.

Hic fecit Basilicam sanctæ martyris Agathæ via Aurelia in * fundum Laudarum, & à fundamento cum fonte construxit, vbi posuit Arcus argenteos duos. Eodem tempore fecit Basilicam S. Pancratij, vbi & fecit Arcum argenteum &c. Intra Ciuitatem Romanam Basilicam Sanctorum Silnestri, & Martini à fundamento construxit iuxta thermas Traianas &c. Item in via Tiburtina milliario 22. ab Vrbe Roma rogatus, ab Aluino & Glafira Illustribus de proprio facientibus à fundamento * Basilicam B. Petro in fundo Paciano dedicauit &c. Hic constituit, vt omni die Dominico vel natalitijs Martyrum hymnus diceretur angelicus, id est Gloria in excelsis Deo. Hic fecit cœmiterium Iordanorum in melius propter corpus S. Alexandri. Hic omni anno † per Africam vel Sardiniam ad Episcopos, qui in exilio erant re-

* Flor. & alij *in fundo Laudario*.

* Extant vestigia huius Basilicæ vno milliario cis Vicouarum, vocanturque vulgo accolis *S. Pietro vecchio*.

Nota.

† *Per Africam vel Sardiniam.* Vt enim narrat Marcellinus Comes in Chronico: *Theodorico & Venantio Coss. orta est per Africam crudelis Hunerici Vvandalorum Regis in Catholicos persecutio. Nam exulatis fugatisque plusquam 334. orthodoxorum Episcopis, clausæ sunt eorum Ecclesiæ.* Porrò hi Episcopi partim per Africam longè à proprijs sedibus, partim in Sardinia exulare coacti sunt, vt docet Victor

Iuxta Victorem Tunnonensem.

Iustiniano Aug. & Apione Coss.
Romanæ Ecclesiæ in Episcopatu mortuo Symmacho succedit Hormisda.

Iuxta Chronicon Marcellini Comitis.

Authemio & Florentio Coss.
Romanæ Ecclesiç quinquagesimus Hormisda Episcopus ordinatus vixit annos 9.

Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.

54. Hormisda natione Campanus ex patre Iusto de ciuitate Frisione. Sedit annos VIII. dies XVI. * Huius Episcopatū auctoritate ex constituto * Synodo misit in Gręcia secundum humanitatem Sedis Apostolicæ, & reconciliauit Græcos, qui obligati erant sub anathemate propter * Petro Alexandrino & Acatio Constantinopolitano. Hic Papa perrexit ad Regem Theodoricum Rauenna, & ex consilio Regis direxit * Ennodio Episcopo Ticinense & Fortunato Episcopo Cathenense, & Enantium Presbyterum Vrbis, & Vitalem Diaconum Vrbis; euntes ad Anastasium Augustum, vt sub libelli satisfactione reuocarentur, nihil egerunt. Item secundò misit Hormisda Ennodium & Peregrinum Episcopos. & Pollionem subdiaconum Vrbis, & portanerunt epistolas fidei, & † contestationes secretas numero XIX. & libellum, per quem redirent. Quòd si noluissent * Epistulæ suscipere, contestationes per ciuitates spargerent: In quo noluit consentire Anastasius Augustus, eò quòd erat in hærese Eutyche consentiens: volens itaque eos per remunerationem corrumpere. Illi autem

* *sub huius Episcopatu auctoritatem.*
* *Synodi.*
* *Petrum &c.*
* *Ennodium &c.*
* *epistolas.*

Nota.

† *Et contestationes secretas.* Has contestationes nihil aliud fuisse, quàm epistolas de fide ad varios orientis Episcopos scriptas cum anathemate aut censuris contra hæreticos, fidem faciunt sequentia, in quibus hæ 19. epistolæ fidei secretius per manus monachorum transmissæ dicuntur ad Episcopos, qui timore Regis hæretici eas omnes Constantinopolim miserunt.

con-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio & Farnesiano Codicibus.

trusi, pecuniam & vestes ministrabat. Hic captiuos per Liguriam, & per Mediolanum; & per diuersas Prouincias pecunia redemit, & dona multiplicauit, & dimisit. Hic *fecit ordinationes quatuor in Vrbe Roma per mensem Decembrem & Februarium, Presbyteros* * 92. *Diaconos* 16. *Episcopos per* diuersa *loca* * 107. qui etiam *sepultus est* in Basilica B. Petri Apostoli, * & *cessauit Episcopatus* dies 7. qui etiam in pace confessor quieuit.

* M. S. Codd. 22.
* Flor. *Episcopos* 127.
* Addit Flo. *XIV. Kal. Augusti.*

53. S. Hormisda.

Hormisda natione Campanus ex patre Iusto de Ciuitate * *Frisilone, sedit annos* * 8. *dies* 17. Fuit autem temporibus Regis Theodotici & Anastasij Augusti à Consulatu Senatoris, vsque ad Consulatum Symmachi & Boëtij. Hic composuit Clerum, & psalmos erudiuit. Hic fecit Basilicam in territorio Albanense in possessione * fontis. Eodem tempore ex *constituto Synodi* * *misit in Graciam, humanitatem* ostendens *sedis Apostolicæ*, quia Græci *obligati erant sub* vinculo *anathematis propter Petrum Alexandrinum & Acatium Constantinopolitanum Episcopos* sub Ioanne Episcopo Constantinopolitano cum consilio Regis Theodorici. *Direxit* quoque *Ennodium Ticinensem, & Fortunatum Episcopum Catenensem*, & Venantium *Presbyterum Vrbis Romæ*, & *Vitalem Diaconum* Sedis Apostolicæ, & Hilarum notarium Sedis supra scriptæ: * *euntesque ad Anastasium Augustum nihil egerunt*. Idem *secundò misit Ennodium* ipsum, *& Peregrinum Episcopum* Mezenensem portantes *Epistolas* confortatorias fidei, & *contestationes secretas numero* 19. & textum libelli, *in quo* libello *noluit consentire Augustus Anastasius*, quia & ipse in hæresim Eutychianam communicauerat. *Voluit itaque* eosdem legatos *per remunerationem corrumpere*: legati verò Sedis Apostolicæ *contempto* Anastasio Augusto *nullatenus consenserunt accipere pecunias*, nisi satisfactione sedis Apostolicæ * operaretur. Tunc Imperator repletus furia eiecit eos * per posterulam, *& imposuit eos in nauim* periculosam cum militibus * & magistrianis, & præfectianis nomine *Heliodorum & Demetrium*, qui hoc *dedit* eis *in mandatis Imperator* Anastasius, *vt nullam ciuitatem ingrederentur*. Legati verò sedis Apostolicæ *secretiùs suprascriptas epistolas fidei* 19. *per manus Monachorum* orthodoxorum *expesuerunt per omnes ciuitates*. Quas tamen epistolas

* Flor. 2. *Frisinone*.
* Vat. & Caß. *an. IX.*
* Flor. *Mefontis*. seu vulgò *fontana di Papa*.
* *Ex constituto Synodi cum consilio Regis Theodorici*.
* M. S. Cod. *qui euntes*.
* Vat. & Flor. 2. *operarentur*.
* Adde. *De Vrbe*.
* Flor. *& magistriano & perfectiano nomine*.

Nota.

Victensis in historia de persecutione Vandalica, & colligere licet ex Catalogo Episcoporum exulum edito per Iacobum Sirmondum: Ad hos igitur Episcopos, qui vsque ad Hormisdæ Pontificatum exulabant, Symmachus Papa pecuniam & vestes mittebat.

ab

Iuxta Victorem Tunnonensem.	Iuxta Chronicon Marcellini Comitis.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.

contempto principe nullatenùs consenserunt accipere pecunias. Furore accensus Imperator eiecit eos per locum periculosum, & imposuit eos in naue sub periculo mortis cum Magistrianum * & Perfectianum, Heliodorum & Dimitrium: & hoc dedit in mandatis Imperator, vt nullam ciuitatem ingrederentur. Illi verò secretiùs suprascriptas Epistolas fidei XIX. per manus Monachorum catholicorum posuerunt epistolas per omnes ciuitates, quæ tamen epistolæ susceptæ * ab Episcopis ciuitatum consentientes Anastasio Augusto hęretico timore omnes eas Cõstantinopolem direxerunt in manus Anastasi. Furia ductus Anastasius, Papæ Hormisdæ inter alia sacra hæc scripsit dicens: Nos iubere volumus, non nobis iuberi. Percussus diuino ictu Anastasius interijt. Sumpsit itaque imperium Iustinus orthodoxus, & mittens * ad sedem Apostolicam ad Papam Hormisda Gratum & inlustrem nomine, & hoc sperauit, vt legati dirigerentur ad sedem Apostolicam, tamen cum consilio Regis Theodorici, & direxit Germanum Episcopum Capuanum, & Ioannem Episcopum, & Blandum Presbyterum, & Felicem Diaconum sedis Apostolicæ, & Dioscorum Diaconum sedis suscepit, quos muniuit ex omni parte fidei vnà cum libello, quomodò redirent Græci ad communionem sedis Apostolicæ. Qui venientes iuxta Constantinopolim occurrit illis multitudo Monachorum & inlustrium virorum multitudo, in quibus Iustinus Imperator, & Vitalianus magister militum simul à Castello Rotundo, quod dicitur, vsque in ciuitatem Constantinopolim cum gloria & laudes ingressi sunt vnà cum Grato inlustri. Ingressi itaque in ciuitatem suscepti sunt à Iustino Augusto orthodoxo cum gloria. Omnis itaque Clerus Constantinopolitanus vnà cum Ioanne Episcopo sentientes, eò quòd gratiæ suscepti sint, incluserunt se intra Ecclesiam maiorem, quę vocatur Sancta Sofia, & consilio facto mandauerunt Imperatori dicentes, Nisi nobis reddita fuit ratio, quare damnatus est Episcopus ciuitatis nostræ Acatius, nul-

* *Magistrianus & Perfectianus Heliodoro & Demetrio.*

* Addit Hensc *non sunt.*

* Hic nonnulla supplet Hensc. ex libro Pontif. qui leg. * *petit vt redintegratur pax Ecclesiarum: misit Hormisda cum consilio Regis* &c.

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M.SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

ab Episcopis ciuitatum, qui erant complices Anastasij Augusti timore *, omnes eas Epistolas fidei pro crimine Constantinopolim direxerunt. Furore repletus Anastasius Augustus contra Papam Hormisdam, *inter alia Sacra* sua hoc *scripsit* dicens: *Nos iubere volumus, non nobis iuberi*. Eodem tempore nutu diuinitatis percussus est fulmine diuino. *Sumpsit itaque Imperium Iustinus orthodoxus*; & direxit auctoritatem suam ad Papam Hormisdam sedis Apostolicæ per *Gratum & illustrem nomine*, * sperans à sede Apostolica, vt reintegraretur pax Ecclesiarum. Tunc Hormisda Episcopus *cum consilio Regis Theodorici direxit* à sede Apostolica *Germanum Capuanum Episcopum, & Ioannem, & Blandum* Presbyteros, *& Felicem & Dioscorum* Diaconos sedis Apostolicæ, & Petrum Notarium, quos monitos ex omni parte fidei, & textum libelli pœnitentiæ, *qui venientes iuxta Constantinopolim tanta* gratia fidei refulsit, *vt multitudo monachorum* orthodoxorum & *illustrium virorum* maxima *multitudo occurreret, in quibus & Iustinus Imperator, & Vitalianus* Consul *simul* occurrerunt * *à Castello rotundo*, qui *dicitur, vsque in ciuitatem Constantinopolim cum gloria & laudibus*, qui *ingressi vnà cum Grato illustri suscepti sunt à Iustino Augusto orthodoxo cum gloria. Omnis itaque Clerus vna cum Episcopo Ioanne* Constantinopolitano gauisus est *sentientes, eò quòd grauanter suscepti*: * etiam sentientes & ij, qui erant complices Acacij, *incluserunt se* in *Ecclesia maiori, quæ vocatur Sancta Sophia: & consilio facto mandauerunt Imperatori dicentes: Nisi nobis reddita fuerit ratio, quare damnatus est Episcopus noster Acacius, nullatenus consentimus sedi Apostolicæ*. Hic Papa Hormisda perrexit ad Regem Theodoricum Rauennam, & cum eius consilio misit auctoritatem ad Iustinum Imperatorem & vinculum chirographi, & textum libelli reintegranit ad vnitatem sedis Apostolicæ damnantes Petrum & Acacium, vel omnes hæreses. *Hic inuenit Manichæos, quos etiam discussos cum examinatione plagarum* exilio deportauit, *quorum codices ante fores Basilicæ Constantinianæ incendio concremauit. Huius temporibus Episcopatus* † in Africa *post annos* LXXIV. reuocatus est, * qui ab hæreticis fuerat exterminatus. *Eodem tempore venit * Regnum cum gemmis pretiosis à Rege francorum* Clodouco Christiano *donum* Beato Petro Apostolo.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

* Addit M. S. *eius perculsi*. Et pergit Flor. *pro crimine omnes eas epistolas fidei Constantinopolim*.

* Flor. 2. *scribens ad Sedem Apostolicam*, cum quibus verbis desinit codex ille.

* Flor. *ad Castellum rotundum, quod*.

* Vat. *sentientes hoc ij*.

* Vat. addit *Catholicus in Africa post annos LXXIV. reuocatus est, à quo*.

* Vat. *regium* absolute sine dono. Ita nunc *Regale*.

Notæ.

† *Episcopatus in Africa post annos 74. reuocatus est*. Episcopi, quibus Symmachus vestes & pecuniam singulis annis ministrabat, sub Symmachi successore ab exilio reuocati sunt, postquam 74. annos in exilio peregerant. Ita auctor libri Pontificalis, quibus non obest Marcellinus Comes, dum Iustiniano IV. & Paulino Coss. eradit, Africæ Prouinciam, & Carthaginem anno excidionis suæ 94. receptas fuisse, pulsis Vvandalis, & Gelimero eorum Rege. Hæc enim de fugatis ex Africa Vvandalis, & receptis à Iustiniano ciuitatibus

Iuxta Victorem Tunnonensem.	Iuxta Chronicon Marcellini Comitis.	Iuxta secundum Catalogum Bibliot. Reginæ Sueciæ ad M. S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
		nullatenus sentimus sede Apostolicæ. Et facto Concilio simul cum Iustino Augusto in conspectu omnium inlustrium. Tunc legati sedis Apostolicæ elegerunt ex suis Dioscorum Diaconum ad reddendam rationem, qui ita exposuit eis culpas Acatij, vt Ecclesia omnis simul cum Iustino Augusto adclamaret dicentes: Et hic, & in æternum damnetur Acatius. Eodem tempore iussit Iustinus Augustus accepta veritate, vt sine aliqua dilatione facerent libellos omnes Episcopi, qui in regno Iustini erant, & redeant ad communionem sedis Apostolicæ: quod etiam factum est, & concordauerunt ab Oriente vsque ad Occidentem, & cucurrit pax Ecclesiæ; † qui textus libelli hodie Archiuo Ecclesiæ reconditus tenetur. Hic inuenit Manichæos, quos etiam discussit sub examine plagarum, quorum codices incendio consumpsit ante fores Basilicæ Constantinianæ. Huius temporibus Episcopatus Africæ reordinatur post annos LXXIV. quod ab hæreticis fuerant exterminati à tempore persecutionis. Eodem tempore venit corona aurea cum gemmis preciosissimis donum à Rege Francorum. Hic fecit ordinationes, Presbyteros, Episcopos per loca. Sepultus est apud Beatum Petrum VII. Idus Augusti. Cessauit Episcopatus dies sex.

[a] Hen. consequimur Sedi

Nota.

† *Qui textus libelli hodie Archiuo Ecclesiæ reconditus tenetur.* Hæc nemo scribere poterat, nisi qui Archiuo Præfectus erat, aut ad illud accessum habebat, & libellum in Archiuo Apostolico conspexerat. Porrò Archiuum illud idem fuisse existimo, quod & Bibliotheca Apostolica, quæ apud S. Ioannem Lateranum ab Hilaro Papa constructa fuit, & cuius fundamenta etiamnum extant. Videri potest Cardinalis Rasponus de Lateranensi Basilica, vbi de Bibliotheca Sedis Apostolicæ apud Lateranum extructa quędam tradit obseruatu digna ex Onuphrio Panuinio, cuius dissertationem hac de re edidit.

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Sub huius Episcopatu * multa vasa aurea, vel argentea venerunt de Græcia, & Euangelia cum tabulis aureis cum gemmis pretiosis, quæ pensant libras 15. Patenam auream cum hiacynthis, quæ pensant libras * 25. Scyphum aureum cum gemmis pensant. Libras 8. Scyphum aureum circumdatum regno pensantem libras 8. Scyphos argenteos tres deauratos pensantes singulos libras 5. Patenas argenteas duas pensantes libras 25. Gabara electrina pensantia libras 2. Thecas * Cyrei aureas 2. pensantes singulas Libras 6. Pallia obobera blattea cum tabulis auro * tectis. De Clamyde vel de stola imperiali Suffitorium super confessionem Beati Petri Apostoli. Hęc omnia à Iustino Augusto ortodoxo votorum gratia oblata sunt.

Eodem tempore Theodoricus Rex obtulit Beato Petro Apostolo cerostata argentea duo pensantia libras 70. Eodem tempore * fuit Papa Hormisda apud Beatum Petrum Apostolum trabem, quam & argento cooperuit, quæ pensat libras * 1040. Hic fecit in Basilica Constantiniana Arcum argenteum ante altare, qui pensabat libras 20. Canthara argentea 16. pensantia singula libras 15. Item ad B. Paulum fecit Arcus argenteos duos pensantes singulos libras 20. Canthara argentea 15. pensantia singula libras 15. Amas argenteas tres * pensantia singula libras 10. Scyphos argenteos stationales sex cum ducibus pensantes singulos libras 6. *Hic fecit* * *ordinationes* in vrbe Roma per mensem Decembris *Presbyteros* 21. *Episcopos per* diuersa *loca* 55. qui etiam *sepultus est* in Basilica beati Petri Apostoli octauo *Idus Augusti* Consulatu Maximi, *& cessauit Episcopatus dies* * septem.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.

* Adde: *Misit Iustinus Augustus Romam.*

* Flor. & Var. addunt: *libras XX. patenas argenteas duas pensantes singulas lib.* 25.

* Flor. *circi.* Vat. *cerei.*

* Flor. *textis.*

* Flor. & Vat. *fecit.*

* Flor. 140. Romualdus tamen legit 1040.

* *pensantes singulas.*

* Flor. *ordinationem.*

* Vat. *sex.*

Nota.

intelligenda sunt, cum auctor libri Pontificalis agat de restitutis Catholicis Episcopis, quæ restitutio diu ante facta est, vt notat in Annalibus M. SS. Onuphrius Panuinius; affirmat enim, post Trasamundi mortem Ildericum Eudoxiæ filium patris crudelitate contempta orthodoxos omnes, quos Trasamundus relegauerat, & presertim Episcopos, reduxisse. Hoc enim factum est sub Hormisda.

Iuxta Victorem Tunonensem.

Romanæ Ecclesiæ post Ormisdam Ioannes.

Iuxta Chronicon Marcellinij Comitis.

Philoxeno & Probo Coss.

Ioannes Romanæ Ecclesiæ Papa quinquagesimus primus à Petro Apostolorum Pontificumque Præsule, 475. sessionis eius.

Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.

55. Ioannes natione Tuscus ex patre Constantio, sedit annos duos, menses octo, dies quindecim, à Consolato Maximi vsque ad Consolatum Olibri. Hic vocatur à Rege Theodorico Rauenna, quem Rex rogans misit in legatione Constantinopolim ad * Iustino Augusto. Vir religiosus, qui summo amore religionis Christianæ voluit hæreticos extricare: nam summo feruore Ecclesias Arrianorum in Catholica dedicauit. Exinde iratus Theodoricus Arrianus voluit totam Italiam gladio perdere. Tunc Iohannes venerabilis Papa egressus cum fletu & mugitu ambulauit, & viri religiosi * & Consulis & Patricij Theodorus, Importunus, Agapitus, & alius Agapitus hoc accipientes in mandatum legationis, vt redderentur * Ecclesias hæreticis in parte Græciarum, quod si non fuerit factum, & omnem Italiam * à gladio perderit Iustinus Augustus. Cui vero simul & Senatoribus tantis & talibus Exconsulibus & Patricijs ciuitatis Vrbis Romæ [Flauium Theodorum, viris inlustribus procedentem omnium dignitatum splendorem, sed & Importunum viro inlustri ex-Consulibus, & Agapito viro inlustri ex-Consulibus, & alio Agapito Patricio] omnem concessit petitionem propter sanguinem Romanorum. Reddidit hæreticis Ecclesias [& dum actum fuisset in partes Græciarum] secundùm voluntatem Theodorici Regis hæretici, maximè Sacerdotes vel Christiani ad gladium mitterentur. Illud verò beatissimo Ioanne Episcopo, sed & viros inlustris, positus Constantinopoli Rex Theodoricus tenuit * duos senatores ex Consulibus, & Patricius gladio interfecit † Boëtium & Symmachum,

* Iustinû Augusti.

Cod. Colbert. * ex consulibus.

* Ecclesiæ.

* gladio perderet.

Quæ his signis [ ] includuntur, desunt in editione Henschenij.

*Hæc itê desunt ibidem.

* in Colbert deest duos.

Nota.

† *Boetium & Symmachum.* Viros eximios, & summis honoribus perfunctos fuisse, notat Onuphrius: *Estque hic Boetius*, inquit, *qui de consolatione Philosophiæ tam eleganter scripsit, & à Theoderico Italiæ Rege ob suspicionem affectatæ libertatis captus, & omnibus bonis exutus cum socero Symmacho in dicta causa*

quo-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codicibus.

54. S. Ioannes.

Ioannes natione Tuscus ex patre Constantio sedit annos duos, menses octo, *dies* viginti duos, *à Consulatu Maximi vsque ad Consulatum Olybrij* temporibus Theodorici Regis, & Iustini Augusti Christiani. *Hic vocatus* est *à Rege Theodorico Rauennam, quem* ipse *Rex rogans misit in legationem Constantinopolim ad Iustinum* Imperatorem orthodoxum, quia eodem tempore Iustinus Imperator *vir* * *religiosus summo ardoris amore religionis Christianæ voluit hæreticos extricare: nam summo feruore* Christianitatis hoc consilio vsus est, vt *Ecclesias Arrianorum* Catholicas consecraret. Pro hac causa hæreticus Rex Theodericus audiens hoc exarsit, & *voluit totam Italiam gladio* extinguere †. Eodem tempore *Ioannes Papa* ægrotus infirmitate *cum fletu ambulauit*, & Senatores & exconsules cum eo, id est *Theodorus*, *Importunus*, *Agapitus* Exconsul, & *alius Agapitus* Patritius, qui *hoc accipientes in* * *legationem, vt redderentur Ecclesiæ hæreticis in partibus* Orientis. *Quod si* non, *omnem Italiam gladio perderet*. Qui dum ambulassent cum Ioanne Papa, occurrerunt B. Ioanni milliario * 12. omnis ciuitas cum cereis & crucibus in honorem Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quia veteres Græcorum hoc testificabantur dicentes, à tempore Constantini Augusti & B. Siluestro Episcopo sedis Apostolicæ vsque ad Iustini Augusti tempora non meruisse partes Græciarum B. Petri Apostoli vicarium suscepisse cum gloria. Tunc Iustinus Augustus dans honorem Deo humiliauit se pronus *, & adorauit beatissimum Papam Ioannem. Eodem tempore B. Ioannes Papa cum Senatoribus suprascriptis cum grandi fletu rogauerunt Iustinum Augustum, vt legatio acceptabilis esset in conspectu eius: qui vero Papa Ioannes vel Senatores viri religiosi omnia meruerunt, & liberata est Italia à rege Theodorico hæretico. Iustinus Imperator tamen gaudio repletus est, qui meruit temporibus suis Vicarium B. Petri Apostoli videre * regno suo, de cuius manibus gloria coronatus est Iustinus Augustus. Eodem tempore cum hi suprascripti, id est Papa Ioannes cum Senatoribus Theodoro Exconsule, (Agapito Patritio defuncto Thessalonicæ) positi essent Constantinopoli, *Theodoricus rex hæreticus tenuit duos senatores* præclaros, & *Exconsules* Symmachum & Boetium, & occidit interficiens gladio. Eodem tempore reuertens Ioannes venerabilis Papa, & Senatores

* Flor. *menses 9. 17.*

* Flor. *religiosissimus ardoris amore.*

* Flor. *legationum.*

* Flor. *XV.*

* Vat. addit *in terram.*

* Flor. addit *in.*

Nota.

† Vaticanus Codex 4985. hæc ita habet: *Qui & faceret, nisi beatissimus Papa Ioannes legationem, quam præceperat hæreticus Thedericus, accepisset. Qui accepta legatione pergens Constantinopolim ad Iustinum Imperatorem cum Senatoribus Theodoro, Importuno, Agapito Exconsulibus, & Agapito Patricio, retulit Imperatori, quæ à Theoderico acceperat in mandatis, vt redderentur Ecclesiæ Hæreticis in partibus Orientis: quod si non, omnem Italiam gladio perderet. Qui dum appropinquasset ciuitati; ipse Rex & omnis ciuitas obuiam venit cum cereis & Crucibus, quasi Beatus Petrus præsentialiter adesset. Etiam veteres Græci hoc testificabantur* &c.

cum

Iuxta Victorem Tunnonensem.	Iuxta Chronicon Marcellini Com.	Iuxta secundum Catalogum Bibliothecæ Reginæ Sueciæ ad M.S. exemplar Bibliothecæ Colbertinæ correcta.
		quorum etiam corpora abscondi præcepit. Venientes verò hic supradicti viri inlustres cum Iohanne Episcopo, omnia per ordinem acta Agapito Patricio defuncto in Græcia, suscepti à Rege Theoderico cum dolo & grande odio Ioannes Episcopus etiam, & Senatores Viros inlustres * religiosus suscepit, quos itaque cum tanta indignatione suscipiens gladio eos voluit punire: sed metuens indignationem Iustini Augusti Orthodoxi non fecit: tamen in custodia omnes * cremauit, ita vt beatissimus Ioannes Papa in custodia adflictione maceratus deficiens moreretur. Qui verò defunctus est Rauenna cum gloria XV. Kalendas Iunij in custodia Regis Theodorici. Post hoc nutu Dei omnipotentis XLVIII. die, postquam defunctus est Ioannes Episcopus in custodia, subitò Theodoricus Rex interijt diuinitate percussus. Hic ordinationes fecit per loca. Cessauit episcopatus dies X.
Post Ioannem Felix.		56. Felix natione Samnita ex patre Castorio. Sedit annos duos, dies quatuordecim à Consulatu Aburti, vsque in Consulato Lampadi & Oristis. à Die IV. Iduum Iuliarum, vsque in diem IV. Idus Octobris. Hic fecit Basilicam Sanctorum Cosmæ & Damiani in Vrbe Roma, iuxta templum Vrbis Romæ. Obijt temporibus Attalarici Regis sub die * III. Octobris, qui sepultus est apud * Beato Petro. Hic fecit ordinationes duas, Presbyteros 55. Diaconos 4. Episcopos per loca 25. Cessauit Episcopatus diem vnum.

* hic multa desunt in editione Hensc. Cod. Colb. *religiosus*.
* Hensc. legit *cruciauit*.
* Hensch. *annos IV.*
* Hensc. addit *Iduum*.
B. Petrū.

Notæ.

nefariè interfectus fuit, cuius corpus Ticini in Ecclesia S. Augustini sepultum fertur. Ita Onuphrius, qui dubitare videtur de sepulchro Boetij, cui dubitationi causam præbet auctor Catalogi, dum Boetij & soceri corpora à Theoderico abscondita fuisse affirmat.

addi-

Iuxta Librum Pontificalem cum correctionibus M. SS. Lucæ Holstenij, ex præstantissimis Italiæ Codicibus.

Variæ Lectiones Lucæ Holstenij ex Vaticanis duobus, Flor. duobus, Cassinensi, Regio, & Farnesiano Codic.

cum gloria, dum omnia obtinuissent à Iustino Augusto. Rex Theodoricus hæreticus *cum grandi dolo & odio suscepit* eosdem Papam Ioannem & Senatores, *quos* etiam *gladio voluit* interficere: *sed metuebat indignationem Iustini Augusti*, quos *tamen in custodiam* omnes afflictos * cruciauit, *ita vt beatissimus Ioannes* Episcopus primæ sedis *Papa in custodia* afflictus *deficiens moreretur*. *Qui defunctus est Rauenna in custodia XV. Calendas Iunij* Martyr. *Post hoc factum nutu Dei omnipotentis* nonagesimo octauo die, *postquam defunctus est* beatissimus *Ioannes in custodia*, *Theodoricus Rex* hæreticus subitò *interyt*, & mortuus est. Hic Papa Ioannes * fecit Cœmeterium Beatorum martyrum Nerei & Archilei via Ardeatina. Item renouauit Cœmeterium Felicis & Adaucti. Item renouauit Cœmeterium Priscillæ via Salaria. Eodem tempore * positum est ornamentum super confessionem B. Pauli Apostoli de gemmis prasinis & hiacyntinis. Item huius temporibus Iustinus Imperator * obtulit Patenam auream cum gemmis pensantem libras 20. Calicem aureum cum gemmis pensantem libras 5. Scyphos argenteos 5. Pallia auro texta 15. quæ ipse Ioannes * detulit Apostolis Beatissimo Petro & Paulo: & ad S. Mariam, & ad S. Laurentium. Hic ordinauit Episcopos per diuersa loca numero 15. Cuius corpus translatum est de Rauenna, & sepultum est in Basilica B. Petri Apostoli sub die VI. Calendas Iunij Olybrio Consule: & cessauit Episcopatus dies LVIII.

* Flor. *crematuit* alius codex *macerauit*.

* Vat. *restaurauit*.

* *Achilei*.

* Vat. *posuit*.

* Idem addit: *apud Constantinopolim*.

* Vatic. *& ad Beatos Apostolos Petrum & Paulum ... & ad Sanctum Laurentium posuit*.

55. S. Felix IV.

Felix natione Samnius ex patre Castorio. *Sedit annos* IV. *menses duos* * *dies* 14. Fuit autem temporibus Theodorici Regis & Iustini Augusti, à Consulatu * Mamortini *vsque ad Consulatum Lampady & Orestis*, *à die* 4. *Idus Iuliarum vsque in* * 4. *Idus Octobris*. *Hic fecit Basilicam Sanctorum Cosmæ & Damiani in Vrbe Roma* in loco, qui appellatur via Sacra, *iuxta templum Vrbis Romæ*. Huius temporibus consumpta est incendio Basilica S. Martyris Saturnini via Salaria, quam à solo refecit: qui etiam ordinatus est cum quiete, & vixit vsque ad tempora Athalarici Regis. *Hic fecit ordinationes duas* in Vrbe Roma per menses Februarij & Martij, *Presbyteros* 55. *Diaconos* 4. *Episcopos per* diuersa *loca* numero 39. Qui etiam sepultus est in Basilica Petri Apostoli IV. *Idus Octobris*, *& cessauit Episcopatus* * mensem 1. dies 15.

* Flor. Vat. & Cass. *dies XIII*.

* Vat. & Flor. *Mabortij*.

* Flor. *III. Idus*.

* Flor. Vat. & alij, *Cessauit Episcopatus dies* 3.

Additur in M.S. Codice Bibl. Reginæ Sueciæ
vti etiam in M. S. Cod. Colbertino.

57. Bonefatius sedit annos 2. dies * 25. * Colb.
58. Ioannes sedit annos 2. * menses 3. dies 25. XXVI.
59. Felix sedit annos 4. menses 2. dies 12. * Colb.
60. Benefatius sedit annos 2. dies 26. mens. 4 dies 26.
61. Ioannes sedit annos 2. menses 3. dies * 5. * Colb.
62. Agapitus sedit menses XI. dies * 17. dies 6.
63. Siluerius sedit annum 1. menses 5. dies XI. * Colb.
64. Vigilius sedit * annos 16. menses 6. dies 26. dies 18.
65. Pelagius sedit annos 4. menses 10. dies 18. * Colb.
66. Ioannes sedit annos 12. * menses XI. dies 26. annos 17.
67. Benedictus sedit annos 4. * * Colb.
68. Pelagius sedit annos 10. menses 2. dies 10. mens X.

*Colber. addit mens. dies XXVIII.

A Beato Petro vsque nunc fiunt anni 444. & menses 6. excepto interuallo episcopatus.

FINIT.

Notæ.

Ita finit secundus Catalogus tam in M. S. Codice Colbertino, quàm in M. S. Codice Alexandrino Vaticano, in quibus cum ijdem planè errores reperiantur, necesse est, vel vnum ex altero, vel vtrumque ex antiquiore Codice descriptum fuisse, vt Dissertatione tertia indicauimus, ad quam proinde lectorem remittimus.

APPENDIX
AD
TOMVM PRIMVM

Continens varia antiquitatis monimenta ad res Chronologicas ſpectantia, & pro maiori parte ex variarum Nationum M.SS. Codicibus vel nunc primùm, vel correctiùs edita, & Notis illuſtrata.

DE NVMMIS PRAESIDVM SYRIAE,

In quibus annotatur æra Antiochena, quæ incipit à pugna Actiaca anno ante æram vulgarem 30.

1. Nvmmvs Vari cvsvs anno 6. ante æram vvlgarem.

SERVATVR primus nũmus Florentiæ in ſcrinijs Marchionis Frãciſci Richardi; editusque à Viro Cl. Henrico Noris diſſ. de Epochis Syromacedonum cap. 7. In antica parte habet caput Iouis Laureatum, ſine epigraphe cum rigente ac implexa barba: in auerſa verò Antiochiæ imaginem turritam monticulis inſidentem; dextra tenet ramum palmæ, quæ Syriæ Symbolum est; ſubtùs verò habet figuram Orontis fluminis, quo Vrbs alluitur, ex vndis partim emergentem cum hac epigraphe: ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *Sub Varo Antiochenſium*. In area verò eſt æræ Antiochenæ annus EK. 25. ab Imperio Auguſti in Syria, quod cœpit circa Autumnum anno ante æram vulgarem 30. Alius nummus, huic ſimilis (teſte Pagio Tomo 1. Criticæ Baronij in apparatu Chronologico ad annum ante æram vulgarem ſexto, quo prædictus nummus cuſus eſt) reperitur in cimelijs Regis Chriſtianiſſimi, in quo cernitur eadem antica, caput nimirum Iouis laureatum ſine vlla inſcriptione; & in auerſa parte Vrbs Antiochenſis turrita ſedens, ad cuius pedes fluuius Orontes cum ijſdem verbis eodemque anno æræ Antiochenæ, cuius rei fidem quoque facit V. C. Ioannes Harduinus in Antirrhetico ſuo de nummis pag. 58.

2. Nvmmvs Vari cvsvs anno 5. ante æram vvlgarem.

Secundus Vari nummus cum litteris numeralibus ς K. annum 26. Auguſtei in eadem Syria Imperij indicat, & ſeruatur apud V. Cl. Franciſcum Dron Pariſijs S. Thomæ ad Luparam Canonicum. Editus eſt ab erudito Norisio loco ſuperiùs citato. Habet alium ſimilem Vari nummum cum ijſdem litteris numeralibus Ioannes Vallantius, vt teſtatur Ioannes Harduinus.

3. VARI NVMMVS CVSVS ANNO ANTE AERAM VVLGAREM QVARTO.

Tertius Vari nummus cum litteris numeralibus ZK. asseruatur in cimelijs Magni Florentiæ Ducis, in quo litteræ numerales annum ab Imperio Augusti in Syria 27. exprimunt. Editus est ab eodem Norisio loco superius notato.

4. NVMMVS SILANI CVSVS ANNO AERAE VVLGARIS 12.

Quartus nummus est Silani, cuius antica pars habet caput Iouis laureatum, & postica arietem cum sidere, & in area litteras numerales BM. id est annum 42. Asseruatur in Gaza Medicea, alterque illi similis (nisi quòd epigraphe temporum iniuria perierit) reperitur in scrinio Apollonij Basetti Florentiæ, vt testatur eruditus Norisius pag. 212. & seq.

5. SILANI CVSVS ANNO AERAE VVLGARIS 13.

Quintus nummus est eiusdem Silani, cum epigraphe: ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΓΜ. *Sub Silano Antiochensium anno* 43. Extat penès me, vti & in Cimelijs Regis Christianissimi ac Christinæ Sueciæ Reg. possidentque Comites Ioannes de Lazara Patauij, & Franciscus Mediobarbi Mediolani.

6. SILANI CVSVS ANNO AERAE VVLGARIS 14.

Sextus nummus est quoquè Silani Syriæ Præsidis, cum epigraphe: ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΔΜ. *Sub Silano Antiochensium anno* 44. Duo nummi penès me asseruantur planè similes, quorum alter pulcherrimus est, adeò vt his temporibus cusus fuisse videatur. Huius quoquè nummi mentionem facit Spanhemius dissert. 9. pag. 867. & post eum Harduinus in Antirrhetico pag. 59.

7. SILANI CVSVS ANNO AERAE VVLGARIS 15.

Septimus nummus est eiusdem Silani: & seruatur in Musæo, Mediceo, vti & Cimelijs Septalianis Mediolani. Ex parte antica habet caput Tiberij cum hac inscriptione: ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Cæsar Augustus, Augusti* filius, nimirum

rum Tiberius, cuius & vultus in nummo expressus est. In alia parte habetur corona cum hac inscriptione: A. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΜ. Anno I. *Sub Silano Antiochensium* anno 45. Annus primus, qui in posticæ areæ epigraphe summum locum obtinet, designat annum primum Tiberij, qui anno æræ vulgaris 15. vsque ad diem 19. Augusti respondet. Annus 45. qui infimum locum obtinet, est annus Imperij Augusti in Syria. Qui duo anni planè concurrunt: Cum enim annus primus Imperij Augustei cœperit in Syria circa autumnum anni ante æram vulg. trigesimo, his 30. si addas 15. annos, habebis annum epochæ Antiochensis 45.

8. SILANI CVSVS ANNO AERAE VVLGARIS 17.

Octauus nummus est quoque Silani, & cernitur in Cimelijs Theodorici Bignonij libellorum supplicum magistri, & Regij Consilij Præsidis. Habet in antica parte caput Tiberij, cum epigraphe eadem superiùs exhibita. Posticæ inscriptio est. Γ. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΖΜ. Anno *III. sub Silano Seleucensium* anno 47. Primus numerus significat annum tertium Tiberij, secundus numerus annum quadragesimum septimum Imperij Augustei in Syria, cuius celebris ciuitas erat Seleucia.

9. FLACCI CVSVS ANNO AERAE VVLGARIS 52.

Nonum numisma est L. Pomponij Flacci Syriæ Præsidis, quod spectat ad Ioannem Vallantium, & editum est à Norisio pag. 141. Habet in antica caput Tiberij laureatum cum hac epigraphe: ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Tiberius Augustus*. Auersa nummi parte intra lauream inscripta: ΕΠΙ ΦΛΑΚΚΟΥ, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΒΠ *Sub Flacco Antiochensium* anno 82.

Harduinus in Antirrhetico putat præter hæc nouem numismata Præsidum Syriæ, extare alium nummum cum hac epigraphe: ΕΠΙ ΣΑΤΟΡΝΙΝΟΥ ΕΤ. ΕΔ. *Sub Saturnino* anno 35. id est æræ vulgaris 4. Verùm cum numisma ipsum non viderit, & nemo illud hactenus ediderit, non est, quod in eo describendo immoremur.

NVMMI

PRAESIDVM SYRIAE

In quibus annotatur æra Antiochena, quæ incipit à prælio Pharsalico anno ante æram vulgarem 49.

10. NVMMVS PETRONII CVSVS ANNO AERAE VVLGARIS 41.

PRimus nũmus in antica parte exhibet caput Claudij Imperatoris, cuius anno primo cusus est cum hac epigraphe Latina: *Imperator Claudius Augustus Germanicus*. At postica Græca est: ΕΠΙ ΠΕΤΡΟΝΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. q. *Sub Petronio Antiochensium* anno 90. seu æræ vulgaris 41. Seruatur in cimelijs Regis Christianissimi, illumque edidit Norisius pag. 152. vbi affirmat, similem nummum reperiri in Museo Mauroceno Venetijs.

11. NVMMVS CASSII CVSVS ANNO AERAE VVLGARIS 47.

Secundus nummus est C. Cassij Longini, cuius antica pars eamdem omninò inscriptionem Latinam exhibet cum Claudij Imperatoris vultu: alterius verò partis epigraphe legitur non vt in illo, quem ex aliorum relatione refert V. C. Harduinus: ΕΠΙ ΛΟΓΓΙΝΟΥ ΕΤ. Δϟ. *Sub Longino* anno 94. æræ vulgaris 45. sed: ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. ϚϞ q. *Sub Cassio Antiochensium* anno 96. æræ nimirùm vulgaris 47. vt patet ex ipso nummo, quem eruditus Norisius ex Museo Apollonij Bafetti tanquam rarum omninò & insignem edidit. Cum autem alius nummus extet sub nomine Longini anno Antiochensium 94. rem eruditis gratissimam præstabit, si quis illum typis describet. Ipse namque Norisius pagina 155. refert. *Sedulus veterum nummorum scrutator Ioannes Vallantius cum Florentiam aduenisset, hanc mihi abs se visi numismatis inscriptionem ostendit*: ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ Δϟ. *Sub Cassio Antiochensium anno* 94.

12. QVADRATI CVSVS ANNO AERAE VVLGARIS 56.

Tertius nummus est Quadrati Syriæ Præsidis, in cuius antica par-

parte conspicitur caput turritum Vrbis Antiochiæ cum hac epigraphe: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ *Antiochensium*. In postica verò cum ariete ac sidere intra Lunam bicornem, obuijs Antiochiæ symbolis legitur: ΕΠΙ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ ΕΤ. ΔΡ. *Sub Quadrato anno* 104. qui annus est secundus Neronis, & æræ vulgaris 56. Quo annò eum Præsidem Syriæ fuisse, probari potest ex hac inscriptione Cassinensi.

C. VMMIDIO. C. F. TER. DVRMIO
QVADRATO. COS. XV. VIR. S. F
LEG. TI. CAESARIS. AVG. PROV. LVSIT
LEG. DIVI. CLAVDI. IN. ILLYRICO. EIVSDEM. ET
NERONIS. CAESARIS. AVG. IN. SYRIA. PROCOS
PROVINC. CYPRI. Q. DIVI. AVG. ET. TI. CAESARIS
AVG. AED. CVR. PR. AER. X. VIR. STLIT. IVD. CVRAT
TABVLAR. PVBLICAR. PRAEF. FRVM. DANDI. EX. S. C

Hanc inscriptionem, quam mutilam edidit V.C. Ioannes Mabillonius in Itinerario Italico, integram typis descripsit Norisius vbi suprà. His addi potest nummus Cestij Syriæ Præsidis, cuius postica inscribitur. ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΔΙΡ. *Sub Cestio Antiochensium anno* 114. qui est Neronis 11. æræ Christianæ 65. quem nummum citat Ezechiel Spanhemius diss. 9. pag. 886. recitatque Harduinus pag. 60. Antirrhetici, ex quibus cum quoquè laudat Norisius pag. 160.

13. Mvciani cvsvs anno aerae vvlgaris 68.

Quartus nummus est Muciani, qui seruatur in cimelijs Regis Christianissimi, eique in antica parte detrita inscriptione Imperator Galba præfertur. Edita est in altera parte intra lauream inscriptio: ΕΠΙ ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. ΖΙΡ. *Sub Muciano Antiochensium anno* 117. idest anno æræ vulgaris 68. Tacitus lib. 1. hist. sub initium Principatus Galbæ: *Oriens adhuc immotus. Syriam & quatuor legiones obtinebat Licinius Mucianus.*

14. Avgvsti.

Nummum, quem sub numero 14. adducimus, edidit Norisius pag. 218. sui operis ex Gaza Medicea. Eius pars antica exhibet ca-

caput Augusti Laureatum cum hac epigraphe: ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΑΡΧΙΕΡΕΙ. *Cæsari Augusto Pontifici Max.* Et in auersa parte intra coronam legitur: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ ΕΚ. *Donum Pontificium Antiochenses* anno 27. qui annus numerandus est à suscepto per Augustum Syriæ Imperio, adeòque concurrit cum anno ante æram vulgarem quarto. Porrò refert Norisius pag. 222. quod in regia Gallorũ Gaza alter eiusdem Augusti nummus asseruetur retrorsùs inscriptus: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ ΗΚ. nempe anno Imperij Augusti in Syria 28. Prætereà in Cimelijs Theupoli Veneti Patricij seruatur alius Augusti nummus cum ijsdem hinc inde inscriptionibus, sed annorum numerus ita obsignatur: ΘΚ. anno 29. Denique Florentiæ in scrinio Apollonij Bassetti similis nummus seruatur cum littera numerali Λ. quo annus Imperij Augusti in Syria 30. indicatur, adeò vt circa annum æræ vulgaris primum cusus sit.

NVMMVS HERODIS ANTIPAE

Cum Ægyptio numismate.

15. Nvmmvs Herodis Antipae.

NVmmus, qui sub numero 15. exhibetur, est Herodis Antipæ filij Herodis Magni, à quo Galilææ præfectus est: estque Herodes ille, sub quo Christus Dominus passus est, testante Euangelista Luca cap. 23. quòd Pilatus remiserit Iesum *ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus.* Porrò hic nummus seruatur in musæo D. Rigordi Patritij Massiliensis, qui eius typum ad V. Cl. Antonium Magliabechium Florentiam misit, vnde eum Norisius typis descriptum exhibuit in epistola ad Antonium Pagium per modum appendicis Operi de Epochis Syro-Macedonum apposita. In antica istius nummi parte legitur intra Lauream: ΓΑΙΟ ΚΑΙC. ΓΕΡ .... ΝΙΚΩ: *Caio Cæsari Germanico*: in altera verò parte cum ramo palmæ: ΗΡΩΔΗC. ΤΕΤΡΑΡΧΗC. L ΜΓ. *Herodes Tetrarcha anno* 43. *Est*, inquit Norisius, *nummus Herodis Antipæ, qui in sacris litteris non semel nominatur. Nam Lucæ 3. legitur: Tetrarcha autem Galileæ Herode.*

Et

Ereap. 9. *Audiuit autem Herodes Tetrarcha &c.* Quamuis autem Norisius non inquirat, an nummus legitimus sit, illud tamen supponit, & ex eius epigrage controuersiam de Christi anno decidi posse existimat. Cum enim Herodes Magnus condito testamento Herodem *Antipam*, *quem prioribus tabulis successorem destinauerat*, teste Iosepho lib. 17. Antiq. cap. 10. *Galilee simul ac Petreæ Tetrarcham constituisset*: hic Herodes Antipas Tetrarchiæ illi præfuit ab anno ante æram vulgarem quarto, quo Herodes Magnus die 25. Nouembris obijt, vsque ad annum æræ vulgaris 39. quo die 25. Nouembris cœpit annus Tetrarchiæ Herodis quadragesimus tertius, & quo (teste Iosepho libro 18. Antiq. cap. 9.) Herodes Antipas Puteolos appulit, & Caius iam fortè apud Baiàs repertus, ademptam illi Tetrarchiam ad Agrippæ Regnum adiecit. Quamuis enim anno 39. ante mensem Nouembris Herodes Antipas à Caio Baijs existente Tetrarchia sua priuatus sit, rectè tamen conijcit Norisius, post aliquod tempus depositionis nuncium in Palestinam delatum fuisse, adeoq; initio anni 43. Antipę post mensem Nouembris nouum ea de re ad Galilæos peruenisse, qui initio anni 43. hunc nummũ in Caij honorem ediderant. *Cum*, inquit Norisius, *obitus Herodis Magni contigerit labente autumno an. Vrbis 750. & vt ex Hebræorum monumentis tradit Vsserius die 7. Casleu, nempe die 25. Nouembris, anni duo ac quadraginta Tetrarchiæ Herodis Antipæ exijssent die 24. Nouembris anno Vrbis 792. Christi 39. cœptusque fuisset annus Principatus Antipæ 43. in nummo obsignatus. At Caius id temporis erat in expeditione Germanica, & ad Rhenum bellum haud satis bellè fingebat. Iosephus disertè testatur, Herodem à Caio Cæsare apud Baias diuersante exilio mulctatum. Caius ante exitum Augusti ex Campania Romam, diem natalem ibidem celebraturus, redierat; indeque in Vmbriam ac statim ad Rhenum profectus est. Num fortè Herodes Tetrarcha declinante Augusto mense apud Baias damnatus fuit, priusquàm Caius in vrbem reuerteretur, cuius Herodis infortunij nuntius mense Septembri ferè extremo in Galilæam delatus est, paucos ante dies eo nummo obsignato cum anno principatus Herodis tertio ac quadragesimo, quem tamen idem in exilium missus reapse non inijt.* Hæc ibi, quæ pluribus posteà prosequitur Norisius, à cuius sententia nihil planè differunt superiùs dicta, nisi quod spectat ad diem & mensem initæ ab Herode ditionis Galilææ,

16. NVMMVS AEGYPTIVS ANTONINI PII.

Possent in confirmationem nummi Caij Caligulæ, & Herodis Antipæ proximè laudati adduci plerique alij nummi cum litera Latina L, quandoquidem plerique in Thesauro Christinæ Succorum Reginæ asseruentur. Verùm his pro alio Opere, quod de M.SS. Codicum & Inscriptionum ætate ex solo charactere dignoscenda meditor, seruatis, vnum dumtaxat Antonini nummum, quem penès me asseruo, adijciendum esse duxi. Exhibet ille in auersa parte caput Serapidis cum littera L. & notis numeralibus IΘ. seu anno XIX. Antonini Pij, cuius caput cum nomine ipsius in antica parte exprimitur. Ex quo nummo ab Aegyptijs cuso facilè conijcitur, vsque ad Antonini ætatem Aegyptios litera latina L. pro græca Λ. vsos fuisse in nummis. Atque hæc sufficiant de numismatibus, quorum in hoc Opere mentio facta est: quæ enim de alijs nummis commemorauimus, cum apud plerosq; rei nummariæ studiosos reperiantur, & à multis editi sint, lectorem ad libros & cimelia eorumdem remittimus.

2.

DE HIPPOLYTO THEBANO

TESTIMONIA.

Nicephorus Callistus libro 2. hist. cap. 3.

Si hoc testimonium sit Euodij Apostolorum discipuli, vt præter Nicephorũ indicat Euthymius Zygabenus in cap. 3. Ioan. necesse est, Hippolytum Thebanum historiam genealogiæ Christi sumpsisse ex huius Euodij epistola, quia eisdem ferè verbis genealogiã Christi refert.

Porrò diuinus Euodius, qui & ipse Sanctorum Apostolorum successor fuit, in commentarijs suis, præcipuè autem in epistola, quam Lumen inscripsit, hæc quoquè posuit: Christus, inquiens, manibus ipse suis Petrum tantummodò baptizauit; Petrus porrò Andream, & filios Zebedei; is deinceps reliquos Apostolos; septuaginta autem illos Petrus & Ioannes Theologus dictus baptizarunt. Adijcit is prætera illa. A baptismo vsque ad passionem Christi intercessisse annos tres; à passione verò, resurrectione, & ascensione eius in cælos vsq: ad lapidationem Stephani annos septem; à Stephani deindè martyrio vsque dum Paulum lux circumfudit, menses sex. Indè vsque ad sanctæ Dei genitricis decessũ tres. Cęterùm tempus omne à Natiuitate Christi vsque ad Dei genitricis migrationẽ annos fuisse dicit 44. totius autẽ vitę eius annos

nos 59. siquidem trimula cum esset, in Templum est præsentata, & ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annos 11. Deinde verò Sacerdotum manibus Iosepho ad custodiam est tradita. Apud quem, quum menses peregisset quatuor, ab Angelo Gabriele lætum illum accepit nuntium; peperit autem mundi ipsius lucem annum agens 15. vigesima quinta die mensis Decembris. Deinde alios annos peregit 33. quos etiam æternum, & antesæculare verbum, & filius eius in terris exegit. Post Crucis autem supplicium illud in domo Ioannis annos impleuit 11. vt ætatis eius anni simul collecti sint quinquaginta & nouem. In ea ipsa Ioannis domo primum Pascha mysticum conuiuium Dominus cum discipulis instituit. Inde hymno dicto in montem oliuarum exierunt ad villam Getsemani. Ibidem propter metum Iudæorum discipuli claudebantur. Ibidem etiam foribus clausis, quum resurrexisset, ab ipsis est visus, quum in faciem quoquè eorum inspirauit, & Spiritum eis Sanctum dedit. Ibi octauo post die Thomæ fides est confirmata. Eo Spiritus Sanctus specie linguarum ipsa Pentecoste aduenit. Ibidem Iacobum iustum primum Hierosolymorum Episcopum Apostoli ordinarunt, & Stephanum cum reliquis sex Diaconis legerunt. Hanc porrò domum Ioannes fertur comparasse post mortem Patris Zebedæi, qui quidem propriæ nauis rector fuisse perhibetur, celebris inter Galilææ incolas vir.

Concinit Euangelio Matth. cap. 13. & Lucæ cap. 1. vbi Euangelistæ referunt, Beatam Virginem iam desponsatam fuisse Iosepho, cum à Gabriele nuntium accepit de Incarnatione filij Dei, quē paritura erat.

Ibidem infra.

Diuinus Hippolytus Portus Veteris Romæ Episcopus de Iacobo fratre Domini memoriæ tradidit: Ioseph, inquiens, faber ex vxore sua Salome (quæ quidem filia fuit Aggæi fratris Zachariæ Prophetæ, eiusdemque Ioannis Baptistæ patris; Zacharias verò & Aggæus filij erant Barachiæ Sacerdotis) quatuor suscepit masculos filios, Iacobum, Symeonem, Iudam, & Iosen; & item filias duas Esther & Thamar: ita vt Salome ipsa, & Ioannes Baptista duorum fratrum marium liberi fuerint; etenim Aggæus filius quidem est Barachiæ, patruus autem Ioannis. Similiter & Zacharias frater quidem Aggæi, patruus autem Salome Iosephi coniugis. Salomen porrò dico, non illam in Bethleem obstetricem: illa enim Bethleemitica consobrina Elisabethæ erat, & item Sanctæ Virginis Mariæ, vt hoc sacrum Lucæ Euangelium indicat. Si quidem tres fuere sorores Bethleemiticæ filiæ Mathan Sacerdotis & Mariæ coniugis eius sub Cleopatræ & Casoparis Persæ regno, ante Herodis Antipatri filij regnum. Primæ Mariæ, se-

Errat hic Nicephorus, qui cū in M. S. Codice nomen Hippolyti inuenisset, Portuensem credidit, cū Thebanus fuerit.

Concinit Epiphanius aduersùs Nazaræos, vbi hos quatuor Iosephi filios ex alia vxore eius genitos enumerat.

Additur in M.S. Codice Bibl. Reginæ Sueciæ vti etiam in M.S. Cod. Colbertino.

57. Bonefatius sedit annos 2. dies * 25.
58. Ioannes sedit annos 2. * menses 3. dies 25.
59. Felix sedit annos 4. menses 2. dies 12.
60. Benefatius sedit annos 2. dies 26.
61. Ioannes sedit annos 2. menses 3. dies * 5.
62. Agapitus sedit menses XI. dies * 17.
63. Siluerius sedit annum 1. menses 5. dies XI.
64. Vigilius sedit * annos 16. menses 6. dies 26.
65. Pelagius sedit annos 4. menses 10. dies 18.
66. Ioannes sedit annos 12. * menses XI. dies 26.
67. Benedictus sedit annos 4. *
68. Pelagius sedit annos 10. menses 2. dies 10.

* Colb. XXVI.
* Colb. mens. 4. dies 26.
* Colb. dies 6.
* Colb. dies 18.
* Colb. annos 17.
* Colb. mens X.
* Colber. addit mens. dies XXVIII.

A Beato Petro vsque nunc fiunt anni 444. & menses 6. excepto interuallo episcopatus.

FINIT.

Notæ.

Ita finit secundus Catalogus tam in M. S. Codice Colbertino, quàm in M. S. Codice Alexandrino Vaticano, in quibus cum iidem planè errores reperiantur, necesse est, vel vnum ex altero, vel vtrumque ex antiquiore Codice descriptum fuisse, vt Dissertatione tertia indicauimus, ad quam proinde lectorem remittimus.

AP.

APPENDIX
AD
TOMVM PRIMVM

Continens varia antiquitatis monimenta ad res Chronologicas ſpectantia, & pro maiori parte ex variarum Nationum M.SS. Codicibus vel nunc primùm, vel correctiùs edita, & Notis illuſtrata.

DE NVMMIS
PRAESIDVM SYRIAE,

In quibus annotatur æra Antiochena, quæ incipit à pugna Actiaca anno ante æram vulgarem 30.

1. NVMMVS VARI CVSVS ANNO *6.* ANTE AERAM VVLGAREM.

SERVATVR primus nūmus Florentiæ in scrinijs Marchionis Fräcisci Richardi; editusque est à Viro Cl. Henrico Noris diss. 3. de Epochis Syromacedonum, cap. 7. In antica parte habet caput Iouis Laureatum, sine epigraphe cum rigente ac implexa barba: in auersa verò Antiochiæ imaginem turritam monticulis insidentem; dextra tenet ramum palmæ, quæ Syriæ Symbolum est; subtùs verò habet figuram Orontis fluminis, quo Vrbs alluitur, ex vndis partim emergentem cum hac epigraphe: ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *Sub Varo Antiochensium*. In area verò est æræ Antiochenæ annus EK. 25. ab Imperio Augusti in Syria, quod cœpit circa Autumnum anno ante æram vulgarem 30. Alius nummus, huic similis (teste Pagio Tomo 1. Criticæ Baronij in apparatu Chronologico ad annum ante æram vulgarem sexto, quo prædictus nummus cusus est) reperitur in cimelijs Regis Christianissimi, in quo cernitur eadem antica, caput nimirum Iouis laureatum sine vlla inscriptione; & in auersa parte Vrbs Antiochensis turrita sedens, ad cuius pedes fluuius Orontes cum ijsdem verbis eodemque anno æræ Antiochenæ, cuius rei fidem quoque facit V. C. Ioannes Harduinus in Antirrheticо suo de nummis pag. 58.

2. NVMMVS VARI CVSVS ANNO 5. ANTE AERAM VVLGAREM.

Secundus Vari nummus cum litteris numeralibus ϛΚ. annum 26. Augustei in eadem Syria Imperij indicat, & seruatur apud V. Cl. Franciscum Dron Parisijs S. Thomæ ad Luparam Canonicum. Editus est ab erudito Norisio loco superiùs citato. Habet alium similem Vari nummum cum ijsdem litteris numeralibus Ioannes Vallantius, vt testatur Ioannes Harduinus.

3. VARI NVMMVS CVSVS ANNO ANTE AERAM VVLGAREM QVARTO.

Tertius Vari nummus cum litteris numeralibus ZK. asseruatur in cimelijs Magni Florentiæ Ducis, in quo litteræ numerales annum ab Imperio Augusti in Syria 27. exprimunt. Editus est ab eodem Norisio loco superius notato.

4. NVMMVS SILANI CVSVS ANNO AERAE VVLGARIS 12.

Quartus nummus est Silani, cuius antica pars habet caput Iouis laureatum, & postica arietem cum sidere, & in area litteras numerales BM. id est annum 42. Asseruatur in Gaza Medicea, alterque illi similis (nisi quòd epigraphe temporum iniuria perierit) reperitur in scrinio Apollonij Basetti Florentiæ, vt testatur eruditus Norisius pag. 212. & seq.

5. SILANI CVSVS ANNO AERAE VVLGARIS 13.

Quintus nummus est eiusdem Silani, cum epigraphe: ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΓΜ. *Sub Silano Antiochensium anno* 43. Extat penès me, vti & in Cimelijs Regis Christianissimi ac Christinæ Sueciæ Reg. possidentque Comites Ioannes de Lazara Patauij, & Franciscus Mediobarbi Mediolani.

6. SILANI CVSVS ANNO AERAE VVLGARIS 14.

Sextus nummus est quoquè Silani Syriæ Præsidis, cum epigraphe: ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΔΜ. *Sub Silano Antiochensium anno* 44. Duo nummi penès me asseruantur planè similes, quorum alter pulcherrimus est, adeò vt his temporibus cusus fuisse videatur. Huius quoquè nummi mentionem facit Spanhemius dissert. 9. pag. 867. & post eum Harduinus in Antirrhetico pag. 59.

7. SILANI CVSVS ANNO AERAE VVLGARIS 15.

Septimus nummus est eiusdem Silani: & seruatur in Musæo, Mediceo, vti & Cimelijs Septalianis Mediolani. Ex parte antica habet caput Tiberij cum hac inscriptione: ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Cæsar Augustus, Augusti filius*, nimirum

rum Tiberius, cuius & vultus in nummo expressus est. In alia parte habetur corona cum hac inscriptione: A. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΜ. Anno I. *Sub Silano Antiochensium* anno 45. Annus primus, qui in posticæ areæ epigraphe summum locum obtinet, designat annum primum Tiberij, qui anno æræ vulgaris 15. vsque ad diem 19. Augusti respondet. Annus 45. qui infimum locum obtinet, est annus Imperij Augusti in Syria. Qui duo anni planè concurrunt: Cum enim annus primus Imperij Augustei cœperit in Syria circa autumnum anni ante æram vulg. trigesimo, his 30. si addas 15. annos, habebis annum epochæ Antiochensis 45.

8. Silani cvsvs anno aerae vvlgaris 17.

Octauus nummus est quoque Silani, & cernitur in Cimelijs Theodorici Bignonij libellorum supplicum magistri, & Regij Consilij Præsidis. Habet in antica parte caput Tiberij, cum epigraphe eadem superiùs exhibita. Posticæ inscriptio est. Γ. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΖΜ. Anno *III. sub Silano Seleucensium* anno 47. Primus numerus significat annum tertium Tiberij, secundus numerus annum quadragesimum septimum Imperij Augustei in Syria, cuius celebris ciuitas erat Seleucia.

9. Flacci cvsvs anno aerae vvlgaris 52.

Nonum numisma est L. Pomponij Flacci Syriæ Præsidis, quod spectat ad Ioannem Vallantium, & editum est à Norisio pag. 141. Habet in antica caput Tiberij laureatum cum hac epigraphe: ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Tiberius Augustus.* Auersa nummi parte intra lauream inscripta: ΕΠΙ ΦΛΑΚΚΟΥ, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΒΠ *Sub Flacco Antiochensium* anno 82.

Harduinus in Antirrhetico putat præter hæc nouem numismata Præsidum Syriæ, extare alium nummum cum hac epigraphe: ΕΠΙ ΣΑΤΟΡΝΙΝΟΥ ΕΤ. ΕΔ. *Sub Saturnino* anno 35. id est æræ vulgaris 4. Verùm cum numisma ipsum non viderit, & nemo illud hactenus ediderit, non est, quod in eo describendo immoremur.

NVM-

NVMMI

PRAESIDVM SYRIAE

In quibus annotatur æra Antiochena, quæ incipit à prælio Pharsalico anno ante æram vulgarem 49.

10. NVMMVS PETRONII CVSVS ANNO AERAE VVLGARIS 41.

PRimus nũmus in antica parte exhibet caput Claudij Imperatoris, cuius anno primo cusus est cum hac epigraphe Latina: *Imperator Claudius Augustus Germanicus*. At postica Greca est: ΕΠΙ ΠΕΤΡΟΝΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. q. *Sub Petronio Antiochensium* anno 90. seu æræ vulgaris 41. Seruatur in cimelijs Regis Christianissimi, illumque edidit Norisius pag. 152. vbi affirmat, similem nummum reperiri in Museo Mauroceno Venetijs.

11. NVMMVS CASSII CVSVS ANNO AERAE VVLGARIS 47.

Secundus nummus est C. Cassij Longini, cuius antica pars eamdem omninò inscriptionem Latinam exhibet cum Claudij Imperatoris vultu: alterius verò partis epigraphe legitur non vt in illo, quem ex aliorum relatione refert V. C. Harduinus: ΕΠΙ ΛΟΓΓΙΝΟΥ ΕΤ. ΔϤ. *Sub Longino* anno 94. æræ vulgaris 45. sed: ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. ϚϤ. q. *Sub Cassio Antiochensium* anno 96. æræ nimirùm vulgaris 47. vt patet ex ipso nummo, quem eruditus Norisius ex Museo Apollonij Bassetti tanquam rarum omninò & insignem edidit. Cum autem alius nummus extet sub nomine Longini anno Antiochensium 94. rem eruditis gratissimam præstabit, si quis illum typis describet. Ipse namque Norisius pagina 155. refert. *Sedulus veterum nummorum scrutator Ioannes Vallantius cum Florentiam aduenisset, banc mibi abs se visi numismatis inscriptionem ostendit*: ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΔϤ. *Sub Cassio Antiochensium anno* 94.

12. QVADRATI CVSVS ANNO AERAE VVLGARIS 56.

Tertius nummus est Quadrati Syriæ Præsidis, in cuius antica par-

parte conspicitur caput turritum Vrbis Antiochiæ cum hac epigraphe: ANTIOXEΩN *Antiochensium*. In postica verò cum ariete ac sidere intra Lunam bicornem, obuijs Antiochiæ symbolis legitur: ΕΠΙ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ ΕΤ. ΔΡ. *Sub Quadrato anno* 104. qui annus est secundus Neronis, & æræ vulgaris 56. Quo annó eum Præsidem Syriæ fuisse, probari potest ex hac inscriptione Cassinensi.

C. VMMIDIO. C. F. TER. DVRMIO
QVADRATO. COS. XV. VIR. S. F
LEG. TI. CAESARIS. AVG. PROV. LVSIT
LEG. DIVI. CLAVDI. IN. ILLYRICO. EIVSDEM. ET
NERONIS. CAESARIS. AVG. IN. SYRIA. PROCOS
PROVINC. CYPRI. Q. DIVI. AVG. ET. TI. CAESARIS
AVG. AED. CVR. PR. AER. X. VIR. STLIT. IVD. CVRAT
TABVLAR. PVBLICAR. PRAEF. FRVM. DANDI. EX. S. C

Hanc inscriptionem, quam mutilam edidit V.C. Ioannes Maldonius in Itinerario Italico, integram typis descripsit Norisius vbi suprà. His addi potest nummus Cestij Syriæ Præsidis, cuius postica inscribitur. ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΔΙΡ. *Sub Cestio Antiochensium anno* 114. qui est Neronis 11. æræ Christianæ 65. quem nummum citat Ezechiel Spanhemius diss. 9. pag. 886. recitatque Harduinus pag. 60. Antirrhetici, ex quibus cum quoquè laudat Norisius pag. 160.

13. Mvciani cvsvs anno aerae vvlgaris 68.

Quartus nummus est Muciani, qui seruatur in cimelijs Regis Christianissimi, eique in antica parte detrita inscriptione Imperator Galba præfertur. Edita est in altera parte intra lauream inscriptio: ΕΠΙ ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. ΖΙΡ. *Sub Muciano Antiochensium anno* 117. idest anno æræ vulgaris 68. Tacitus lib. 1. hist. sub initium Principatus Galbæ: *Oriens adhuc immotus. Syriam & quatuor legiones obtinebat Licinius Mucianus*.

14. Avgvsti.

Nummum, quem sub numero 14. adducimus, edidit Norisius pag. 218. sui operis ex Gaza Medicea. Eius pars antica exhibet ca-

caput Augusti Laureatum cum hac epigraphe: ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΑΡΧΙΕΡΕΙ. *Cæsari Augusto Pontifici Max.* Et in auersa parte intra coronam legitur: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ ΕΚ. *Donum Pontificium Antiochenses* anno 27. qui annus numerandus est à suscepto per Augustum Syriæ Imperio, adeòque concurrit cum anno ante æram vulgarem quarto. Porrò refert Norisius pag. 222. quod in regia Gallorũ Gaza alter eiusdem Augusti nummus asseruetur retrorsùs inscriptus: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ ΗΚ. nempe anno Imperij Augusti in Syria 28. Præterea in Cimelijs Theupoli Veneti Patricij seruatur alius Augusti nummus cum ijsdem hinc inde inscriptionibus, sed annorum numerus ita obsignatur: ΘΚ. anno 29. Denique Florentiæ in scrinio Apollonij Bassetti similis nummus seruatur cum littera numerali Λ. quo annus Imperij Augusti in Syria 30. indicatur, adeò vt circa annum æræ vulgaris primum cusus sit.

NVMMVS
HERODIS ANTIPAE
Cum Ægyptio numismate.

15. Nvmmvs Herodis Antipae.

Nummus, qui sub numero 15. exhibetur, est Herodis Antipæ filij Herodis Magni, à quo Galilçæ præfectus est: estque Herodes ille, sub quo Christus Dominus passus est, testante Euangelista Luca cap. 23. quòd Pilatus remiserit Iesum *ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus.* Porrò hic nummus seruatur in musæo D. Rigordi Patritij Massiliensis, qui eius typum ad V. Cl. Antonium Magliabechium Florentiam misit, vnde eum Norisius typis descriptum exhibuit in epistola ad Antonium Pagium per modum appendicis Operi de Epochis Syro-Macedonum apposita. In antica istius nummi parte legitur intra Lauream: ΓΑΙΟ ΚΑΙC. ΓΕΡ .... ΝΙΚΩ: *Caio Cæsari Germanico*: in altera verò parte cum ramo palmæ: ΗΡΩΔΗC. ΤΕΤΡΑΡΧΗC. L ΜΓ. *Herodes Tetrarcha anno* 43. *Est*, inquit Norisius, *nummus Herodis Antipæ, qui in sacris litteris non semel nominatur. Nam Lucæ 3. legitur: Tetrarcha autem Galilea Herode.*

Et cap. 9. *Audiuit autem Herodes Tetrarcha &c.* Quamuis autem Norisius non inquirat, an nummus legitimus sit, illud tamen supponit, & ex eius epigraphis controuersiam de Christi annis decidi posse existimat. Cum enim Herodes Magnus condito testamento Herodem *Antipam*, *quem prioribus tabulis successorem destinauerat*, teste Iosepho lib. 17. Antiq. cap. 10. *Galilee simul ac Petrææ Tetrarcham constituisset*: hic Herodes Antipas Tetrarchiæ illi præfuit ab anno ante æram vulgarem quarto, quo Herodes Magnus die 25. Nouembris obijt, vsque ad annum æræ vulgaris 39. quo die 25. Nouembris cœpit annus Tetrarchiæ Herodis quadragesimus tertius, & quo (teste Iosepho libro 18. Antiq. cap. 9.) Herodes Antipas Puteolos appulit, & Caius iam fortè apud Baias repertus, ademptam illi Tetrarchiam ad Agrippæ Regnum adiecit. Quamuis enim anno 39. ante mensem Nouembris Herodes Antipas à Caio Baijs existente Tetrarchia sua priuatus sit, rectè tamen conijcit Norisius, post aliquod tempus depositionis nuncium in Palestinam delatum fuisse, adeoq; initio anni 43. Antipę post mensem Nouembris nouum ea de re ad Galilæos peruenisse, qui initio anni 43. hunc nummũ in Caij honorem ediderant. *Cum*, inquit Norisius, *obitus Herodis Magni contigerit labente autumno an. Vrbis 750. & vt ex Hebræorum monumentis tradit Vsserius die 7. Casleu, nempe die 25. Nouembris, anni duo ac quadraginta Tetrarchiæ Herodis Antipæ exijssent die 24. Nouembris anno Vrbis 792. Christi 39. cœptusque fuisset annus Principatus Antipæ 43. in nummo obsignatus. At Caius id temporis erat in expeditione Germanica, & ad Rhenum bellum haud satis bellè fingebat. Iosephus disertè testatur, Herodem à Caio Cæsare apud Baias diuersante exilio mulctatum. Caius ante exitum Augusti ex Campania Romam diem natalem ibidem celebraturus, redierat; indeque in Vmbriam ac statim ad Rhenum profectus est. Num fortè Herodes Tetrarcha declinante Augusto mense apud Baias damnatus fuit, priusquàm Caius in vrbem reuerteretur, cuius Herodis infortunij nuntius mense Septembri ferè extremo in Galilæam delatus est, paucos ante dies eo nummo obsignato cum anno principatus Herodis tertio ac quadragesimo, quem tamen idem in exilium missus reapse non inijt.* Hæc ibi, quæ pluribus posteà prosequitur Norisius, à cuius sententia nihil planè differunt superiùs dicta, nisi quod spectat ad diem & mensem initæ ab Herode ditionis Galilææ.

16. NVMMVS AEGYPTIVS ANTONINI PII.

Possent in confirmationem nummi Caij Caligulæ, & Herodis Antipæ proximè laudati adduci plerique alij nummi cum litera Latina L, quandoquidem plerique in Thesauro Christinæ Suecorum Reginæ asseruentur. Verùm his pro alio Opere, quod de M.SS. Codicum & Inscriptionum ætate ex solo charactere dignoscenda meditor, seruatis, vnum dumtaxat Antonini nummum, quem penès me asseruo, adijciendum esse duxi. Exhibet ille in auersa parte caput Serapidis cum littera L. & notis numeralibus IΘ. seu anno XIX. Antonini Pij, cuius caput cum nomine ipsius in antica parte exprimitur. Ex quo nummo ab Aegyptijs cuso facilè conijcitur, vsque ad Antonini ætatem Aegyptios litera latina L, pro græca Λ. vsos fuisse in nummis. Atque hæc sufficiant de numismatibus, quorum in hoc Opere mentio facta est: quæ enim de alijs nummis commemorauimus, cum apud plerosq; rei numariæ studiosos reperiantur, & à multis editi sint, lectorem ad libros & cimelia eorumdem remittimus.

2.

DE HIPPOLYTO THEBANO

TESTIMONIA.

Nicephorus Callistus libro 2. hist. cap. 3.

Si hoc testimonium sit Euodij Apostolorum discipuli, vt præter Nicephorū indicat Euthymius Zygabenus in cap. 3. Ioan. necesse est, Hippolytum Thebanum historiam genealogiæ Christi sumpsisse ex huius Euodij epistola, quia eisdem ferè verbis genealogiā Christi refert.

POrrò diuinus Euodius, qui & ipse Sanctorum Apostolorum successor fuit, in commentarijs suis, præcipuè autem in epistola, quam Lumen inscripsit, hæc quoquè posuit: Christus, inquiens, manibus ipse suis Petrum tantummodò baptizauit; Petrus porrò Andream, & filios Zebedæi; is deinceps reliquos Apostolos; septuaginta autem illos Petrus & Ioannes Theologus dictus baptizarunt. Adijcit is præterea illa. A baptismo vsque ad passionem Christi intercessisse annos tres; à passione verò, resurrectione, & ascensione eius in cœlos vsq: ad lapidationem Stephani annos septem; à Stephani deindè martyrio vsque dum Paulum lux circumfudit, menses sex. Inde vsque ad sanctæ Dei genitricis decessū tres. Cęterùm tempus omne à Natiuitate Christi vsque ad Dei genitricis migrationē annos fuisse dicit 44. totius autē vitę eius an-

nos

nos 59. siquidem trimula cum esset, in Templum est præsentata, & ibi in Sanctis Sanctorum tradu- xit annos 11. Deindè verò Sacerdotum manibus Iosepho ad custodiam est tradita. Apud quem, quum menses peregisset quatuor, ab Angelo Gabriele lætum illum accepit nuntium; peperit autem mundi ipsius lucem annum agens 15. vigesima quinta die mensis Decembris. Deinde alios annos peregit 33. quos etiam æternum, & antesæculare verbum, & filius eius in terris exegit. Post Crucis autem supplicium illud in domo Ioannis annos impleuit 11. vt ætatis eius anni simul collecti sint quinquaginta & nouem. In ea ipsa Ioannis domo primum Pascha mysticum conuiuium Dominus cum discipulis instituit. Inde hymno dicto in montem oliuarum exierunt ad villam Getsemani. Ibidem propter metum Iudæorum discipuli claudebantur. Ibidem etiam foribus clausis, quum resurrexisset, ab ipsis est visus, quum in faciem quoquè eorum inspirauit, & Spiritum eis Sanctum dedit. Ibi octauo post die Thomæ fides est confirmata. Eo Spiritus Sanctus specie linguarum ipsa Pentecoste aduenit. Ibidem Iacobum iustum primum Hierosolymorum Episcopum Apostoli ordinarunt, & Stephanum cum reliquis sex Diaconis legerunt. Hanc porrò domum Ioannes fertur comparasse post mortem Patris Zebedęi, qui quidem propriæ nauis rector fuisse perhibetur, celebris inter Galilææ incolas vir.

Concinit Euangelio Matth. cap. 13. & Lucæ cap. 1. vbi Euangelistæ referunt, Beatam Virginem iam desponsatam fuisse Iosepho, cum à Gabriele nuntium accepit de Incarnatione filij Dei, quē paritura erat.

Ibidem infra.

Diuinus Hippolytus Portus Veteris Romæ Episcopus de Iacobo fratre Domini memoriæ tradidit: Ioseph, inquiens, faber ex vxore sua Salome (quæ quidem filia fuit Aggęi fratris Zachariæ Prophetæ, eiusdemque Ioannis Baptistæ patris; Zacharias verò & Aggęus filij erant Barachiæ Sacerdotis) quatuor suscepit masculos filios, Iacobum, Symeonem, Iudam, & Iosen; & item filias duas Esther & Thamar: ita vt Salome ipsa, & Ioannes Baptista duorum fratrum marium liberi fuerint; etenim Aggęus filius quidem est Barachiæ, patruus autem Ioannis. Similiter & Zacharias frater quidem Aggęi, patruus autem Salome Iosephi coniugis. Salomen porrò dico, non illam in Bethleem obstetricem: illa enim Bethleemitica consobrina Elisabethæ erat, & item Sanctæ Virginis Mariæ, vt hoc sacrum Lucæ Euangelium indicat. Si quidem tres fuere sorores Bethleemiticæ filiæ Mathan Sacerdotis & Mariæ coniugis eius sub Cleopatræ & Casoparis Persæ regno, ante Herodis Antipatri filij regnum. Primæ Mariæ, secun-

Errat hic Nicephorus, qui cū in M. S. Codice nomen Hippolyti inuenisset, Portuensem credidit, cū Thebanus fuerit.

Concinit Epiphanius aduersùs Nazaræos, vbi hos quatuor Iosephi filios ex alia vxore eius genitos enumerat.

cundæ Sobæ, tertiæ Annæ nomen erat. Nupſit prima in Bethleem Maria, & peperit Salomem obſtetricem. Nupſit quoquè ſecunda itidem in Bethleem Sobe, & genuit Elizabetham. Nupſit poſtrema & tertia Anna in terra Galilæa, & protulit Mariam Dei genitricem, ex qua nobis exortus eſt Chriſtus, ipſa veritas. Ita vt Salome iſta obſtetrix, & Elizabeth, & Dei mater trium ſororum reperiantur filiæ. Proinde Ioannes Baptiſta & Ieſus verus Deus noſter conſobrini eſſe dicuntur. Ioſephi verò filius Chriſtus eſſe dicitur, quòd filiorum eius frater eſſet propter conuerſationem familiarem, & cognationem Aggæi fratris Zachariæ Sacerdotis. Atque hæc quidem Hippolytus.

Michaël Glycas Parte 3. Annalium.

Hæc rectè Hippolyto Thebano adſcribuntur, quæ ſi admittantur, facilè contingere potuit, 12. annos inter Chriſti mortem, & Apoſtolorum diuiſionē interceſſiſſe, vt affirmat Apollonius Senator apud Euſebium.

De nonnullorum quidem hiſtoricorum ſententia præſertim Hippolyti Thebani, poſt Domini ex mortuis reſurrectionem anni ſeptem præterierunt, quum teſtium veritatis princeps ille Stephanus beatum vitæ finem eſt conſequutus. Ab eius autem morte menſibus propè ſex elapſis Pauli vocatio facta eſt.

Geſnerus in Epitome Bibliotheca.

Hippolyti Thebani de cognatione Chriſti lucubratiuncula ex opere eius Chronico decerpta Grecè extat in Bibliotheca Vaticana. *Et ibidem.*

Hippolytus Thebanus conſcripſit Chronicon, ex quo Ioannes Sambucus deſumpſit, & tractauit libellum de ortu & cognatione Virginis Mariæ.

Henricus Caniſius Tomo 3. Antiquarum Lectionum, vbi primùm ex M. S. Codice Bibliot. Bauar. Chronicon edidit.

Hippolyti Thebani, quem nunc luce donamus, meminit Epitome Geſnerianæ Bibliothecæ his verbis: Hippolyti Thebani de cognatione Chriſti lucubratiuncula &c.... Hæc inſcriptio non multum abit à titulo codicis Bauarici, quo nos vſi ſumus. Suſpicionemque mouet, non tam eſſe opus integrum, quàm integri operis fragmentum, & ἀποσπασμάτιον. Et ipſa breuitas credere

dere suadet, & Turrianus, qui Hippolytum vidit, fragmentum appellat .:... locum de ętate Presbyterorum secundùm Nicęnam Synodum citat ex Hippolyto Turrianus in Scholijs ad secundum librum Constitutionum Clementis Romani.

Baronius tomo 1. *Annalium ad an.* 34.

Fertur Hyppolyti Thebani nomine de tempore necis Stephani ab his procul sententia: nimirum ipsum anno septimo ab eius electione martyrio vita defunctum, eodemque tempore & Paulum à Christo vocatum.

Lambecius Tomo 3. *Commentariorum de Bibliotheca Cæsarea.*

Hippolyti Thebani fragmentum de genealogia Christi & Beatissimæ Matris ipsius Mariæ ex Opere eius Chronologico desumptum extat codice 29. incipit Ἰάκωβος γεγονὼς &c. Eiusdem expositio, quantum temporis Dominus noster Iesus Christus habitauerit in mundo post assumptionem humanæ naturæ, ex eodem supra memorato Opere Chronologico desumptum, extat codice 59. incipit: Ἀπὸ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Gerardus Vossius de historicis Græcis lib. 2. *Cap.* 25.

Hyppolitus Thebanus memoratur Glycæ &c. Canisius Tomo 3. Antiq; lectionum edidit Græcè latinèque Hippolyti huius Chronicon vel potius ex eo fragmentum. Quod ad ætatem attinet, non potest esse antiquior Symeone Metaphraste, cuius ipse meminit. Aequales fuisse Posseuini sententia est.

Ex

2.

Ex MS. Codice Græco 573. Bibliothecæ Vaticanæ.

HIPPOLYTI THEBANI ex commentario eius Chronico de prosapia D. N. Iesu Christi.

Hæc omnia desunt in editione Canisij, vsque ad hæc verba: *A Christi Incarnatione.*

INcarnatus igitur est Dominus noster Iesus Christus anno 5500.

Sub Augusto Imperatore natus est in spelunca mense Decemb. die 25.

Ab Adam vsq; ad Noë anni 2242.

Et à Noë vsque ad Abraam anni 1170.

Et ab Abraam vsque ad Moysem anni 444.

Et à Moyse vsque ad Dauid anni 599.

Et à Dauid vsque ad Christum anni 1045, simul anni 5500.

Hìc incipit fragmentum Hippolyti Thebani à Canisio editum, sed plerisque in locis interpolatum, vt illud cum hac nostra editione conferenti facilè constabit.

A Christi incarnatione autem vsq; ad magorum aduentum anni duo.

Et á fuga in Ægyptum vsque ad mortem Herodis filij Antipatri anni tres.

Habitarunt in Ægypto Heliopoli iuxta Memphin annis 3.

A regressu verò ipsorum ad propria in Galilæam, vsque ad mortem Archelai anni * 19.

* Legit Canisius θ. anni 9. quæ lectio erronea est, & ex ipso textu refelli potest.

Cum Archelao moritur & Augustus anno 88. regni 56.

Hæc omninò aliter habentur apud Canisium.

A morte verò Archelai vsque ad Baptismũ Christi an. 3. Simul an. 30.

A Baptismate autem Christi vsque ad lapidationem Zachariæ an. vnus.

Hic nonnulla alia interseruntur apud Canisium.

A morte verò Zachariæ vsque ad Ioannis filij ipsius mortem, sub Herode iuniore Archelai filio in carcere patratam, annus vnus.

Et à morte Ioannis vsque ad salutificam passionem menses 6.

Vixit enim Ioannes Baptista annis 33. triginta quidem in eremo; tribus verò annis baptizauit in Iordane prædicans pœnitentiam. Sicque

* Legit Canisius λϛ. seu 36. sed erroneè, non enim vixit vltra 33. annos, vnde nostra lectio retinenda.

ΙΠΠΟΛΥΤΟΥ ΤΟΥ ΘΗΒΑΙΟΥ ἐκ τοῦ χρονικοῦ αὐτοῦ συντάγματος περὶ τῆς συγγενείας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

ΕΓένετο τοίνυν ἡ ἐνανθρώπησις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔτους ͵εφ.

Ἐπὶ Αὐγούστου βασιλέως γεγέννηται ἐν σπηλαίῳ μηνὸς Δεκεμβρίου κε.

Ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Νῶε ἔτη ͵βσμβ.

Καὶ ἀπὸ τοῦ Νῶε ἕως τοῦ Ἀβραὰμ ἔτη ͵αρο.

Καὶ ἀπὸ Ἀβραὰμ ἕως Μωσέως ἔτη υμδ.

Καὶ ἀπὸ Μωσέως ἕως Δαβὶδ, ἔτη φϟθ.

Καὶ ἀπὸ Δαβὶδ ἕως τοῦ Χριστοῦ ἔτη ͵αμε, ὁμοῦ ἔτη ͵εφ.

Ἀπὸ δὲ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Χριστοῦ μέχρι τῆς τῶν μάγων παρουσίας ἔτη β.

Καὶ ἀπὸ τῆς εἰς Αἴγυπτον φυγαδείας μέχρι τῆς τελευτῆς Ἡρώδου υἱοῦ Ἀντιπάτρου ἔτη γ.

Παρῴκησαν ἐν Αἰγύπτῳ ἐν Ἡλιοπόλει τῇ κατὰ Μέμφιν ἔτη γ.

Ἀπὸ δὲ τῆς πρὸς Γαλιλαίαν εἰς τὰ ἴδια αὐτῶν ἐπανόδου μέχρι τῆς τελευτῆς Ἀρχελάου ἔτη ιθ.

Σὺν τῷ Ἀρχελάῳ τελευτᾷ καὶ Αὔγουστος ἔτη πη. βασιλεύσας ἔτη νϛ.

Ἀπὸ δὲ τελευτῆς Ἀρχελάου μέχρι βαπτίσματος τοῦ Χριστοῦ ἔτη γ. ὁμοῦ ἔτη λ.

Ἀπὸ δὲ τοῦ βαπτίσματος τοῦ Χριστοῦ μέχρι τῆς τοῦ Ζαχαρίου λιθοβολίας ἔτος α.

Ἀπὸ δὲ τῆς τελευτῆς τούτου μέχρι τῆς Ἰωάννου υἱοῦ αὐτοῦ τῆς ἐπὶ Ἡρώδου τοῦ νεωτέρου υἱοῦ Ἀρχελάου ἐν τῇ φρουρᾷ γεγενημένης ἔτος α.

Καὶ ἀπὸ τελευτῆς Ἰωάννου μέχρι τοῦ σωτηρίου πάθους μῆνας ϛ.

Ἔζησε γὰρ Ἰωάννης ὁ Βαπτιστὴς ἔτη * λγ. τὰ μὲν λ. ἀναχωρῶν ἐν ταῖς ἐρήμοις, τὰ δὲ τρία βαπτίζων ἐν Ἰορδάνῃ, καὶ κηρύττων μετάνοιαν. ὁμοίως καὶ ὁ κύριος ἡμῶν

ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς τριάκοντα ἔτη ἐν τοῖς παιδικοῖς διῆξε.

Μετὰ δὲ τὸ βάπτισμα ἐπελέξατο τοὺς μαθητὰς κηρύσσειν τὴν αὐτοῦ βασιλείαν ἕως σταυροῦ ἔτη γ.

Ὅθεν οἱ ἐν Νικαίᾳ πατέρες διετάξαντο, μὴ χειροτονεῖν πρεσβύτερον πρὸ ἐτῶν τριάκοντα, ἀρκετὸν εἰπόντες τῷ μαθητῇ τὸ τοῦ διδασκάλου, καὶ τῷ δούλῳ τὸ τοῦ κυρίου αὐτοῦ.

Ἀπὸ δὲ τοῦ σωτηρίου πάθους, καὶ τῆς ἀναλήψεως ἄχρι τῆς τοῦ Στεφάνου λιθοβολίας ἔτη ζ. καὶ ἀπὸ ταύτης μέχρι τῆς φανείσης τῷ Σαύλῳ φωτὸς μῆνες ϛ.

Καὶ ἀπὸ βαπτίσματος καὶ κηρύγματος Παύλου μέχρι ἀναλήψεως τῆς δεσποίνης ἡμῶν τῆς ὑπεραμώμου ἔτη ξια. ὁμοῦ ἔτη μδ.

Ἔζησε γὰρ σὺν τῇ ἀνθρωπότητι ἡ πάναγνος θεοτόκος ἐν τῷ ναῷ ἔτη ιδ. ἐν τῷ οἴκῳ Ἰωσὴφ μῆνας δ. καὶ εὐηγγελίσθη, καὶ συλλαβοῦσα ἔτεκε τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. ὁμοῦ ἔτη ιε.

Ἀπὸ δὲ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Χριστοῦ ἔζησεν ἔτη λγ.

* Ἕως ἀναλήψεως τοῦ Χριστοῦ ἐν τῷ οἴκῳ Ἰωάννου ἔτη ια.

Ὡς εἶναι τὰ πάντα αὐτῆς ἔτη νθ.

Οὗτος δέ ἐστιν Ἰωάννης, ὃν ἠγάπα ὁ Χριστὸς, ὁ παρθένος, καὶ εὐαγγελιστὴς, ὅστις ἔμενεν ἐν Ἱεροσολύμοις τὴν τῶν ἐκκλησιῶν μητέρα εἰς τὴν αὐτοῦ οἰκίαν, εἰς ἣν ἔφυγον οἱ Ἀπόστολοι διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων.

† Ἐκεῖ ἡτοιμάσθη καὶ τὸ πάσχα, ἐκεῖ καὶ τὸ πρῶτον μυστήριον ἐτελέσθη τοῖς μαθηταῖς. ἐκεῖ ἐφάνη αὐτοῖς καὶ ὁ κύριος μετὰ τὴν ἀνάστασιν. ἐκεῖ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον κατῆλθε τοῖς μαθηταῖς. ἐκεῖ καὶ τῷ Θωμᾷ ἔδειξε τοὺς τύπους τῶν ἥλων. ἐκεῖ πρῶτον ἐπίσκοπον ἐχειροτόνησαν οἱ Ἀπόστολοι τὸν υἱὸν Ἰωσὴφ τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου, οὐ τὸν υἱὸν Ζεβεδαίου τὸν ἀδελφὸν Ἰωάννου. ὁ γὰρ Ζεβεδαῖος ἰδιονάυκληρος λέγεται, τῶν δὲ ἐν Γαλιλαίᾳ ἐπισήμων ἀνδρῶν πρῶτος ἦν.

Μετὰ δὲ τὴν τελευτὴν * Ἰωάννης τὴν ἐν Γαλι-

que Dominus noster Iesus Christus triginta annis in iuuentute vixit.

Post baptismum verò elegit discipulos, vt prædicarent regnum suum, vsque ad crucem annis 3.

Vnde Patres in Nicæna Synodo statuerunt, vt non ordinarentur presbyteri ante triginta annos, dixeruntque sufficere discipulo, vt sit sicut magister; & seruo, vt sit sicut dominus eius.

A saluifica verò passione, & ascensione, vsque ad Stephani lapidationem anni 7. & ab illa vsque ad lucem, quæ Paulo apparuit, menses sex.

Et à Pauli baptismate ac prædicatione vsque ad Dominæ nostræ perquàm immaculatæ assumptioné sunt anni tres. Simul anni 44.

Vixit enim inter homines purissima Deipara in templo annis 14. in domo Ioseph mensibus 4. & annuntiatio ei facta est, & concepit, peperitque Dominum nostrum Iesum Christum, simul annis 15.

Ab incarnatione verò Christi vixit annos 33.

Vsque ad assumptionem * Christi in domo Ioannis anni 11.

Ita vt omnes eius anni sint 59.

Porrò hic est Ioannes, quem diligebat Christus, fuitque virgo & Euangelista. Mansit Hierosolymis in domo sua Ecclesiarum matre, ad quam confugerunt Apostoli propter metum Iudæorum.

† Ibi præparatum fuit & Pascha: ibi primò mysterium discipulis traditum fuit: ibi post resurrectionem Dominus illis apparuit: ibi Spiritus Sanctus illapsus est discipulis: § ibi Thomæ ostendit typos clauorum: ibi Apostoli in primum Episcopum ordinarunt filium Iosephi fratrem Domini, non filium Zebedæi fratrem Ioannis, Zebedæus enim propriam nauem habens appellatur, & præcipuorum, qui in Galilæa erant, virorum fuit primus.

Post mortem verò (Zebedæi) Ioannes

*Aliter hæc habet Canisius ita legens: καὶ μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ κυρίου, ἔζησε σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐν τῷ οἴκῳ Ἰωάννου τοῦ εὐαγγελιστοῦ ἔτη ια. *Et post Domini assumptionem cum discipulis eius vixit in domo Ioannis Euangelistæ annis* 11. Quæ lectio genuina est, & confirmat sententiam Apollonij, quod Apostoli post resurrectionem Christi 12. annis in Iudæa permanserint.

† Hæc omnia mirum in modum interpolata sunt apud Canisium, qui multò plura refert, quàm hic habentur. Refert enim Apostolos ibi à Domino ipso tonsuram accepisse & in clerum ascitos fuisse, quorum ne quidem verbum in hac nostra editione.

§ τῷ Θωμᾷ.

* Lege Ζεβεδαίου Ἰωάννης.

annes patris sui hæreditatem distraxit in Galilæa, & Hierosolymis domicilium comparauit, vnde vt dicitur de ipso, Erat notus Pontifici.

Hic recepit sanctissimam Deiparam in domū suā vsq; ad resurrectionē ipsius, & postea cum prædicasset verbum, & ipse assumptus est.

Iacobus autem factus primus Episcopus Ierosolymitanus, frater quidem Domini secundùm carnem esse dicitur, filius verò fabri Iosephi ex carnali vxore eius. Quatuor enim filios habuit Ioseph, Iacobum, Simonem, Iudam, & Ioseph: & duas filias Esther & Martham ex vxore sua Salome, quæ fuit filia Aggæi fratris Zachariæ patris Ioannis, filij Barachiæ, filij Abiæ Sacerdotis.

Et tunc quidem viduus erat Ioseph: adeò vt Ioannes Baptista & Salome sint fratrum germanorum liberi. Aggæus enim Barachiæ filius erat patruus Ioannis. Similitér & Zacharias frater Aggæi patruus Salomes vxoris Iosephi fabri. Erant porrò sanctæ Dominæ nostræ Deiparæ ex Bethleem tres sorores à Bethleem filiæ Mathan Sacerdotis, & Mariæ vxoris eius regnante Cleopatra & Sopare Persa ante regnum Herodis Antipatri. Primæ nomen erat Maria; secundæ verò Sobe; tertiæ autem Anna. Nupsit igitur prima in Bethleem, & genuit Salomen obstetricem. Secunda autem similiter in Bethleem, & genuit Elisabeth: & tertia in terra Galilææ, & genuit Mariam matrem Dei. Quarè Salome obstetrix, Elisabeth, & sancta Deipara sunt trium sororum filiæ: atque hinc Ioannes Baptista & Dominus noster erant consobrini. Christus verò filius Iosephi dicitur, tum quòd vna cum filijs suis eum nutriebat, & tum quòd erat ex cognatione Aggæi fratris Zachariæ sacerdotis filij Barachiæ.

Hęc non habentur apud Canisium, quæ tamen notanda sunt, multa enim nos docent.

Canisius habet, Ioannem Ephesi in Asia obdormisse in Domino, quod traditioni Ecclesię magis congruit.

Canisius habet de Iacobo, quod eum Christus & Apostoli in Episcopum ordinarunt, cum tamen post Christi mortem Episcopus ordinatus sitá duobus vel tribus Apostolis.

Hic multa variant apud Canisium.

Γαλιλαίᾳ κτῆσιν τοῦ πατρὸς ἀπέδοτο, καὶ ἐκτήσατο ἐν Ἱεροσολύμοις, ὅθεν ὡς λέγει περὶ αὐτοῦ τὸ ἦν γνωστὸς τῷ ἀρχιερεῖ.

Οὗτος ἐδέξατο τὴν παναγίαν Θεοτόκον ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ μέχρι τῆς ἀναστάσεως αὐτῆς καὶ μετὰ τοῦτο κηρύξας τὸν λόγον καὶ αὐτὸς ἀνελήφθη.

Ἰάκωβος δὲ ὁ γεγονὼς πρῶτος ἐπίσκοπος Ἱερουσαλὴμ, ἀδελφὸς μὲν τοῦ κυρίου κατὰ σάρκα λέγεται εἶναι, υἱὸς δὲ τοῦ τέκτονος Ἰωσὴφ ἐκ τῆς βιωτικῆς αὐτοῦ γυναικός. τέσσαρας γὰρ ἔσχεν υἱοὺς ὁ Ἰωσὴφ Ἰάκωβον, Σίμωνα, Ἰούδαν, καὶ Ἰωσὴφ, καὶ β' θυγατέρας τὴν Ἐσθὴρ, καὶ τὴν Μάρθαν ἐκ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Σαλώμης, θυγατρὸς Ἀγγαίου τοῦ ἀδελφοῦ Ζαχαρίου τοῦ πατρὸς Ἰωάννου, υἱοῦ Βαραχίου, υἱοῦ Ἀβία τοῦ ἱερέως.

Καὶ τότε ἐχήρευσεν Ἰωσὴφ, ὡς εἶναι δὲ τὸν βαπτιστὴν Ἰωάννην καὶ τὴν Σαλώμην ἀδελφῶν τέκνα ἀρρενικῶν. ὁ γὰρ Ἀγγαῖος υἱὸς Βαραχίου θεῖος ἦν Ἰωάννου. ὁμοίως καὶ Ζαχαρίας ἀδελφὸς Ἀγγαίου θεῖος Σαλώμης τῆς γυναικὸς Ἰωσὴφ τοῦ τέκτονος. Αἱ δὲ τῆς ἁγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου ἀπὸ Βηθλεὲμ τρεῖς ἦσαν ἀδελφαὶ ἀπὸ Βηθλεὲμ θυγατέρες Ματθὰν τοῦ ἱερέως καὶ Μαρίας τῆς αὐτοῦ γαμετῆς ἐπὶ τῆς βασιλείας Κλεοπάτρας, καὶ Σώπαρος τοῦ Πέρσου πρὸ τῆς βασιλείας Ἡρώδου τοῦ Ἀντιπάτρου. ὄνομα τῇ πρώτῃ Μαρία. τῇ δὲ β' Σωβὴ, καὶ τῇ τρίτῃ Ἄννα. Ἐγήματο οὖν ἡ πρώτη ἐν Βηθλεὲμ, καὶ ἔτεκε Σαλώμην τὴν Μαῖαν. ἡ δὲ β' ὁμοίως ἐν Βηθλεὲμ, καὶ ἔτεκε τὴν Ἐλισάβετ. καὶ ἡ τρίτη εἰς γῆν τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἐγέννησε Μαρίαν τὴν Θεοτόκον. ὡς εἶναι τήν τε Σαλώμην τὴν Μαῖαν, καὶ τὴν Ἐλισάβετ, καὶ τὴν ἁγίαν Θεοτόκον θυγατέρας ἀδελφῶν τριῶν θηλειῶν. ἐντεῦθεν ἦν ὁ Βαπτιστὴς Ἰωάννης καὶ ὁ κύριος ἡμῶν ἀνεψιοί. υἱὸς δὲ τοῦ Ἰωσὴφ λέγεται ὁ Χριστὸς ἔκ τε τῆς συναναστροφῆς τῶν υἱῶν αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῆς συγγενείας Ἀγγαίου ἀδελφοῦ Ζαχαρίου τοῦ ἱερέως τοῦ υἱοῦ Βαραχίου.

Aliud

Aliud Fragmentum Hippolyti Thebani ex M. S. Codice Græco Vrbino-Vaticano ante 600. annos sub Alexio Comneno Constantinopoli, vt ex eiusdem imagine libro præfixa apparet, conscripto.

Εὑρίσκομεν δὲ παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ ὡς ἐν τῷ ἓξ καὶ δεκάτῳ χρόνῳ τῆς ζωῆς αὐτῆς ἡ παναγία δέσποινα θεοτόκος τὸν Σωτῆρα καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγέννησεν. ἐβαπτίσθη δὲ παρὰ Πέτρου καὶ Ἰωάννου τῶν Ἀποστόλων, αὐτοὺς δὲ τούτους ἐβάπτισεν ὁ Χριστός. Ἔζησε δὲ μετὰ τὸ σωτήριον πάθος ἡ θεοτόκος ἔτη ια'. ὁ δὲ τῆς ζωῆς αὐτῆς ἅπας χρόνος ἓν καὶ ἑξήκοντα. Ἐβίωσε δὲ καὶ ὁ ἅγιος Ἰωάννης ὁ θεολόγος μέχρι Δομετιανοῦ Βασιλέως Ῥωμαίων, ὡς ἐκ τούτου εἶναι τὸν ἅπαντα τῆς ζωῆς αὐτοῦ χρόνον δέκα πρὸς ἑκατόν.

INuenimus autem in diuina Scriptura, quòd decimo sexto anno ætatis suæ sanctissima Domina Deipara Saluatorem & Dominum nostrum Iesum Christum pepererit: baptizata verò sit à Petro, & Ioanne Apostolis, ipsos autem baptizarit Christus. Vixit verò post saluificam Passionem Deipara annos XI. fueruntque omnes totius vitæ eius anni sexaginta vnus. Vixit autem & Diuus Ioannes Theologus vsq; ad Domitianum Imperatorem Romanorum, adeò vt omne vitæ eius tempus sit centum & decem annorum.

* Δομετιανοῦ.

D. Hieronymus affirmat, eum post obitum Domitiani rediisse ex Pathmo Ephesû, ibique Ecclesiam rexisse vsque ad Traiani tempora.

De Hippolyto Thebano Nota.

SIc finit fragmentum in præstantissimo Codice Vrbino-Vaticano, quāuis in MS. Codice Cæsareo addatur: μετὰ τὸ πάθος τοῦ Χριστοῦ ἔζησεν ἔτη κ'. *Post Passionem Christi vixit annos* 20. quod ab amanuensi additum puto, vti & addita sunt tam multa in editione Canisij, in qua omissis omnibus, quæ in hoc Fragmento continentur, sequentia leguntur: *Nascitur itaque Dominus noster Iesus Christus ex Tribu Iuda, & ex semine Dauid secundum carnem diebus postremis* 6000. *à creatione mundi, &c.* Quæ verba non solum desunt in Codicibus Bibliothecæ Vaticanæ, sed ipsius Hippolyti Thebani textui repugnant. Vt enim patet ex primo fragmento, Hippolytus ab Adam vsque ad Christum solummodò annos 5500. computat. Omitto alia, quæ apud Canisium perpetuò discrepant ab Hippolyti chronologia, cum supradicta sufficere debeant ad iudicium de editione Canisij ferendum. Interpolatum nimirum apud ipsum est

Hippolyti opusculum, neque certi quidpiam de ætate eius statui potest ex mentione Metaphrastis, quæ in editione Canisij reperitur, quia in Codicibus Vaticanis nusquam comparet. Certè Suidas huius Hippolyti nō meminit, & rara apud alios scriptores extat eius memoria, quāuis ex MS. Codice Vrbino-Vaticano, quem ætate Alexij Comneni ante sexcentos fermè annos conscriptum fuisse, ex eiusdem Alexij Imagine Codici præfixa constat, certò statui possit, Hippolytum Thebanum ante tempora illa vixisse. Lambecius in Commentarijs de Bibliotheca Cæsarea eum sæculo post Christum decimo floruisse statuit.

3.

Ex eodem M.S. Codice Græco

Bibliothecæ Vrbino-Vaticanæ, in quo post allatum Hippolyti Thebani fragmentum. sequitur aliud incerto nobis auctore conscriptum.

Chronicon de Incarnatione Domini nostri Iesu Christi magni Dei, & Saluatoris nostri.

Annus tertius Olympiadis 194. & annus Augusti 42. planè conciunt ijs, quæ tradit Card. Baronius de anno natiuitatis Christi, sed annus Herodis 32. fauet Chronotaxi nostræ; qui annus cum anno 4. Olympiadis 193. & anno Augusti 39. coincidit.

Natus est Dominus noster ex Deipara, & semper Virgine Maria anno tertio centesimæ nonagesimæ quartæ Olympiadis. Id verò erat 42. anno Augusti Imperatoris, regni verò Herodis Antipatri 32. Regnauit autem Augustus annis 56. Herodes verò 37.

Igitur mortuus est Herodes quando Dominus noster sex annos habebat in carne. Regnauit verò post Herodem Archelaus filius eius an. 9. & missus est in exiliū in Gallias, & regnauit Antipas filius & ipse Herodis Antipatri. Mortuo verò Augusto, & Archelao in exilium misso, habebat Christus ab incarnatione annos 15. Augusto verò successit Tiberius, Antipas autem filius quoq; Herodis successit Archelao. Reperiun-

Hæc à vera Chronologia deflectunt.

Χρονικὸν τὸ κατὰ σάρκα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν.

Ἐτέχθη ἐκ τῆς θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας ὁ Κύριος ἡμῶν τῷ τρίτῳ ἔτει τῆς ἑκατοστῆς ἐνενηκοστῆς δ΄. ὀλυμπιάδος. Τοῦτο δὲ ἦν μβ΄ ἔτος τῆς βασιλείας Αὐγούστου, λβ΄ δὲ τῆς βασιλείας Ἡρώδου τοῦ Ἀντιπάτρου. Ἐβασίλευσε δὲ Αὔγουστος ἔτη νϛ΄. Ἡρώδης δὲ ἔτη λζ΄.

Οὐκοῦν τελευτήσαντος Ἡρώδου ἓξ ἐτῶν ὑπῆρχεν τὸ κατὰ σάρκα ὁ κύριος ἡμῶν. Ἐβασίλευσε δὲ μετὰ Ἡρώδην Ἀρχέλαος ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἔτη θ. καὶ ἐξορίζεται εἰς Γαλλίας, καὶ βασιλεύει Ἀντίπας ὁ καὶ Ἡρώδου υἱὸς καὶ αὐτὸς ὑπάρχων Ἡρώδου τοῦ Ἀντιπάτρου. Τελευτήσαντος δὲ τοῦ Αὐγούστου, ἐξορισθέντος δὲ τοῦ Ἀρχελάου ιε΄ ἐτῶν εὑρέθη ὁ κατὰ σάρκα ὁ κύριος. Διαδέχονται δὲ Τιβέριος μὲν τὸν Αὔγουστον, Ἀντίπας δὲ ὁ καὶ Ἡρώδης τὸν Ἀρχέλαον. Εὑρίσκονται οὖν συναρξάμενοι βασιλεύειν τῶν μὲν Ῥωμαίων Τιβέ-

Τιβέριος, τῶν δὲ Ἰουδαίων Ἀντίπας ὁ καὶ Ἡρώδου, ὡς εἴρηται. Τὸ πρῶτον τοίνυν ἔτος τῆς βασιλείας Τιβερίου τε καὶ Ἡρώδου ἐξ καὶ δέκατον ἔτος ἦν τῆ κυρίου κατὰ σάρκα. Τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων πέντε καὶ δεκάτῳ ἔτει τῆς βασιλείας Τιβερίου, τριάκοντα ἐτῶν ὢν κατὰ σάρκα ὁ κύριος, ἐπὶ τῷ Ἰωάννου ἔρχεται βαπτίσματι, καὶ τῆ θείου κηρύγματος ἄρχεται, κατά φησὶ Λουκᾶς ὁ θειότατος. τῷ δὲ ἐννέα καὶ δεκάτῳ ἔτει τῆς βασιλείας Τιβερίου ὁ θεῖος σταυρὸς καὶ ἡ ζωοποιὸς ἀνάστασις γέγονε. Ἀντίπας δὲ οὗτος ὁ καὶ Ἡρώδου κδ. ἔτη ἐβασίλευσε. φανερὸν ὡς τοίνυν ὅτι οὗτος ἐστὶν Ἡρώδης ὁ καὶ τὸν πρόδρομον ἀνελὼν, καὶ ἐπὶ τοῦ θείου πάθους ἐν Ἱεροσολύμοις εὑρεθεὶς καὶ ἀνακρίνας τὸν κύριον. καὶ ἕτερα γὰρ πέντε ἔτη μετὰ τὴν ζωοποιὸν ἀνάστασιν ἐβασίλευσε, καὶ ἐξορίζεται σὺν τῇ Ἡρωδιάδῃ εἰς Βιένναν. Ἐβασίλευσε δὲ μετ' αὐτὸν Ἀγρίππας ὁ καὶ Ἡρώδου, υἱὸς Ἀριστοβούλου τοῦ ἐκ Μαριάμνης υἱοῦ Ἡρώδου τοῦ πρώτου. Οὗτος δὲ ἐστὶν Ἀγρίππας ὁ καὶ Ἡρώδης ὁ ἀνελὼν τὸν Ζεβεδαίου Ἰάκωβον, Πέτρον τὸν κορυφαῖον Ἀποστόλων πρὸς χάριν Ἰουδαίων ἀνελεῖν θελήσας. Ἐβασίλευσε δὲ καὶ οὗτος ἔτη ἑπτὰ, καὶ μετ' αὐτὸν ἐβασίλευσεν ὁ δεύτερος, ἐφ' οὗ ὁ Παῦλος ἐν Καισαρείᾳ ἐκρίνετο παρὰ τῷ Φήστῳ ἔτει κϛ.

riuntur igitur simul regnasse, super Romanos quidem Tiberius, super Iudæos verò Herodis filius Antipas, vti dictum est. Primus annus regni Tiberij, & Herodis reperitur fuisse decimus sextus annus Christi ab incarnatione eius. His verò ita se habentibus, anno regni Tiberij decimo quinto Dominus habebat ab incarnatione annos 30. quando venit ad baptisma Ioannis, & cœpit diuinam prædicationem, vt ait diuinissimus Lucas. Regni verò Tiberij anno 19. Diuina crucifixio, & viuifica resurrectio facta est. Antipas verò ille Herodis filius regnauit annis 24. Certum proinde est, quòd hic Herodes Præcursorem occiderit, & tempore diuinæ passionis in Ierusalem existens iudicarit Dominum; & post viuificam Resurrectionem regnauit alijs quinque annis, & in exilium missus sit cum Herodiade in Viennam. Regnauit verò post ipsum Agrippa, qui & Herodis, filius Aristobuli ex Mariamne primi Herodis filij. Hic autem Agrippa, qui & Herodes, occidit Iacobum Zebedæi, Petrum verò Apostolorum Coryphæum voluit occidere, vt gratificaretur Iudæis. Porrò & ille regnauit septem annis, & post ipsum regnauit alter Agrippa, sub quo Paulus in Cæsarea iudicatus est à Festo anno 26.

Καὶ μετὰ ταῦτα Τίτος ἐπόρθησε τὰ Ἱεροσόλυμα, συναγάγονται δὲ ἔτη μ' ἀπὸ τοῦ σωτηρίου πάθους ἕως τῆς ἁλώσεως Ἱεροσολύμων. τοὺς δὲ ἀναιρεθέντας διαγράφουσι πρὸς τὰς τριακοσίους μυριάδας. ἐκράτησε δὲ ἡ πολιορκία αὐτῆς ἔτη β'. ὥστε τὰ τέκνα αὐτῶν φαγεῖν ἀπὸ τῆς βίας.

Et post hæc Titus expugnauit Ierosolymam: simul autem sumpti sūt anni 40. à passione Saluatoris vsque ad capturam Ierosolymorum. Quidam vero scribunt, in ea occubuisse ad trecentas myriadas: durauit verò obsidio illius annis duobus, Ita vt infantes suos pręfame manducauerint.

4.

Ex Clementis Alexandrini Libro primo Stromatum edit. Græco-lat. pag. 336.

Iuxta Græcorum supputationem.

A Morte Alexandri ad victoriam Augusti, quando Antonius sibi ipsi mortem consciuit Alexandriæ, anni 294. cum tunc esset Augustus quartùm Consul. A quo tempore ad certamen, quod Romæ exhibuit Domitianus, anni 114. A primo autem certamine, vsq; ad mortem Cōmodi anni 111. &c.

Iuxta Barbarorum supputationem pag. 337.

A Captiuitate septuagenaria, & populi in patriam terram restitutione ad captiuitatem, quæ fuit tempore Vespasiani, colliguntur anni 410. Postremò autem à Vespasiano vsque ad mortem Commodi inueniuntur anni 121. menses 6. dies 24. &c.

Iuxta Romanorum supputationem pag. 339.

NIhil autem, vt existimo, post hæc offecerit, Romanorum quoque Imperatorum tempora adducere ad ortum Seruatoris ostendendum.

Augustus annis 43.
Tiberius annis 22.
Caius annis 4.
Claudius annis 14.
Nero annis 14.
Galba anno 1.
Vespasianus annis 10.
Titus annis 3.
Domitianus annis 15.
Nerua anno 1.
Traianus annis 19.
Adrianus annis 21.
Antoninus annis 21.
Similiter rursus Antoninus, & Commodus annis 32.

Fiunt ergo ab Augusto, vsq; ad Cōmodum anni omnes 222. & anni ab Adam, vsq; ad mortem Commodi 5784. duo menses, duodecim dies.

Quidam Romanorum Imperatorum tempora sic describunt.

C. Iulius Cęsar annis 3. mensibus 4. diebus 5.

Post quem regnauit Augustus annis 46. mensibus 4. die 1.

Deinde Tiberius annis 26. mensibus 6. diebus 19.

Cui succedit C. Cęsar annis 3. men-

3. mensibus 10. diebus 8.

Ei Claudius 13. annis, 8. mensibus, diebus 28.

Nero annis 13. mensibus 8. diebus 28.

Galba mensibus 7. diebus 6.

Otho mensibus 5. die 1.

Vitellius mensibus 7. die 1.

Vespasianus annis 11. mensibus 11. diebus 22.

Titus 2. annis, mensibus 2.

Domitianus annis 15. mensibus 8. diebus 5.

Nerua anno 1. mens. 4. diebus 10.

Traianus 19. annis, 7. mensibus, diebus 15.

Adrianus annis 20. mensibus 10. diebus 28.

Antoninus annis 22. mensibus 3. diebus 7.

Marcus Aurelius Antoninus annis 19. diebus 11.

Commodus annis 12. mensibus 9. diebus 14.

A Iulio ergo Cæsare, vsque ad mortem Commodi sunt anni 236. menses 6.

Nota.

QVamius ex computu Romanorum secundo loco exhibito colligatur, Clementem Alexandrinum existimasse, quosdam Tiberij principatum post mortem Augusti cœpisse enumerare; cum tamen de tempore mortis Tiberij conueniat inter omnes, & nemo vnquam de illo dubitasse reperiatur: verisimilius est, eos, qui Tiberio 26. annos Imperij tribuunt, eius Imperij annos ante mortem Augusti enumerare cœpisse, quando nimirum proconsulare Imperium suscepit.

5.

Ex MS. Codice Græco 573.
Bibliothecæ Vaticanæ.

Χρονικὸν σύνταγμα ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι τῆς Χριστοῦ παρουσίας, καὶ ἕως τῆς οἰκοδομῆς Κωνσταντινουπόλεως καὶ τέλους * αὐτῆς.

Chronicon Syntagma ab Adam vsque ad Christi aduentum, & vsque ad ædificationem Constantinopolis, eiusque finem. * αὐτῆς.

ΧΡὴ γινώσκειν τοὺς ἐντυγχάνοντας τῷ παρόντι χρονικῷ συντάγματι, ὅτι ἀπὸ Ἀδὰμ καὶ τῆς τοῦ κόσμου κτίσεως ἕως τοῦ κατακλυσμοῦ ἀριθμοῦνται χρόνοι βσμβ'.

SCire oportet eos, qui in præsens Chronicum Syntagma inciderint, quòd ab Adam & à mundi creatione vsque ad diluuium numerantur 2242. anni.

Ἀπὸ | A di-

A diluuio autem vſque ad ædificationem Turris anni 525.

Ab ædificatione Turris vſque ad natiuitatem Abrahami anni 530.

Porrò á natiuitate Abrahæ vſque ad exitum filiorum Iſraël ex Ægypto per Moyſem anni 435.

Ab exitu verò filiorum Iſrael vſque ad primam celeberrimi Templi ædificationem anni 480.

A prima verò ædificatione prædicti Templi vſque ad ſecundam illius ædificationem anni * 95.

* Hic certò deeſt numerus centenarius.

A ſecunda autem templi ædificatione vſque ad regnum Alexandri Macedonis anni 643.

A regno autem Alexandri vſque ad Incarnationis diſpenſationem Domini noſtri Ieſu Chriſti anno regni Auguſti 41. factam, anni 330.

A mundi verò creatione an. 5500.

A Chriſti autem Dei noſtri incarnatione vſque ad ædificationem Conſtantinopolis, anni 338. à mundi verò creatione anni 5838.

Cuius magnæ ciuitatis figuram inſpexit Valens Aſtronomus, & dixit Conſtantino Imperatori, quòd duraturum eſſet eius Imperium annis 696. qui comprehenduntur annis à mundi Creatione 6534.

Ἀπὸ δὲ τοῦ κατακλυσμοῦ ἕως τῆς πυργοποιΐας χρόνοι ϕκε.

Ἀπὸ δὲ τῆς πυργοποιΐας ἕως τῆς γεννήσεως Ἀβραὰμ χρόνοι ϕλ.

Ἀπὸ δὲ τῆς γεννήσεως Ἀβραὰμ μέχρι τῆς ἐξ Αἰγύπτου ἐξόδου τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ τῆς διὰ Μωσέως γενομένης χρόνοι υλε.

Ἀπὸ δὲ τῆς ἐξ Αἰγύπτου τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἕως τῆς πρώτης οἰκοδομῆς τοῦ περιωνύμου ναοῦ χρόνοι υπ.

Ἀπὸ δὲ τῆς πρώτης οἰκοδομῆς τοῦ εἰρημένου ναοῦ ἕως τῆς β' οἰκοδομῆς αὐτοῦ χρόνοι * ϟε.

Ἀπὸ δὲ τῆς β' οἰκοδομῆς τοῦ ναοῦ ἕως τῆς βασιλείας Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος χρόνοι χμγ.

Ἀπὸ δὲ τῆς βασιλείας Ἀλεξάνδρου μέχρι τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας ἤτοι τῆς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς ἐν τῷ μα. ἔτει τῆς αὐτοῦ Καίσαρος βασιλείας γεγενημένης χρόνοι τλ.

Ἀπὸ δὲ κτίσεως κόσμου ἔτη ͵εφ.

Ἀπὸ δὲ τῆς ἐνσάρκου παρουσίας Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν μέχρι τῆς οἰκοδομῆς Κωνσταντινουπόλεως ἔτη τλη. Ἀπὸ δὲ κτίσεως κόσμου ἔτη ͵εωλη.

Ἣν τινα μεγάλην πόλιν ἐθεμάτισεν Οὐάλης ὁ Ἀστρόνομος καὶ εἶπε τῷ βασιλεῖ μεγάλῳ Κωνσταντίνῳ, ὅτι ἔσται ταύτης ἡ ἐπικράτεια ἔτη χϟϛ. ἅπερ περιέχονται ἐν τῷ ἀπὸ κτίσεως κόσμου ἔτει ͵ϛφλδ.

Nota de hoc Syntagmate.

Cviuſnam auctoris ſit hoc Chronici fragmentũ,nullatenus indicat MS. Codex Bibliothecę Vaticanę:ex vltimis tamen verbis colligi poteſt,vel eum vixiſſe cum Valente Aſtronomo tempore Conſtantini Magni, vel incerto nobis tempore poſt Valentis ætatem,de quo omiſſa vlteriori inquiſitione, id vnum obſeruandum duximus, auctorem huius Syntagmatis à Chriſti natiuitate vſq; ad Vrbis Conſtantinopolitanæ ædificationem numerare annos 338. quod Chronologiæ noſtræ propiùs accedit: anno enim vulgari 330. vel ſequenti dedicata fuit à Conſtantino Vrbs eiuſdem cognominis Conſtantinopolis. Porrò ſexto anno ante æram vulgarem conceptum & natum fuiſſe Chriſtum, ex varijs antiquitatum monimentis docuimus: vnde anno

anno post natiuitatem 337. iuxta nostram Chronotaxim dedicata fuit ciuitas Constantinopolitana.

6.

CHRONICI FRAGMENTVM.

Ex antiquo octingentorum annorum Codice Vaticano litteris maiusculis exarato; quo continentur res Ecclesiasticæ ab anno 42. Augusti vsque ad Clementis Primi Pontificatum.

ANno quadragesimo secundo Imperij Cæsaris Octauiani, cessante regno, ac sacerdotio Iudæorum, secundum oraculum Prophetarum Dominus noster IESVS CHRISTVS pro nostra salute ex Virgine nasci dignatus est. Peractis igitur Octauianus à primordio regni sui annis 56. & mensibus sex, Tiberium priuignum suum reliquit in regnum, qui regnauit annis 23. Huius quinto decimo Imperij anno Dominus post baptismum regnum cœlorum adnuntiauit: octauo decimo eiusdem anno sua passione mundum redemit. Et prædicaturi per Regiones Iudęæ Apostoli Iacobum fratrem Domini Hierosolymis ordinant Episcopum, & septem Diaconos: & lapidato Beato Stephano, Ecclesia per Regiones Iudęæ, & Samariæ disseminata est.

Gaius regnauit annos tres menses 10. dies 8. Per idem tempus Matthæus Apostolus Euangelium in Iudæa primus conscripsit.

Hæc omnia accōmodata sunt Chronologiæ Dionysij Exigui, quæ à nostra discrepat.

Claudius regnauit annos 13. menses 7. dies viginti octo. Huius secundo anno beatissimus Petrus Apostolus, cum primus Antiochenam fundasset Ecclesiam, & 7. annis ibidem Pontificalem Cathedram sedisset, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit. Ibidemque Cathedram Sacerdotalem tenuit annos 25. menses 2. dies 3. Fuit autem temporibus Tiberij Cæsaris, & Gaij, & Claudij, vsque ad vltimum Neronis annum.

Iacobus frater Domini, cū 30. annis Hierosolymorum rexisset Ecclesiam, vndecimo Neronis anno à Iudæis lapidatur, in cuius thronum Symeon, qui & Simon, secundus adsumitur.

Marcus quoque auditor Petri, & de baptismo filius, Euangelium, quod Romæ scripserat, Aegypto, & Alexandriæ Petro mitten-

tente prædicat. Huius temporibus Simon Magus cum altercationem propofuiffet cum Petro, & Paulo dicens, fe quamdam virtutem Dei effe magnam, medio die, dum ad Patrem volare promittit in cœlum, in aëre à Dæmonibus ferebatur: adiurante eos Petro per Dominum, Paulo verò orante, dimiffus crepuit, & confracta funt crura eius, ob cuius necem à Nerone Petrus crucifigitur capite ad terram verfo, & in fublime pedibus eleuatis, afferens, fe indignum, fi fic crucifigeretur vt Dominus eius: Paulus gladio cæditur. Albinus Florus Fefto Magiftratui Iudeæ fuccedit, Cuius luxuriam, & auaritiam, cæteramque nequitiam non ferentes Iudæi contra Romanos * reuellauerunt, aduersùm quos Vefpafianus Magifter militiæ à Nerone transmiffus eft.

* rebellarunt.

Vefpafianus apud Iudæam Imperator ab exercitu appellatus eft, & bellum Tito filio commendans Romam per Alexandriam proficifcitur. Titus Iudæa capta & Hierofolymis ..., fubuerfas, fexcenta millia virorum interfecit: Iofephus verò fcribit, vndecies centena millia fame & gladio perijffe. Et alia centum millia captiuorum publicè venundata: vt autem tanta multitudo Hierofolymis reperiretur, caufa azymorum refert fuiffe: quæ ex omni gente Iudæa ad templum confluentes Vrbe quafi carcere funt reclufi. Oportuit enim his diebus Pafchæ eos interfici, in quibus Saluatorem crucifixerant. Colligitur omne tempus à quinto decimo anno Tiberij Cæfaris, & ab exordio Euangelicæ prædicationis XLII.

Linus Papa à Beato Petro Apoftolo Epifcopus ordinatus primus poft eum Romanæ Ecclefiæ Pontificalem Cathedram tenuit annos 11. menfes 3. dies 12. Fuit autem temporibus Vefpafiani, & Titi, qui Titus bellum iam dictæ Hierofolymæ in ann. 4. confummauit, templumque ftrauit.

Cletus fedit annos 12. menfem 1. dies 11. Fuit autem temporibus Titi, & Domitiani Iunioris fratris fui, fub quo Apoftolus Ioannes in Pathmo infula relegatus eft.

Clemens fedit annos 9. menfes 2. dies 10. fuit autem refidui....

Nota.

Codex, in quo hoc fragmentum Chronici reperitur, litteris longobardicis confcriptus eft, & deficit in Pontificatu Clementis, cuius priora dumtaxat verba exhibet.

7.

EXCERPTA EX CHRONICO

HIPPOLYTI PORTVENSIS

QVI SVB ALEXANDRO IMPERATORE SCRIPSIT,

Edito primùm ab Henrico Canisio Tomo 2. Antiquarum lectionum, posteà à D. du-Cange ad finem Chronici Alexandrini Ex octingentorum annorum Codice M.S. Bibliotheca Collegij Claromontani Parisiensis Societatis IESV.

CAp. 17. A generatione Christi vsque ad passionem anni 30. & à passione vsque ad hunc annum, qui est 13. Imperij Alexandri annus, anni 206. Fiunt igitur omnes anni ab Adam vsque ad 13. Alexandri Imperatoris annum, anni quinquies mille septingenti triginta octo.

Et infrà.

A generatione autem Christi post triginta annos, cum passus est Dominus, Pascha celebratur; ipse enim erat iustum Pascha: à Passione autem Domini vsque in 13. annum Imperij Imperatoris Alexandri Cæsaris anni 206. seruatum est Pascha, quod in commemorationem Christi seruatur à nobis. Fiunt igitur omnes anni ab Adam vsq; in hunc diem anni quinquies mille septingenti triginta octo.

Et infrà.

Vsque ad Alexandrum Macedonem fuerunt Olympiades 114. quæ faciunt annos 456. ab Iphito, qui constituit Olympiades. Ab Alexandro vsque ad Christum Olympiades 80. faciunt annos 320. A Christo autem vsque annum 13. Imperij Alexandri Olympiades 58. quæ sunt anni 236. Sunt ergo omnes Olympiades vsque annum 13. Alexandri Cæsaris Olympiades 253. quod sunt anni 1012.

Hactenus Codex vetus Collegij Parisiensis Societatis IESV.

Sequentia absunt à Canisio.

Imperatores Romanorum.

AVgustus annis 57.

Tiberius annis 22. mensibus 7. diebus 23.

Caius annis 3. mensibus 9.

Claudius annis 13. mense * anno, diebus 28.

* Vno.

Nero annis 13. mensibus octo, diebus 28.

Galba mensibus quinque, diebus 26.

Otho mensibus octo, diebus 7.

Vitellius mensibus nouem, diebus 15.

Omissus hic est Vespasianus.

Titus annis tribus, mensibus duobus, diebus duobus.

Hic omissus est Domitianus, & post eum Nerua.

Traianus annis 17. mensibus 8. diebus 6.

Hadrianus annis 20. mensibus 10. diebus 28.

Antonius Pius...... mensibus 8. diebus 22.

Marcus annis 19. mensibus 5. diebus 12.

Commodus annis 12. mensibus 8. diebus 24.

Aelius Pertinax mensibus septem.

Iulianus mensibus 2. diebus 7.

Seuerus annis 14.

Antoninus cognomento Caracalla, Seueri filius, annis sex, mensibus nouem, diebus duobus.

Macrinus anno vno, diebus sex.

Antoninus annis sex, mensibus 8. diebus 28.

Alexander annis 13. diebus nouem.

Obseruatio de huius Chronici authore.

Chronicon, ex quo præfata excerpsimus, iam tertiò editum fuit à varijs magni nominis viris. Ac primò quidem ab Henrico Canisio Tomo 2. Antiquarum lectionum, hoc ei præfixo titulo: *Collectio Historica Chronographica ex Anonymo, qui sub Alexandro Seuero Imperatore vixit, collectore Gallo quodam Caroli Magni temporibus. Incipit: Liber generationum primus.* Addit in margine: *In M. S. Codice minore* (nam in maiore M. S. totus primus liber abest) *non erat præter hunc alius titulus huic libro præfixus.* Secundò Chronicon illud edidit Philippus Labbeus Tomo 1. Bibliothecæ M. SS. librorum sub titulo sequen-

quenti: *Chronologi anonymi, qui sub Alexandro Imperatore vixisse anno Christi 236. dicitur, Libellus seu Chronicon de diuisionibus, & generationibus gentium, è M. S. Codice Collegij Claromontani Parisiensis Societatis IESV*. Quo titulo nos docet Labbeus, Manuscriptum Codicem Parisiensem aliter inscribi, quàm M. SS. Codices Henrici Canisij, illumque istis integriorem esse, vt patet ex catalogo Imperatorum, qui in Codicibus Canisij desiderabantur, & ex Codice Parisiensi primùm à Labbeo, posteà à D. du-Cange in Appendice ad fastos Siculos excusus est. Tertiò namque Chronicon illud D. du-Cange edidit hoc ei præfixo titulo, & Capitum summario.

*Liber Generationis ab Adam vsque ad ordinem, * quæ continentur in hoc libro.* * Sic M.S. Codex.

Dinumeratio temporum, & annorum, generationes sæculi vsque in hunc diem. Terræ diuisio tribus filijs Noæ.

His Coss. multa mœnia & celeberrima Romæ facta sunt, in quibus Capitolium, Forum transitorium, Diuorum porticus, Iseum, Serapium, Stadium, Horrea piperatoria, Vespasiani templum Mineruæ Chalcidicæ Odæum.
Domitianus IX. & Clemens II.
His Coss. insignissima Romæ facta sunt opera, Forum Traiani, Thermæ Traianæ, & Titianæ, Senatus, Ludus matutinus, Meta aurea, Meta sudans, & Pantheon.
Nerua II. & Rufus.
Fuluius, & Vetus.
Sabinus, & Antoninus.
Nerua III. & Traianus III.
Senecio & Palma.
Traianus IV. & Fronto.
His Coss. Apollonius Tyaneus Philosophus insignis habetur. Domitianus occisus in palatio anno ætatis XXXV. cui Nerua succedens, regnat annum vnum, menses IV. sub quo hi Consules fuerunt.

NERVA COCCEIVS X.

Traianus V. & Orfitus.
Senecio II. & Sura.
His Coss. Nerua morbo perijt in hortis Salustianis anno ætatis LXXII. cum iam

iam Traianum adoptasset in filium, cui succedens imperauit annis XIX. mensibus IV. diebus XV. sub quo hi Consules fuerunt.

TRAIANVS XI.

Traianus VI. & Maximus.
Senecio III. & Sura II.
Vrbanus & Marcellus.
Candidus & Quadratus.
His Coss. Traianus de Dacis, & Scythis triumphauit.
Commodus & Cerealis.
His Coss. Traianus Hiberos, Sauromatas, Osroënos, Arabas, Bosphoranos, Colchos in fœdus accepit. Seleuciam, Ctesiphontem, & Babylonem occupauit, & tenuit.
Senecio IV. & Sura III.
His Coss. Traianus in mari rubro classem instituit, vt per eam Indiæ fines vastaret.
Gallus & Bradua.
Africanus, & Crispinus.
Crispinus II. & Solenus.
Piso, & Rusticus.
Traianus VII. & Africanus.
Celsus & Crispinus.
His Coss. Plinius Secundus Nouocomensis Orator & Historicus insignis habetur, cuius ingenij plurima opera extant.
Asta & Piso.
Messalla & Pedo.
Æmilianus & Vetus.
Niger, & Apronianus.
His Coss. Traianus Armeniam, Assyriam, & Mesopotamiam prouincias fecit.
Clarus & Alexander.
Hadrianus & Salinator.
Hadrianus II. & Rusticus.
Seruilius & Fuluius.
His Coss. Traianus apud Seleuciam Isauriæ profluuio ventris extinctus est, anno ætatis LXIII. mense IX. die IX. cuius ossa in vrna aurea conlocata sub columna Fori, quod eius nomine vocatur, recondita sunt, cuius columnæ altitudo in CXL. pedes erigitur. Huic successit Hadrianus vtraque lingua peritissimus, Italiæ natus ex consobrina Traiani, qui regnauit annis XX. mensibus X. diebus XXIX. Sub quo hi Consules fuerunt.

HADRIANVS XII.

P. Verus & Augur.
His Coss. Hadrianus Alexandriam à Romanis subuersam, publicis instaurauit expensis.
Auiola & Pansa.
His Coss. Hadrianus reliqua tributorum vrbis relaxauit, chartis publicis incensis, plurimos etiam ipsis tributis liberos præstitit.
Paternus & Torquatus.
His Coss. Plutarchus Philosophus insignis habetur.
Glabrio & Apronianus.
His Coss. Nicomediæ & Nicænæ Vrbibus plurimis terræmotu collapsis, Hadrianus ad instaurationem earum publicas largitur expensas.
Asiaticus & Quintus.
Verus & Ambiguus.
His Coss. Athemensibus leges petentibus Hadrianus ex Draconis, & Solonis, reliquorumque libris iura posuit.
Gallicanus & Titianus.
His Coss. iuxta Eleusinam Ciuitatem in Cephiso fluuio Hadrianus pontem construxit.
Torquatus, & Libo.
Celsus & Marcellinus.
Pontianus, & *Rufus*.
Augurinus, & Sergianus.
Hiberius & *Siluanus*.
His Coss. Hadrianus à Christianorum persecutione cessauit, & Pater Patriæ est appellatus.
Sergianus & Verus.
Pompeianus & Attilianus.
His Coss. templum Romæ Veneris factum est, quod nunc Vrbis appellatur.
Pompeianus II. & Commodus.
His Coss. Hadrianus, cum insignes & plurimas ædes Athenis fecisset, agonem edidit, Bibliothecam miri operis extruxit.

Ser-

Sergianus & Balbinus.
Camerinus & Niger.
Antoninus & Præsens.
Antoninus II. & Præsens II.
Seuerus II. & Siluanus.
His Coss. Ælia Ciuitas, id est Hierosolyma ab Ælio Hadriano condita est, & in fronte eius portæ, qua Betbleem egredimur, sus sculptus in marmore, significans Romanæ potestati subiacere Iudæos.
Ruffinus & Torquatus.
His Coss. Hadrianus morbo intercutis aquæ apud Baias moritur, maior sexagenario. Cui successit Antoninus Pius, qui regnauit cum liberis suis Aurelio & & Lucio an. XXII. Sub quo hi Consules fuerunt.

ANTONINVS PIVS XIII.

Torquatus II. & Herodes.
Auiola & Maximus.
Antoninus III. & Aurelius.
Gratus & Seleucus.
His Coss. Iustinus Philosophus librum pro Christiana religione scriptum tradidit Antonino Cæsari.
Antoninus IV. & Aurelius II.
Largus & *Messalinus*.
Torquatus III. & Iulianus.
Orfitus & Priscus.
Glabrio & Vetus.
Gordianus & Maximus.
Glabrio II. & Romulus.
Præsens & Rufus.
Commodus & Lateranus.
His Coss. Apollonius Stoicus, natione Chalcidicus, & Basilides Scythopolitanus Philosophi illustres habentur, qui Veri quoque *Cæsaris præceptores fuerunt.*
Verus & Sabinus.
Siluanus & Augurinus.
Barbarus & Regulus.
Tertullus & Sacerdos.
Quintillus & Priscus.
Verus II. & Bradua.
Antoninus V. & Aurelius III.
P. C. Antonini V. & Aurelij III.
Hoc tempore Antoninus Pius apud Lorium villam suam duodecimo ab urbe milliario moritur anno vitæ LXVII.
Vsq; ad hoc tempus singuli Augusti fuerunt, cui successerunt filij sui, idest Marcus Antoninus Verus, & Lucius Annius Antoninus Verus, qui regnauerunt annis XIX. Sub quibus hi Consules fuerunt.

M. ANTONINVS VERVS XIV. ET L. ANNIVS ANTONINVS VERVS.

Duo Augusti Coss.
Rusticus & Aquilinus.
His Coss. Lucio Cæsari Athenis sacrificanti ignis in Cælo ab Oriente in Occidentem ferri visus est.
L. Ælianus & Pastor.
Macrinus & Celsus.
His Coss. Fronto Orator insignis habetur, qui Marcum Antoninum Verum latinis litteris erudiuit.
Orfitus & Pudens.
His Coss. Lucius Cæsar de Parthis cum fratre Antonino triumphauit.
Pudens II. & Pollio.
Verus III. & Quadratus.
Apronianus & Paullus.
Priscus & Appollinaris.
Cethegus, & Clarus.
Seuerus & Herennianus.
His Coss. Lucius Annius Antoninus Verus anno regni vndecimo inter Concordiam, & Altinum apoplexi extinctus est, sedens cum fratre in vehiculo.
Orfitus & Maximus.
Seuerus II. & Pompeianus.
Gallus & Flaccus.
Piso & Iulianus.
Pollio II. & Asper.
Commodus & Quintillus.
His Coss. Marcus Antoninus Verus Imperator Commodum filium suum consortem regni facit.
Orfitus & Rufus.
His Coss. Imperatores de hostibus triumphant, & pecuniam, quæ fisco debebatur, Prouincijs concedentes, tabulas debitorum in medio Romanæ Vrbis Foro incendio concremarunt; ac ne quid boni-

bonitati deesset, seueriores quasque leges nouis Constitutionibus temperarunt.

Commodus II. & Verus II.

His Coss. Antoninus Verus adeò in editione munerum magnificus fuit, vt centum simul Leones exhibuerit; qui post in Pannonia morbo perijt repentino. Commodus filius eius à Senatu Augustus est appellatus, qui regnauit annis XIII. sub quo hi Consules fuerunt.

ANTONINVS COMMODVS XV.

Præsens II. & Gordianus.
Commodus III. & Birrus.
Mamertinus & Rufus.
Commodus IV. & Victorinus.
Marullus & Ælianus.

His Coss. Thermæ Commodianæ Romæ factæ sunt.

Maternus & Bradua.
Commodus V. & Glabrio.
Crispinus & Ælianus.
Fuscianus & Sillanus.
Duo Sillani.

His Coss. Commodus Imperator Colossi capite sublato suæ imaginis caput iussit imponi.

Commodus VI. & Septimianus.
Apronianus & Bradua II.
Commodus VII. & Pertinax.

His Coss. Commodus strangulatur in domo Vestiliani, Cui successit Heluius Pertinax, qui regnauit mensibus VI. sub quo hi Coss. fuerunt.

HELVIVS PERTINAX XVI.

Falco & Clarus.

His Coss. Pertinax occiditur in Palatio maior septuagenario, cui successit Seuerus Prouincia Tripolitana natus oppido Lepti, solusque Afer Imperator Romanus fuit, qui regnauit annis XVIII. sub quo hi Consules fuerunt.

SEVERVS XVII.

Seuerus & Albinus.
Tertullus & Clemens.
Dexter & Priscus.
Lateranus & Ruffinus.
Saturninus & Gallus.
Annullinus & Fronto.

His Coss. Seuerus Parthos & Adiabenos superauit, Arabasque interiores ita cecidit, vt regionem eorum Romanam Prouinciam faceret, ob quæ Parthicus, & Adiabenicus cognominatus est.

Seuerus II. & Victorinus.
Fabianus & Mucianus.

His Coss. Thermæ Seuerianæ apud Antiochiam & Romæ factæ, & Septizonium instructum est.

Seuerus III. & Antoninus.
Geta & Plautianus.
Cilo, & Libo.
Antoninus II. & Geta.
Albinus, & Ælianus.
Aper & Maximus.

His Coss. Seuerus in Britannos bellum mouit, vbi vt receptas Prouincias ab incursione barbarica faceret securiores, vallum per CXXX. passuum millia à mari ad mare duxit.

Antoninus III. & Geta II.
Pompeianus & Auitus.

His Coss. Tertullianus Afer Christianorum scriptor celeberrimus habetur.

Faustinus & Rufinus.

His Coss. Origenes scriptor Alexandriæ studijs eruditur.

Gentianus & Bassus.

His Coss. Seuerus Imperator Eboraci in Britannia moritur, cui successit Antoninus Caracalla Seueri filius, qui regnauit annis VII. Sub quo hi Consules fuerunt.

ALE-

ANTONINVS CARACALLA XVIII.

Duo Aspri.
Antoninus IV. & Balbinus.
Messala & Sabinus.
His Coss. Antoninus Caracalla cognominatur propter genus vestis, quod Romæ erogauerat.
Lætus & Cerealis.
Sabinus II. & Venustius.
His Coss. Antoninus Romæ Thermas sui nominis ædificauit.
Præsens & Extricatus.
Antoninus, & Aduentus.
His Coss. Antoninus interficitur inter Edessam & Carras, anno ætatis XLIII. Cui successit Macrinus Præfecturam Prætorianam gerens: regnauit autem annum vnum, sub quo hi Consules fuerunt.

MACRINVS XIX.

Antoninus II. & Sacerdos.
His Coss. Macrinus occiditur in Archelaide, cui successit M. Aurelius Antoninus, qui regnauit annis IV. Sub quo hi Consules fuerunt.

MARCVS AVRELIVS ANTONINVS HELIOGABALVS XX.

Antoninus III. & Comazon.
Gratus & Seleucus.
His Coss. Heliogabalo templum Romæ ædificatur.
Alexander & Augustus.
His Coss. in Palæstina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, Vrbs condita est.
Maximus & Ælianus.
His Coss. M. Aurelius Antoninus Romæ occiditur tumultu militari. Cui successit Alexander Mammææ filius, qui regnauit annis XIII. Sub quo hi Consules fuerunt.

ALEXANDER MAMMAEAE XXI.

Iulianus & Crispinus.
His Coss. Alexander Xerxem Regem Persarum vicit.
Fuscus & Dexter.
Alexander II. & Marcellus.
Annianus & Maximus.
His Coss. Vlpianus Iuris Consultus assessor Alexandri insignissimus habetur.
Albinus & Maximus.
His Coss. Thermæ Neronianæ Alexandrinæ vocatæ sunt.
Modestus & Probus.
Alexander III. & Dion.
Gratus & Seleucus.
His Coss. Origenes Alexandriæ clarus habetur.
Pompeianus & Felicianus.
Lupus & Maximus.
His Coss. Alexander in matrem Mammæam vnicè pius fuit, & ob hoc cunctis amabilis.
Maximus & Paternus.
Maximus II. & Vrbanus.
Seuerus & Quintianus.
His Coss. Alexander occiditur Moguntiaci tumultu militari. Cui successit Maximinus, regnans annis III. primus omnium ex corpore militari sine Senatus auctoritate Imperator electus. Sub quo hi Consules fuerunt.

MAXIMINVS XXII.

Maximinus & Affricanus.
Perpetuus & Cornelianus.
Pius & Proculus.
His Coss. Maximinus Aquileiæ occiditur, cui

cui succedit Gordianus, qui regnauit annis VI. sub quo hi Consules fuerunt.

GORDIANVS XXIII.

Gordianus & Auiola.
Sabinus & Venustus.
His Coss. Gordiano Romam ingresso, Pupienus & Balbinus, qui Imperium arripuerant, in palatio occisi sunt.
Gordiannus II. & Pompeianus.
Atticus & Prætextatus.
Arrianus & Pappus.
Peregrinus & Emilianus.
His Coss. Gordianus admodùm adolescens Parthorum natione superata, cum victor reuerteretur ad Patriam, fraude Philippi Præfecti Pretorij haud longè à Romano solo interfectus est. Gordiano tumulum milites ædificant supra Euphratem, ossibus eius Romam peruectis. Cui successit Philippus, qui regnauit annis VII. qui mox Philippum filium suum consortem regni fecit, primusque omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit. Sub quo hi Consules fuerunt.*

* Aliæ editiones legunt VI.

PHILIPPVS XXIV.

Philippus & Titianus.
Præsens & Albinus.
Philippus II. & Philippus.
* *His Coss. Millesimus annus vrbis Romæ expletus est, ob quam solennitatem innumerabiles Philippus cum filio suo bestias in circo magno interfecit, ludosque in Campo Martio Theatrales tribus diebus ac noctibus populo peruigilante celebrauit, quadraginta etiam missus natali Romanæ Vrbis concurrerunt, & Agon mille annorum actus. Philippus Vrbem nominis sui in Thracia construxit.*
Philippus III. & Philippus II.
Æmilianus & Aquilinus.
Decius & Gratus.
Decius II. & Rusticus.
† *His Coss. Philippus senior Veronæ, Romæ verò iunior occiditur. His successit Decius, qui regnauit anno I. mensibus III. Sub quo hi Consules fuerunt.*

* Aliæ editiones omnes hic interserunt duos Consulatus; sed manifesto errore, cum hi Cōsulatus annum millesimum Vrbis subsequantur.
† Hic inserta sunt quædam in alijs editionibus, quæ absunt à M. S. Cuspiniani.

DECIVS XXV.

Gallus & Volusianus.
His Coss. Decius lauacra publica ædificauit, quæ suo nomine appellari iussit. Decius cum filio suo in Abricio Thraciæ loco à Gothis occiditur. Cui successit Gallus cum Volusiano filio, qui regnauerunt annis II. mens. IV. sub quibus hi Consules fuerunt.

GALLVS ET VOLVSIANVS XXVI.

Volusianus II. & Maximus.
His Coss. Nouatianus apparuit.
Valerianus & Gallienus.
His Coss. Gallus & Volusianus Interramnæ interfecti sunt. Quibus successerunt Valerianus & Gallienus, qui regnauerunt annis XV. sub quibus hi Consules fuerunt.

VALERIANVS ET GALLIENVS XXVII.

Valerianus II. & Gallienus II.
Maximus II. & Glabrio.
Valerianus III. & Gallienus III.
His Coss. Cyprianus primùm rhetor, deinde Presbyter, ad extremum Carthaginensis Episcopus martyrio coronatur.
Tuscus & Bassus.
His Coss. Valerianus in Christianos persecutione commota, statim à Sapore Persarum Rege capitur, ibique seruitute miserabili consenescit.
Æmilianus & Bassus II.
Secularis & Donatus.

Gallienus IV. & Gentianus.
Gallienus V. & Victorinus.
Albinus & Maximus.
His Coss. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia depopulata per Gothos; aliasque Prouincias Barbarorum quassauit inruptio.
Gallienus VI. & Saturninus.
Valerianus & Lucillius.
Gallienus VII. & Sabinillus.
Paternus & Arcesilaus.
Paternus II. & Marinianus.
Claudius & Paternus III.
His Coss. Mediolani occiditur Gallienus: Cui successit Claudius, qui regnauit anno vno, mensibus IX. sub quo hi Consules fuerunt.

CLAVDIVS XXVIII.

Antiochianus & Orfitus.
Valerianus & Bassus.
His Coss. Claudius barbaros Gothos Illyricum, & Macedoniam vastantes repellit, & Syrmij moritur. Cui successit Quintillus Claudij frater, à Senatu Augustus appellatus, qui XVII Imperij sui die Aquileiæ occiditur. Post quem Aurelianus factus est Imperator, qui regnauit annis V. mensibus VI. sub quo hi Consules fuerunt.

AVRELIANVS XXIX.

Quietus & Voldumianus.
Tacitus & Placidianus.
Aurelianus & Capitolinus.
His Coss. Aurelianum Romæ triumphantem captiui Tetricus & Zenobia præcesserunt.
Aurelian. II. & Marcellinus.
His Coss. Aurelianus templum Soli ædificauit; Romam firmioribus muris circumuallat.
Probus & Paulinus.
Probus II. & Paternus.
His Coss. inter Constantinopolim & Heracleam Aurelianus occiditur. Cui successit Tacitus, qui regnauit mensibus VI. sub quo hi Consules fuerunt.

TACITVS XXX.

Probus III. & Paternus.
His Coss. Tacitus in Ponto occisus est, & obtinuit Florianus Imperium diebus 9. Hoc quoque apud Tharsum interfecto Probus factus est Imperator, qui regnauit annis VI. mensibus III. sub quo hi Consules fuerunt.

PROBVS XXXI.

Messala & Gratus.
His Coss. Galliæ, quæ fuerant à Barbaris occupatæ, à Probo Romano restituuntur Imperio.
Probus IV. & Tiberianus.
Probus V. & Victorinus.
His Coss. insana Manichæorum hæresis in commune humani generis malum exorta.
Carus & Carinus.
Carinus II. & Numerianus.
Diocletianus & Aristobulus.
His Coss. Probus apud Syrmium tumultu militari in turri, quæ vocatur ferrata, occiditur. Cui successit Carus, cum filijs suis, Carino & Numeriano, qui regnauerunt annis II. Sub quibus hi Consules fuerunt.

CARVS XXXII.

Maximus & Aquilinus.
His Coss. quum Carus deuictis Parthis castra supra Tigridem posuisset, fulmine ictus interijt.

Diocletianus II. & Maximianus.

His Coss. Numerianus occiditur: Carinus apud Margum prælio victus interijt.

Post quos Diocletianus Dalmata suscepit Imperium, qui regnauit annis XX. Sub quo hi Consules fuerunt.

DIOCLETIANVS XXXIII.

Maximianus II. & Iannarius.
Bassus & Quintianus.

His Coss. Diocletianus in consortium regni Herculium Maximianum asciuit.

Diocletianus III. & Maximianus III.
Tiberianus & Dion.
Hannibalianus, & Asclepiodotus.
Diocletianus IV. & Maximianus IV.
Constantius & Maximus.

His Coss. Vandali & Halani transito Rheno Gallias intrauerunt.

Tuscus & Annulinus.
Diocletianus V. & Constantius II.
Maximianus V. & Maximus II.
Faustus & Gallus.

His Coss. primus Diocletianus adorari se iussit vt Deum, & gemmas vestibus, calceamentisque conseruit, cum ante eum omnes Imperatores in modum Iudicum salutarentur, & tantùm chlamydem purpuream à priuato habitu plus haberent.

Diocletianus VI. & Maximianus V.
Constantius III. & Maximus III.
Titianus & Nepotianus.
Constantius IV. & Maximus IV.

His Coss. LX. millia Alemannorum cæsa sunt.

Diocletianus VII. & Maximianus VI.
Diocletianus VIII. & Maximianus VII.
Constantius V. & Maximus V.
Constantius VI. & Maximus VI.

His Coss. Diocletianus & Maximianus Augg. insigni pompa Romæ triumpharunt, antecedentibus currum eorum Narsei coniuge, sororibus, liberis, & omni præda, qua Parthos expoliauerant.

Diocletianus IX. & Constantinus.
Diocletianus X. & Maximus VII.

His Coss. Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt ob ætatis defectum: & creati sunt Constantius & Galerius Augusti. Sed Constantius tantùm Augusti dignitate contentus, cum esset occisus, anni ipsius adscribuntur filio eius Constantino, qui natus dicitur ex Helena concubina, qui regnauit annos XXX. menses X. Sub quo hi Consules fuerunt.

CONSTANTINVS ET GALERIVS XXXIV.

P. C. Diocletiani X. & Maximi VII.
* Maximus VIII. & Licinius.
Constantinus II. & Licinius II.
Constantinus III. & Licinius III.
* Volusianus, & Annianus.
* Constantinus IV. & Licinius IV.
Volusianus & Annianus.
Constantinus IV. & Licinius IV.
Sabinus & Rufinus.
Gallicanus & Bassus.
Licinius V. & Crispus.
Constantinus V. & Licinius Cæsar.
Constantinus VI. & Constantinus Cæsar.
Crispus II. & Constantinus Cæsar II.
Probianus & Iulianus.
Seuerus & Ruffinus.
Crispus III. & Constantinus Cæsar III.
Paulinus & Iulianus.
Constantinus VII. & Constantius Cæsar.
Constantius & Maximus.
Ianuarius & Iustus.

His Coss. Vicennalia Constantini Nicomediæ acta, & sequenti anno Romæ edita.

Constantinus VIII. & Constantinus IV.
* Constantius VII. & Symmachus.
Bassus & Ablanius.
Pacatianus, & Hilarianus.

His Coss. quæ priùs Byzantium dicta est, mutato nomine à Constantino Constantinopolis dedicatur.

Dalmatius, & Zenophilus.
Optatus & Paulinus.
Constantius & Albinus.
Nepotianus & Facundus.
Felicianus & Titianus.
Vrsus & Polemius.
Constantius II. & Constans.

His Coss. Constantinus Imperator dum bellum pararet in Persas, in Acyrone villa publica iuxta Nicomediam moritur, anno ætatis LXVI. Post quem tres liberi eius Constantinus, Constantius,

tius, & Constans ex Cæsaribus Augusti regnauerunt annis XXIV. mensibus V. diebus XXIII. Sub quibus hi Consules fuerunt.

CONSTANTINVS CONSTANTIVS ET CONSTANS XXXV.

Acindynus & Proculus.
Marcellinus & Probinus.
Constantius III. & Constans II.
His Coss. Constantinus bellum fratri Constanti inferens, iuxta Aquileiam Alsæ occiditur.
Placidus & Romulus.
Leontius & Salustius.
His Coss. Franci à Constante perdomiti in pacem recepti sunt.
Constantius IV. & Constans III.
Amantius & Albinus.
P. C. Amantij & Albini.
Rufinus & Eusebius.
His Coss. magnis Reipublicæ expensis in Selencia Syriæ portus efficitur.
Philippus & Sallia.
His Coss. Solis facta defectio.
Limenius & Catullinus.
Sergius & Nigrianus.
His Coss. Constans haud longè ab Hispania in castro, cui Helenæ nomen est, interficitur, anno ætatis XXX. & Imperij 13. & Constantius solus mansit in regno.
P. C. Sergij & Nigriani.
Constantius V. & Constans *iunior*.
Constantius VI. & Constans Cæsar II.
Constantius VII. & Constans III.
Arbetio & Lollianus.
His Coss. Victorinus rhetor, & Donatus grammaticus Romæ insignes habentur.
Constantius VIII. & Iulianus Cæsar.
Constantius IX. & Iulianus Cæsar II.
His Coss. magnæ Alemannorum copiæ apud Argentoratum oppidum Galliarum deletæ sunt.
Titianus & Cerealis.
Eusebius & Hypatius.
Constantius X. & Iulianus Cæsar III.
His Coss. Honoratus ex Præfecto Prætorio Galliarum primus Constantinopoli Præfectus Vrbi esse cœpit.
Taurus & Florentius.
Mamertinus & Neuitta.
His Coss. Constantius Mopsocrenis inter Ciliciam Cappadociamque moritur, anno ætatis XLIII. Cui successit Iulianus, qui regnauit anno vno, mens. VIII. sub quo hi Consules fuerunt.

IVLIANVS XXXVI.

Iulianus IV. & Salustius.
His Coss. Iulianus post victoriam apud Persas occiditur, anno ætatis XXXII. Post quem sequenti die Iouianus ex primicerio domesticorum factus Imperator, qui regnauit mensibus VIII. sub quo hi Consules fuerunt.

IOVIANVS XXXVII.

Iouianus & Varronianus.
His Coss. Iouianus Imp. moritur an. ætatis XXXIV. Post quem Valentinianus tribunus scutariorum apud Nicæam Augustus appellatus, fratrem Valentem Constantinopoli ad communionem adsumit Imperij, qui regnauerunt annis XIV. mensibus V. Sub quo hi Consules fuerunt.

VALENTINIANVS XXXVIII.

Valentinianus & Valens.
Gratianus & Dagalaiphus.
Lupicinus & Iouinus.
His Coss. Gratianus Valentiniani filius Am-

Ambianis Imperator factus est. Apud Atrebatas lana cælo, pluuiæ mixta defluxit.

Valentinianus II. & Valens II.

Valentinianus N. P. & Victor.

Valentinianus III. & Valens III.

Gratianus II. & Probus.

Modestus & Arintheus.

Valentinianus IV. & Valens IV.

His Coss. Saxones cæsi. De Vsone in regione Francorum & Burgundionum LXXX. ferè millia, quod nunquam anteà accidit, ad Rhenum descenderunt. Clearchus Præfectus Vrbi Constantinopoli necessariam aquam, & quam diù Ciuitas optabat, induxit.

Gratianus III. & Equitius.

Differunt aliæ editiones. P. C. Gratiani III. & Equitij.

His Coss. Valentinianus apoplexi Brigetione moritur, post quem Gratianus sumpto in Imperium Valentiniano fratre, cum patruo Valente regnat.

Valens V. & Valentinianus Iunior.

Gratianus IV. & Merobaudes.

His Coss. Alemannorum circiter XXX. millia apud Argentariam oppidum Gallorum cæsa ab exercitu Gratiani.

Gothi diffunduntur in Thracia.

Post Conf. Gratiani IV. & Merobaudis.

Valens VI. & Valentinianus II.

His Coss. à Gothis in Thracia Valentis trucidatur exercitus; ipse quoque Imperator incensa domo, vbi se occultauerat, igne combustus est. Cui successit in Oriente Theodosius Theodosij filius, quem sibi in consortium Gratianus asciuit. Gratianus itaque cum XIV. annis regnasset cum Theodosio regnat annis VI. Sub quibus hi Consules fuerunt.

GRATIANVS XXXIX.

Ausonius & Olybrius.

Gratianus V. & Theodosius.

His Coss. Ambrosius Episcopus de Christiana fide multa sublimiter scribit.

Syagrius & Eucherius.

His Coss. Martinus Episcopus Turonum Galliæ ciuitatis clarus habetur.

Antonius & Syagrius II.

His Coss. Athanaricus rex Gothorum Constantinopolim venit, ibique vitam exegit.

Merobaudes II. & Satutninus.

His Coss. Arcadius Theodosij Imperatoris filius Augustus appellatur.

Ricimer & Clearchus.

His Coss. Gratianus apud Lugdunum captus occiditur, residuis Valentinianus & Theodosius regnant annis VIII. Sub quibus hi Consules fuerunt.

VALENTINIANVS ET THEODOSIVS XL.

Arcadius & Bauto.

His Coss. Hieronymus Presbyter in Bethleem positus toto mundo mirabilis habetur.

Honorius N. P. & Euodius.

Valentinianus III. & Eutropius.

Theodosius II. & Cynegius.

Timasius & Promotus.

Valentinianus IV. & Neoterius.

Titianus & Symmachus.

Arcadius II. & Ruffinus.

His Coss. Valentinianus vitæ tædio apud Viennam laqueo perit. Theodosius cum iam per XIV. annos regnasset, cum Arcadio & Honorio filiis regnat annis duobus, sub quibus hi Consules fuerunt.

THEODOSIVS XLI.

Theodosius III. & Habundantius.

Arcadius III. & Honorius II.

His Coss. Ioannes Monachus gratia diuina præditus Theodosium consulentem de euentu belli, quod aduersùs Eugenium mouebat, victorem fore pronuntiat.

Olybrius & Probinus.

His Coss. Theodosius Eugenium tyrannum vincit, & perimit. Augustinus Beati Ambrosij discipulus multa facundia doctrinaque excellens, Hippone regio in Africa Episcopus ordinatur. Hoc tempore Claudianus insignis Poëta ha-

habetur. Theodosius Imperator Mediolani moritur, post quem Arcadius cum iam regnasset annis XII, cum fratre Honorio regnat annis XIII. Sub quibus hi Consules fuerunt.

ARCADIVS ET HONORIVS XLII.

Arcadius IV. & Honorius III.
Cæsarius & Atticus.
Honorius IV. & Eutychianus.
Manlius & Theodorus.
Stilico & Aurelianus.
His Coss. Gothi Alarico & Rhadagiso ducibus ingrediuntur Italiam.
Vincentius & Frauitta.
Arcadius V. & Honorius V.
His Coss. Polentiæ Stiliconem cum exercitu Romano Gothi victum acie fugauerunt.
Theodosius Aug. I. & Rumoridus.
Honorius VI. & Aristenetus.
Stilico II. & Anthemius.
Arcadius VI. & Probus.
His Coss. Wandali, & Alani traiecto Rheno Gallias intrauerunt.
Honorius VII. & Theodosius II.
Bassus & Philippus.
His Coss. Arcadius Imperator Constantinopoli moritur. Honorius cum Theodosio fratris filio regnauit annis XV. Sub quibus hi Consules fuerunt.

HONORIVS ET THEODOSIVS XLIII.

Honorius VIII. & Theodosius III.
His Coss. Vandali Hispanias occupauerunt.
Varron & Tertullus.
His Coss. Roma à Gothis Alarico duce capta est, vbi clementer vsi victoria sunt.
Theodosius Aug. IV. Cos.
Honorius IX. & Theodosius V.
His Coss. Gothi rege Ataulpho Gallias intrauerunt.
Lucius V. C. Cos.
His Coss. Burgundiones partem Galliæ Rheno coniunctam obtinuerunt.
Constantius & Constaus.
Honorius X. & Theodosius VI.
Theodosius VII. & Palladius.
His Coss. Gothi placati Constantio Placidiam reddiderunt, cuius nuptias ipse promeretur.
Honorius XI. & Constantius II.
Honorius XII. & Theodosius VIII.
Monaxius & Plinta.
Theodosius IX. & Constantius III.
His Coss. Constantius ab Honorio in societatem regni recipitur.
Agricola & Eustachius.
His Coss. Constantius Imperator moritur.
Honorius XIII. & Theodosius X.
His Coss. exercitus ad Hispanias contra Vandalos missus est.
Marinianus & Asclepiodotus.
His Coss. Placidia Augusta à fratre Honorio ob suspicionem inuitatorum hostium cum Honorio, & Valentiniano filys ad Orientem mittitur, Honorius moritur, & solus Theodosius Romanorum Imperium tenet annis XXVII. Sub quo hi Consules fuerunt.

THEODOSIVS XLIV.

Castinus & Victor.
His Coss. Theodosius Valentinianum consobrinum Cæsarem facit, & cum Augusta matre ad recipiendum Occidentale mittit Imperium.
Theodosius XI. & Valentinianus Cæsar.
His Coss. Ioannem Tyrannum Valentinianus Imperator extinxit; Hunnosque, qui in Italia erant, Ioannis præsidio per Aëtium mira felicitate dimouit.
Theodosius XII. & Valentinianus II.
Hierius & Ardabures.
His Coss. Bonifacio Africam tenenti infaustè bellum ingeritur. Gens Vandalorum à Gothis exclusa, de Hispanijs ad Africam transit.
Felix & Taurus.
His Coss. Aëtius multis Francis cæsis, quam occupauerant propinquam Rheno Galliarum partem recepit.
Florentius, & Dionysius.
Theodosius XIII. & Valentinianus III.

Baf-

Baſſus & Antiochus.
Aëtius, & Valerius.
Theodoſius XIV. & Maximus.
Aſper & Areobinda.
Theodoſius XV. & Valentinianus IV.
His Coſſ. pax facta eſt cum Vandalis data eis ad habitandum Africæ portione. Gundicarium Burgundionum Regem Aëtius bello ſubegit, pacemque ei reddidit ſupplicanti, quem non multo poſt Hunni peremerunt.
Iſidorus & Senator.
Aëtius II. & Sigiſuultus.
His Coſſ. Aug. Valentinianus ad Theodoſium Principem Conſtantinopolim proficiſcitur, filiamque eius in matrimonium accipit.
Theodoſius XVI. & Fauſtus.
Theodoſius XVII. & Feſtus.
His Coſſ. bellum aduersùs Gothos Hunnis auxiliaribus geritur, & Litorius dux Romanus ab eis capitur. Genſericus, de cuius amicitia nihil metuebatur, Carthaginem dolo pacis inuadit.
Valentinianus Aug. V. & Anatolius.
His Coſſ. Genſericus Siciliam grauiter affligit.
Cyrus V. C. Coſ.
Hoc Coſ. Theodoſius Imperator bellum contra Vandalos inefficaciter mouit.
Dioſcorus & Eudoxius.
His Coſſ. Hunni Thracias & Illyricum ſæua depopulatione vaſtarunt. Cum Genſerico ab Aug. Valentiniano pax confirmata, & certis ſpatijs Africa inter vtroſque diuiſa eſt.
Maximus II. & Paternus.
Theodoſius XVIII. & Albinus.
His Coſſ. Attila Rex Hunnorum Bledam fratrem, & conſortem in regno ſuo perimit, eiuſque populos ſibi parere compellit.
Valentinianus VI. & Nonius.
Aëtius III. & Symmachus.
Callepius & Ardabures.
Poſthumianus & Zeno.
Aſterius & Protogenes.
Valentinianus VII. & Auienus.
His Coſſ. Theodoſius iunior moritur Conſtantinopoli, poſt quem Marcianus adſcitur Imperio, qui regnauit annis VII. Sub quo hi Conſules fuerunt.

MARCIANVS IMPERATOR XLV.

Marcianus Aug. & Adelphius.
His Coſſ. Romani Aëtio duce Gothis auxiliaribus contra Attilam in Campis Catalaunicis pugnauerunt, qui virtute Gothorum ſuperatus abſceſſit.
Herculanus & Aſporatius.
His Coſſ. Attila redintegratis viribus Aquileiam magna vi dimicans introiuit, cum quo à Valentiniano Imperatore Papa Leo directus pacem fecit.
Opilio & Vincomalus.
His Coſſ. Attila in ſedibus ſuis moritur, fluxu ſanguinis è naribus repente ac ſubitò erumpente.
Aëtius IV. & Studius.
His Coſſ. Aëtius Patritius in Palatio manu Valentiniani Imperatoris extinctus eſt. Boëtius verò Præfectus Prætorio amicus eius circumſtantium gladijs peremptus.
Valentinianus VIII. & Anthemius.
His Coſſ. in Campo Martio ab amicis Aëtij Valentinianus Imperator occiditur, poſt quem Maximus inuadit Imperium, qui intra duos menſes à militibus extinctus in Tyberim proijcitur. Eodem anno per Genſericum omnibus opibus ſuis Roma vacuata eſt. Poſt Maximum Auitus in Gallijs ſumit Imperium.
Ioannes & Varran.
His Coſſ. Placentiæ depoſuit Auitus Imperium.
Conſtantinus & Rufus.
His Coſſ. Marciano defuncto Leo Orientis, Maiorianus Italiæ ſuſcepit Imperium. Sub quibus hi Conſules fuerunt.

LEO ET MAIORIANVS XLVI.

Leo Aug. & Maiorianus.
His Coſſ. Maiorianus in Africam mouit procinctum.
Ricimer & Patricius.
Magnus & Apollonius.
Seuerinus & Dagalaiphus.
His Coſſ. Maiorianus immiſſione Ricimeris extinguitur, cui Seuerum natione Lucanum Rauennæ ſuccedere fecit in regnum.

Leo

Leo Aug. II. & Seuerus Aug.
Basilius & Viuianus.
Rusticus & Olybrius.
His Coss. Rex Alanorum Beorgor apud Bergomum à Patricio Ricimere peremptus est.
Ammncricus & Basiliscus.
His Coss. vt dicitur, Ricimeris fraude Seuerus Romæ in palatio veneno peremptus est.
Leo Aug. III. Cos.
Pusæus & Iohannes.
His Coss. Anthemius à Leone Imp. ad Italiam mittitur, qui tertio ab Vrbe miliario in loco Brontotas suscepit Imperium.
Anthemius Aug. II. Cos.
Hoc Cos. in Sicilia Marcellinus occiditur.
Marcianus & Zeno.
His Coss. Ardaburius Imperium tentans iussu Anthemij exilio deportatur.
Seuerus & Sordaues.
His Coss. Romanus Patricius affectans Imperium, capitaliter est punitus.
Leo Aug. IIII. & Probianus.
His Coss. Constantinopoli affectata Tyrannide à Leone Principe Asper occiditur.
Festus & Marcianus.
His Coss. Patricius Ricimer Romæ facto Imperatore Olybrio, Anthemium contra reuerentiam Principis & ius affinitatis cum graui clade ciuitatis extinguit, qui non diutiùs peracto scelere gloriatus, post XL. dies defunctus est. Olybrius autem VII. Imperij mense vitam peregit.
Leo Aug. V. Cos.
Hoc Coss. Gundibalo hortante Glicerius Rauennæ sumpsit Imperium. Eodem anno Leo nepotem suum Leonem consortem facit Imperij.
Leo Iunior Aug. Cos.
Hoc Cos. Imp. Leo senior defunctus est, cui Zeno successit in Imperio: qui regnauit annis XVII. Sub quo hi Consules fuerunt, qui sequuntur. Eo etiam anno Romæ Glicerio nepos successit in regno.

ZENON IMP. ORIENT. XLVII.

Post Conf. Leonis Aug. Iunioris.
Eodem anno Orestes, nepote in Dalmatias fugato, filio suo Augustulo dedit Imperium.
Basiliscus II. & Armatus.
His Coss. ab Odoacre Orestes & frater eius Paulus extincti sunt, nomenque Regis Odoacer assumit, cum tamen nec purpura nec regalibus vteretur insignibus.
P. C. Basilisci II. & Armati.
Hellus V. C. Cos.
Zeno Aug. II. Cos.
Basilius V. C. Iun. Cos.
Placidius V. C. Cos.
Hoc Cos. Odoacer in Dalmatijs custodiam vincit & perimit.
Seuerinus V. C. Cos.
Faustus V. C. Cos.
D. N. Theodericus & Venantius, Symmachus V. C. Coss.
Decius & Longinus.
Boëtius V. C. Cos.
Hoc Cos. Odoacer Febano Rege Rugorum victo, captoque potitus est.
Dinamius & Sifidius.
Probinus & Eusebius.
His Coss. fœlicissimus, atque fortissimus D. N. Rex Theodericus intrauit Italiam. Cui Odoacer ad Sontium pugnam parans, cum tota gente fugatus est. Eodem anno repetito conflictu Veronæ vincitur Odoacer.
Faustus V. C. Cos.
Hoc Cos. ad Adduam fluuium Odoacrem D. Theodoricus Rex tertio certamine superauit, qui Rauennam fugiens obsidetur interclusus.
Olybrius V. C. Cos.
Hoc Cos. Odoacer cum Herulis egressus Rauenna, nocturnis horis ad Pontem Candidum à D. N. Rege Theoderico memorabili certamine superatur: Tunc etiam Vandali pace suppliciter postulata, à Sicilia solita depradatione cessarunt. Eodem anno Zeno occubuit Constantinopoli. Cui Anastasius in Orientis successit Imperio.

ANASTASIVS XLVIII.

Anastasius Aug. & Rufus.

Albinus V. C. Cos.

Hoc Cos. D. N. Rex Theodericus Rauennam ingressus Odoacrem molientem sibi insidias interemit.

Asterius & Prosidius.

Viator V. C. Cos.

Paulus V. C. Cos.

Anastasius Aug. II. Cos.

Paulinus & Ioannes.

Ioannes V. C. Cos.

Patricius & Hypatius.

Hoc anno D. N. Rex Theodericus Romam cunctorum votis expetitus aduenit, & Senatum suum mira affabilitate tractans Romæ Plebi donauit annonas, atque admirandis mœnibus deputata per annos singulos maxima pecuniæ quantitate, subuenit. Sub cuius felici Imperio plurimæ renouantur vrbes, munitissima Castella conduntur, consurgunt admiranda palatia, magnisque eius operibus antiqua miracula superantur.

Auienus & Pompeius.

Auienus & Probus.

His Coss. D. Theodericus aquam Rauennam perduxit, cuius forinas sumptu proprio instaurauit, quæ longis ante fuerat ad solum reducta temporibus.

Cethegus V. C. Cos.

Hoc Cos. virtute D. N. Regis Theodorici victis Bulgaribus, Syrmium recepit Italia.

Theodorus & Sabinianus.

Messalla & Areobinna.

Anastasius Aug. III. & Venantius.

Venantius II. & Celer.

His Coss. contra Francos à D. N. destinatur exercitus, qui Gallias Francorum deprædatione confusas, victis hostibus ac fugatis, suo adquisiuit Imperio.

Importunus V. C. Cos.

Boetius V. C. Cos.

Felix & Secundinus.

Paulus & Moschianus.

* 1031. Probus, & Clementinus.

Senator V. C. Cos.

Me etiam Cos. in vestrorum temporum
† 5721. *adunato clero vel populo Romanæ Ecclesiæ rediit optata concordia.*

Florentinus & Anthemius.

His Coss. D. Rex Theodoricus filiam suam dominam Amalasuintam gloriosi viri D. N. Eutharici matrimonio Deo auspice copulauit.

Petrus V. C. Cos.

Anastasius & Agapitus.

Magnus V. C. Cos.

D. N. Eutharicus Cillica & Iustinus Aug. Coss.

Eo anno multa vidit Roma miracula editionibus singulis, stupente etiam Symmacho Orientis legato. Diuitias Gothis Romanisque donatas dignitates cessit in curia, muneribus Amphitheatralibus diuersi generis feras, quas præsens ætas pro nouitate miratur, exhibuit. Cuius spectaculis voluptates etiam exquisitas Africa sub deuotione transmisit. Cunctis itaque eximia laude completis tanto amore ciuibus Romanis insederat, vt eius adhuc præsentiam desiderantes Rauennam ad gloriosi patris remearet aspectus. Vbi iteratis editionibus tanta Gothis, Romanisque dona largitus est, vt solus potuerit superare quem Roma celebrauerat Consulatum.

Igitur vt effusam annorum seriem auctorum testificatione digestam sub breuitatis compendio redigamus.

Ab Adam vsque ad Diluuium, sicut ex Chronicis Eusebii, & Hieronymi collegimus, anni sunt ∞ ∞ CCXLII.

A Diluuio vsque ad Ninum Assyriorum Regem anni sunt DCCCXCIX.

A Nino vsque ad Latinum Regem anni sunt DCCCLII.

A Latino Rege vsque ad Romulum anni sunt CCCCLVII.

A Romulo vsque ad Brutum & Tarquinium primos Consules anni sunt CCXLII.

A Bruto & Tarquinio vsque ad Consulatum vestrum, sicut ex Tito Liuio & Aufidio Basso, & Paschali virorum clarorum auctoritate firmato collegimus anni sunt MCCLXX. *

Ac sit totus ordo sæculorum vsque ad Consulatum vestrum colliguntur anni VDCCXLI. †

Obseruatio in Cassiodori Chronicon.

VBI de anno Vrbis millesimo, & ætate Philipporum egimus Dissertatione secunda, paucis verbis indicauimus, quot quantosque labores pertulimus in perquirẽdo manuscripto huius Chronici exemplari, quod hucusque nec intra, nec extra Vrbem reperire potui. Omnes Cassiodori Codices Bibliothecæ Vaticanæ, Regiæ Alexandrinæ, Palatinæ, Vrbinatensis, Barbarinæ, Altemsianæ, nunc Ottobonæ, peruolui, nec vllum Chronici illius exemplar in ijs reperi. Ad amicos litteras dedi, vt in celeberrimis Bibliothecis extra Vrbem illud perquirerent, sed frustra: operam enim omnem, laboremque perdidi, animaduertens non solùm in Italia, sed etiam in Gallijs Manuscriptorum huius Chronici exemplaria desiderari. Postremùm didici ex nouissima editione Rotomagensi opera & studio I. Garetij Monachi Benedictini anno 1679. publicata, in cuius præfatione Auctor fatetur, se Cassiodori Chronicon non quidem ad fidem mss. Codicum, sed antiquiorum Cuspiniani, & Onuphrij Panuinij editionum emendasse. Edidit Onuphrius anno 1588. Cassiodori Chronicon, qui plurimum in illud inuehitur ob grauissimos errores in fastis Consularibus à Tiberio Cæsare vsque ad Diocletianum commissos. Nos maiori ratione in illud Opus excandescere debebimus ob nouos errores, qui non in fastis tantum, sed in annis quoquè Imperatorum irrepserunt. Quàm multa enim post Onuphrij editionem aut scribarum imperitia, aut typographorum incuria amota sint, facilè conijcitur ex Philippi imperio, cui dum sex annos tribuit, octo Consulatus ætate ipsius recenset, & annum Vrbis millesimum in Consulatum quintum à suscepto per Philippum imperio reijcit. Quid dicam de penultimis Consulibus Anastasio nimirum & Agapito, ac Magno, quos Onuphrius ipse, ac alij omnes, qui eum subsequuti sunt, in recentioribus editionibus vsque ad nouissimam Rotomagensem omiserunt? Porrò in nouissima editione illa nec errores illi in Chronico correcti sunt, sed in margine emendati ex editione Cuspiniani, qui primum Chronicon illud ediderat, correctius exemplar nactus, de quo ad finem monet Lectorem his verbis: *Vnicum habui Cassiodori exemplar, quod meus Stabius homo acerrimi ingenij mihi attulit, & id plerisque in locis mutilum, ac penè abrasum fuit.* Porrò ex hoc Cuspiniani Codice Chronicon Cassiodori correctius edidi: ex hoc enim plura verba adiunxi, quæ sensum integriorem reddunt;

Consulum nomina, quæ corrupta erant, emendaui; notas numerales, quæ in plerisque rebus, & annis Imperatorum computandis deerant, suppleui; annum quoquè Vrbis millesimum suo Consulatui restitui; & aliquot Consulum paria, quæ desiderabantur, retuli. Tu interim Lector beneuole laborem hunc meū recti, bonique consule, & si manuscriptum melioris notæ exemplar nanciscaris, ex quo Chronicon illud emendatius vulgari potest, operam, laboremque tuum feliciter in alia huius Chronici editione impende.

14.

Ex Codice Colbertino 240. & ex editione Arnaldi Pontaci Vasatensis Episcopi, Fragmenta Fastorum ab anno 14. Valentis, & Christi 381. vsque ad annum 32. Iustiniani Augusti, & Christi 557. prout habentur in M. S. Codice Francisci Pithoei. Laterculus Fastorum Consularium ab Ausonij, & Olybrij Consulatu, ad XVII. Post-Consulatum Basilij. Conf. Ordenari post Sanctum Hieronymum constitutum.

Ad calcem Notarum Arn. Pontaci in Eusebij, Hieronymi & Prosperi Chronicon editionis Burdigalensis 1604. pag. 801. est aliqua diuersitas quoad hunc laterculum.

Error

	AVsonio & Olybrio.
* I.	Gratiano V. & Theudosio.
† VI. & Aristeneto.	Syagrio, & Eucherio.
	Antonio, & Siagrio.
* VI.	Merobaude II. & Saturnino.
* Ponr. Cliarco.	Ricomede, & * Cliano.
† VII.	Arcadio, & Bacone.
	Honorio, & Euodio.
* Varane.	Valentiniano III. & Eutropio.
	Theudosio II. & Cinegio.
* IX	Timasio, & Promoto.
† IV. & Neoterio.	Valentiniano † III. & Euterio.
* Luciano.	Taciano, & Simmacho.
† Pontac. Constantio.	Arcadio II. & Rufino.
	Theudosio III. & Abundancio.
	Arcadio III. & Honorio.
	Olibrio, & Rufino.
	Arcadio IV. & Honorio III.
	Cæsario, & Attico.
	Honorio IV. & Eutieiano.
	Theudoro V. C.
	Stelicone V. C.
† Frauita.	Vincentio, & † Fabrito.

Arcadio II. & Honorio II.
Theudosio * IV. & Rumorido.
Honorio † VII. & Aristone.
Stelicone II. & Anthemio.
Arcadio * VII. & Probo.
Honorio † VIII. & Theudosio II.
Basso V. C. & Philippo.
Honorio VIII. & Theudosio III.
* Varone V. C.
Theudosio IV.
Honorio * VIII. & Theudosio V.
* Lucio V. C. COSL.
† Constantino, & Constante.
Honorio X. & Theudosio VI.
Theudosio VII. & Palladio.
Honorio XI. & Constantio II.
Honorio XII. & Theudosio VIII.
Monaxio, & Plinta.
Theudosio IX. & Constantio III.
Agrecula, & Eustathio.
Honorio XIII. & Theudosio X.
Mariniano, & Asclipiodoto.
Castino V. C. CONSL.

Theu-

Theudosio * XII. & Valentiniano I. * XL.
Theudosio XII. & Valentiniano II.
Hierio, & Ardabura.
Felice, & Tauro.
Florentio, & Dionisio.
Theudosio XIII. & Valentiniano III.
Basso, & Antiocho.
Aëtio, & Valerio.
Theudosio XIV. & Maximo.
Aspare, & Ariouindo.
Theudosio XV. & Valentiniano IV.
Isidoro, & Senatore.
Aëtio, & Segisuulto.
Theudosio XVI. & Fausto.
Valentiniano V. & Placido.
Caro V.C.CSL.
Dioscoro VC.CSL.
Maximo II. & Paterio.
Theudosio XVIII. & Albino.
Valentiniano VI. & Nomo.
Aëtio III. & Symmacho.
Calepio, & Ardabure.
Postumiano, & Zenone.
Valentiniano VII. & Abieno.
Afterio, & Protogene.
Valentiniano, & Abieno.
Adelfio VC.CSL.
Ereulano VC. CSL. * Vllus.
Opilione VC.CSL. Basilio.
Aëtio, & Studio.
Valentiniano VIII. & Antemio.
Ioanne, & Suarane.
Constantino, & Rufo.
Leone, & Maioriano.
Recimere & Patricio.
Magno, & Apollonio.
Seuerino, & Gadalfio.
Leone Aug. II. & Seuero.
Basilio.
Olybrio.
Basilico, & Armantico.
Leone Aug. III.
Psoeo & Ioanne.
Anthemio.
Martiano, & Leone.
Seuero.
Leone IV. & Probiano.
Festo, & Marciano.
Leone V.
Leone iuniore.
Zenone.
Basilico, & Armato.
Zenone III.
Vllus.
Basilio.
Placido.
Seuerino.
Fausto.

Venantio & Theudorico.
Symmacho.
Decio, & Longino.
Beotio.
Dynamio, & Sifidio.
Probino, & Eusebio.
Fausto, & Longino.
His Coss. Theodoricus Rex intrauit Italiã.
P. C. †
Venantio.
Venantio Basilio iuniore.
Importuno.
Boëtio.
Felice.
P. C.
Probo.
Senatore.
Florentio.
Petro.
Agapito.
P. C.
Euterico, & Rusticiano.
Valerio.
Symmacho, & Boëtio.
P. C.
Maximo.
Opilione.
Probo iuniore.
Elebrio.
Mauortio.
P. C. Mauortio.
Decio.
Lampadio, & Oreste.
P. C. Lampadio, & Oreste.
Lampadio III. & Oreste. §.
Paulino iuniore.
Paulino I. & Bisilario I.
Paulino II. & Bisilario II.
Paulino III. & Bisilario III.
Paulino IV. & Ioanne.
Paulino V. & Ioanne II.
Paulino VI. & Appione.
Paulino VII. & Appione II.
Basilio.
P. C.
It. P. C.
Ter. P. C.
IV. P. C.
V. P. C.
VI. P. C.
VII. P. C.
VIII. P. C.
IX. P. C.
X. P. C.
XI. P. C.
XII. P. C.
XIII. P. C.
XIV. P. C.

XV.

† Apud Pontacum hic inseruntur 16. Consulatus.
Olybrio.
Anastasio & Ruso
Albino & Eusebio.
Asterio & Præsidio.
Viatore.
P. C.
II. P. C.
Paulino
P. C.
Patricio & Hypatio.
Abieno.
Abieno Probo V. C.
Volusiano.
Ceteo.
Theodoro.
Messala.
* Sic

§. Pontac. inserit hic III. Lampadio IV. & Oreste IV.

XV. P. C.
XVI. P. C.
XVII. P. C.

15.

Laterculus Consulum post Chronicon Senatoris. Ex eodem Codice Colbertino 240.

RVsticus, & Vitalis Augg. Conss.	Iustinus iunior V. C.
Valerius, & Iustinianus VV. CC.	Basilius V. C.
Symmachus, & Boëtius VV. CC.	P. C. Basilij V. C.
Maximus V. C.	Et it. P. C. Basilij V. C.
Opilio, & Iustinus Augg. VV. CC.	III. P. C. Basilij V. C.
Probus, & Filoxenus VV. CC.	IV. P. C. Basilij V. C.
Olibrius V. C.	V. P. C. Basilij V. C.
Maburtius V. C.	VI. P. C. Basilij V. C.
Iustinianus Aug. II. V. C.	VII. P. C. Basilij V. C.
Decius V. C.	VIII. P. C. Basilij V. C.
Lampadius, & Orestis VV. CC.	IX. P. C. Basilij V. C.
P. C. Lampadi, & Orestis VV. CC.	X. P. C. Basilii V. C.
Iustinianus Aug. III. Conss.	XI. P. C. Basilij V. C.
Iustinianus Augg. IV. & Paulinus Conss.	XII. P. C. Basilij V. C.
Belisarius V. C.	XIII. P. C. Basilij V. C.
P. C. Bilisari V. C.	XIV. P. C. Basilij V. C.
It. P. C. Bilisari V. C.	XV. P. C. Basilij V. C.
Iohannis V. C.	XVI. P. C. Basilij V. C.
Appius V. C.	XVII. P. C. Basilij V. C.

16.

CHRONICON S. ISIDORI

Hispalensis Episcopi à Caio Cæsare vsque ad Heraclium Imperatorem, & Sisebuti Regis Principatum. Ex manuscripto Codice 609. Bibliothecæ Vrbino-Vaticanæ longè diuersum ab edito. Hìc incipit sexta sæculi ætas, cum qua currit & septima. Hìc incipit Regnum Romanorum.

Collatum cum M. S. Vaticano & editis.

DE CAIO IVLIO.

Vatic. *an.* 4. sed edita 5. in quibus nonnulla exhibentur de victorijs Cæsaris, quæ in M. S. Vrbino-Vaticano desunt.

CAius Iulius Cæsar *annis quinque* regnauit. Hic primus Romanorum singularem obtinuit Principatum, à quo etiam Cæsares appellati sunt.

DE

DE OCTAVIANO.

Octauianus Augustus annis 56. & mensibus sex regnauit, cuius Imperio *. 69. hebdomadæ in Daniele scriptæ complentur: & cessante Regno, ac Sacerdotio Iudæorum Dominus noster IESVS Christus ex Virgine nascitur Regni eius anno 42.

* Vatic. 70. *hebdo.* & ita quoquè edita, quæ bellorum ab Augusto gestorum memoriam faciunt, quæ hic desunt.

DE TYBERIO.

Tyberius filius Augusti *annis* 23. regnauit. Huius decimo quinto anno Dominus noster IESVS Christus baptizatus est, & prædicare cæpit; decimo octauo autem crucifixus est: peractis à principio mundi annis quinque millibus ducentis viginti & octo.

Vatic. *ann.* 24. sed edita 23. quæ omninò differunt in actis Tyberij à M. S. Vrbinate.

DE C. CALIGVLA.

Caius Caligula *annis quatuor* regnauit. Hic in Deos se transferens in templo Ierosolymorum statuam † sub nomine suo poni iussit. Per idem tempus Matthæus Apostolus Euangelium primus conscripsit in Iudæa.

Vatic. *an.* 3. *mens.* 10. edita *an.* 4.

† Statuam: addit Vatic. *Iouis*, & edita addunt *Olympij*, habentque nonnulla, quæ hic desunt.

DE CLAVDIO.

Claudius annis 14. regnauit. Petrus Apostolus ad superandum Simonem Magum, Romam pergit. Marcus quoquè Euangelista Alexandriæ Christum euangelizat.

DE NERONE.

Nero *annis* 13. regnauit. Huius temporibus Simon Magus, cum altercationem proposuisset cum Petro & Paulo Apostolis, dicens se quandam virtutem Dei magnam esse, medio die, dum ad Patrem volare promittit in cœlum; à Dæmonibus, à quibus in aëra ferebatur, adiurantes eos videlicet Petro per Dominum IESVM, Paulo verò orante, dimissus crepuit; ob cuius necem à Nerone Petrus crucifigitur, Paulus gladio cæditur. Hac tempestate Persius poëta moritur; Lucanus quoquè, ac Seneca Præceptores Neronis interficiuntur.

Vatic. & edita *ann.* 14. Adduntur plura in editis de interfectis à Nerone parentibus, & Senatoribus, Vrbisque incendio, quæ tam in Vaticano, quàm hoc Vrbinate Codicibus desunt.

DE

DE VESPASIANO.

* Post *regnauit*, habentur in editis nonnulla de peritia militari Vespasiani, quæ hic, & in Cod. Vatic. desunt, vbi quoquè desunt vltima hæc verba: *Quia Christum occiderunt*.

Vespasianus annis decem regnauit. *Huius secundo anno Tytus Ierosolymam capit, atque subuertit, vbi vndecies centena millia Iudæorum fame & gladio perierunt. Sed & præter hos centum millia publicè venumdati sunt, quia Christum occiderunt.

DE TITO.

Consonant edita, & Vatic.

Titus annis duobus regnauit. Iste in vtraque lingua tam facundissimus extitit, vt causas latinè ageret; poëmata, & tragœdias græcè componeret. Tantò autem is bellicosissimus fuit, vt in expugnatione Ierosolymorum militans 12. propugnatores, duodecim sagittarum confoderet ictibus. Porrò in Imperio tantæ bonitatis fuit, vt nullum omninò puniret, sed conuictos aduersùm se coniuratione dimitteret, atque in eadem familiaritate, quam antè habuerat, retineret. Huius etiam inter omnia fuit illud celebre dictum, perdidisse se diem, qua boni nihil fecisset.

DE DOMITIANO.

Vatic. *ann*. 15. & *mens*. 5. edita *ann*. 16.

In editis: *relegatus Apocalypsim scripserit*. Et Vrb. concinit Vatic.

Domitianus frater Titi *annis* 15. regnauit; post Neronem secundus Christianos persequitur, sub quo & Apostolus Ioannes in Pathmos Insulam in exilium *relegatur*. Iste multos Senatorum in exilium mittit, cunctosque, qui de genere Dauid erant, interficit: iussit vt nullus Iudæorum ex regali superesset origine.

DE NERVA.

Nerua anno vno regnauit, sub quo ab exilio Ioannes Apostolus rediit, atque efflagitatus ab Asiæ Episcopis Euangelium nouissimè edidit.

DE TRAIANO.

Vatic. *ann*. 19. *mens*. 6.

* Vatic. *Post Alexandrum successit*. Edita addunt nonnulla de eius gestis, & dictis, quæ in vtroque M. S. desunt.

Traianus *annis decem & nouem* regnauit. Ille Asia, & Babilonia capta vsque in Indiæ fines * *pro Alexandro accessit*. Huius temporibus Simon Cleophas Ierosolymorum Episcopus crucifigitur, & Ioannes Apostolus requiescit.

DE

DE HELIO.

Helius Adrianus *annis* 20. *& vno* regnauit. Hic Iudæos secundò rebelles sibi subiugauit, Vrbemque Ierosolymam restaurat, eamque sub nomine suo Eliam vocauit. Per idem tempus Aquila Ponticus Interpres secundus post Septuaginta oritur, & Basilides Heresiarches agnoscitur.

Edita & Vatic. in hoc etiam & in cæteris concordant, nisi quòd edita addant nonnulla de Prouincijs Orientis Persis redditis, & in margine Cod. Vatic. scriptum sit: *A temporibus huius vsque ad Imperium Constantini Iudæor. . . per ãnos 180. in loco Resurrectionis simulacrum Iouis in crucis rupe statua Veneris à gentilitatibus venerata est.*

DE ANTONIO.

Antonius Pius annis 22. regnauit. Iste ob Olementram tale cognomentum accepit, quia in omni Regno Romano cautionibus incensis, cunctorum debita relaxauit; vnde & Pater Patriæ appellatur. *Eo regnante Valentinus, & Martion Heresiarchæ produntur, atque Galienus medicus Pergamo genitus Romæ clarus habetur.

*Concinit M. S. Cod. Vat edita post *appellatur* addunt: *Iste primus Imperium Romani Orbis cum Antonino iuniore æquata potestate diuisit*. Quæ absunt ab vtroque Cod. M. S.

DE ANTONIO.

Antonius minor annis decem & nouem regnauit. Montanus Cathafriganus auctor, & Titianus, à quo hæresis Increticarum exorta est.

Vat. *Antoninus minor regnauit annos XI.* in cæteris concinit cum Vrb. Edita: *regnauit an. 18. Hic ad Parthos profectus Seleuciam Assyriæ Vrbem cum quadringentis millibus hominum cepit, de Persis & Parthis triumphauit*. Quæ desunt in vtroque Cod. M. S.

DE COMMODO.

Commodus annis tredecim regnauit. Theodosion Ephesius Interpres tertius apparuit, atque Hireneus Episcopus Lugdunensis in doctrina habetur insignis.

DE HELIO.

FAstos hos nunc primùm ex græco in latinum idioma translatos edimus restitutis ordini suo Consulibus, qui duobus in locis perturbatus erat in textu Græco apud Dodvvellum, qui affirmat, se non adeò *polliceri magnificè: sunt enim illi,* inquit de Fastis, *admodùm barbari, & è variis Fastorum fragmentis diuersorumque forsan auctorum hinc inde concinnati. Ad an. Dom.* 457. *sexaginta Consulum paria omissa sunt, quæ tamen posteà interpolata reperies: eo ipso anno condidit Fastos suos Victorius; ergo suspicatus eram, auctorem nostrum vel Victorianos Fastos eousque descripsisse, inde ex alio aliquo Paschalis Cycli conditore reliquos attexuisse, vel aliunde ad Victorij tempora perductos, è Victorij saltem continuatore suppleuisse. Sed neutro in loco conueniunt, & è Græco potiùs aliquo Scriptore nostrum accepisse verisimile est.* Et infrà notatis quibusdam erroribus: *Nec tamen vlla id genus monumenta Chronologica indigna censeo, quæ in lucem edantur, nedum hosce Fastos, quos Imperatoris Heraclij fuisse suspicor, vt proinde pro proximis Heraclio temporibus omni fide videantur esse dignissimi.* Hactenus Dodvvellus, qui nullam rationem affert, cur hos Fastos Heraclio Imperatori adscripsit, sed ingenuè fatetur, hanc suam opinionem sola coniectura inniti. Vnde Du-Cange, qui in Appendice ad Chronicon Paschale eosdem hos Fastos græcè ex Dodvvello edidit, hunc illis titulum præposuit: *Fasti Græci ex apographo Vossiano ab anno* 223. *ad annum* 630. vbi nullam Heraclij mentionem facit: qua in re sententiam Du-Cange secuti sumus. Porrò ex græco fideliter hos Fastos edimus cum suis erroribus, præterquàm in quibusdam, vt annotauimus, notis numeralibus, quia eos potiùs librarij incuria, quàm auctoris ignorantia irrepsisse existimarem: vbi autem aliquid à me in numeris mutatum est, in margine annotaui.

21.

Ex 900. ann. Cod. 511 Bibliot. Reg. Suecia, continente libellum minorem Ven. Bedæ de Temporibus.

SExta Aetas continet annos præteritos DCCVII.

Octauianus annos LVI. Huius anno XLII. Dominus nascitur completis ab Adam annis IIIDCCCCLII. iuxta alios VCXCIX.

Tiberius an. XXIII. Huius anno XVIII. Dominus crucifigitur.

Gaius annos IV. Matthæus Euangelista scribit.

Claudius an. XIV. Petrus Romam, Marcus Alexandriam petit.

Nero annos XIV. Petrus & Paulus cruci gladioque traduntur.

Vespasianus an. X. Huius secundo anno Titus Hierosolymam subuertit.

Titus an. II. Hic facundus & pius fuit.

Domitianus an. XVI. Ioannes in Patmos religatur.

Nerua an. I. Iohannes Apostolus Ephesum rediens Euangelium scripsit.

Traianus an. XIX. Symon Ierosolymorum Episcopus crucifigitur, & requiescit Ioannes Apostolus.

Hadrianus an. XII. Aquila interpres habetur.

Antoninus Pius an. XXII. menses III. Valentinus, & Marcion agnoscuntur.

Antoninus minor an. XIX. Cataphrygarum hæresis exoritur.

Commodus an. XIII. Theodosion interpres habetur.

Helius an. I. Pertinax. Seuerus Pertinax an. XVIII. Symachus interpres habetur.

Antoninus Caracalla an. VII. Quinta editio Hierosolymis inuenitur.

Macrinus an. I.

Aurelius Antoninus an. IV. Sexta editio Nicopoli reperitur.

Alexander an. XIII. Origenes Alexandriæ claruit.

Maximus an. III. Hic persequitur Christianos.

Gordianus an. VII. Fabianus Episcopus Romæ celebratur.

Philippus an. VII. Hic primus Christianus Imperator fuit.

Decius an. I. Antonius Monachus claruit.

Gallus & Volusianus an. II. Nouatiana hæresis exoritur.

Valerianus an. XV. cum Gallieno. Cyprianus martyrio coronatur.

Claudius an. II. Paulus Samusatenus heresim condidit.

Aurelianus ann. V. Hic perse-

quitur Christianos.

Tacitus an. I.

Probus an. VI. Manichęorum hærę sis exorta est.

Carus an. II. Iste de Persis triumphauit.

Diocletianus, & Maximianus an. XX. Iste persequitur Christianos.

Maximus, & Seuerus an. I.

Constantinus an. XXXI. Nicęna Synodus congregatur.

Constantius & Constans an. XXIV. Ossa Andreæ & Lucæ Constantinopolis transferuntur.

* Sic

Iulianus an. II. Hic ex Christiano paganus persequitur Christianos.

Iouinianus an. I. Hic cum omni exercitu Christianus efficitur.

Valentinianus an. XI. qui à Iuliano ob fidem Christi militia fuerat priuatus.

Gratianus an. VI. Ambrosius, & Martinus Episcopi SS. claruerunt.

Valentinianus cum Theodosio an. IX. Ieronymus in Bethleem prædicatur.

Theodosius an. III. cum Arcadio & Honorio. Anachoreta Ioannes claruit.

Arcadius an. XIII. cum fratre Honorio. Chrysostomus, & Augustinus Episcopi prædicantur.

Honorius an. XII. cum Theodosio minore. Cyrillus Alexandriæ claruit.

Theodosius minor an. VI. Ephesina Synodus Nestorium condemnat.

Martianus an. VII. Calcedonense Concilium geritur.

Leo minor an. XVII. Aegyptus errore Dioscori latrat.

Zenon an. XVII. Corpus Barnabæ Apostoli reperitur.

Anastasius an. XXVI. Fulgentius Episcopus prædicatur.

Iustinus an. IX. Acephalorum hæresis appellatur.

Iustinianus an. XXIX. Huius verò anni * primus Dionysij Circulus inchoat.

Iustinus ann. XI. Armeni fidem Christi suscipiunt.

Eraclius ann. XXXVII. Iudęi in Hispania Christiani efficiuntur.

Eradonas cum matre sua Martina ann. II.

Constantinus filius Eradi menses VI.

Constantinus filius Constantini an. XXVIII. Eclipsis solis facta est indict. VII. VI. Nonas Maias.

Constantinus filius Constantini superioris an. XVI. Hic Sextam Synodum composuit.

Iustinianus filius Constantini a. X. Africa restaurata est Imperio Romanorum.

Leo an. III.

Tiberius dehinc V. agit annum indict. I. Reliquum sextæ ætatis Deo soli patet.

FINIT.

Explicit libellus minor Bedæ de Temporibus.

Ex

22.

Ex Antiquo octingentorum sexaginta quinque annorum Codice M. S. Bibliothecæ Palatino-Vaticanæ Catalogus Romanorum Pontificum sub hoc titulo,

Episcoporum Romanæ Vrbis nomina.

1. BEatus Petrus Apostolus, & Princeps Apostolorum Antiochenus filius Ioannis, Prouinciæ Galilææ, Vico Bethsaida, frater Andreæ, primùm sedit Cathedram Episcopatus in Antiochia an. 6. & in Romam ingressus sub Nerone Cæsare, ibique sedit annis 25. m. 2. d. 4. Hic scripsit duas Epistolas, quæ Canonicæ nominantur, & Euangelium Marci, & ordinauit Episcopos tres, Linum, & Cletum, & Clementem, & Presbyteros X. & Diaconos VIII.

2. Linus natione Italus Regionis Tusciæ, patre Herculano; sedit annis XI. m. III. d. XI. Hic ordinauit Episcopos XV. Presbyteros XVIII.

3. Cletus natione Romanus de Regione Vico Patritij, patre Emiliano, sedit annis XII. m. I. d. XI. Hic ex Beati Petri præcepto 25. Presbyteros ordinauit in Roma, alia manu: *Sub Vespasiano & Tito Imperatore.*

4. Clemens natione Romanus de Regione Cælio Monte ex patre Faustino, sedit annis IX. m. II. d. X. Hic ordinauit Episcopos XV. Presbyteros X. Diaconos II. alia manu: *Sub Domitiano, & Nerua, & Traiano Imperatore.*

5. Anacletus natione Græcus de Athenis ex patre Antiocho, sedit annis IX. m. II. d. X. Hic ordinauit Episcopos VI. Presbyteros V. Diaconos III. alia manu: *Sub Traiano Imperatore.*

6. Euaristus natione Græcus ex patre Iudæo nomine Iuda, de Ciuitate Bethleem, sedit annis IX. m. X. d. II. Hic ordinauit Episcopos V. Presbyteros VI. Diaconos II. alia manu: *Sub Traiano Imperatore.*

7. Alexander natione Romanus ex patre Alexandro de Regione Caput Tauri, sedit annis X. m. VI. d. II. Hic constituit aquam sparsionis cum sale benedici. Hic ordinauit Episcopos V. Presbyteros VI. Diaconos II. alia manu: *Sub Traiano Imperatore, & sub Aelio Hadriano Imper.*

8. Xystus natione Romanus & patre Pastore de Regione Violata, sedit annis X. m. II. d. I. Hic

constituit, vt ministeria sacrata non tangerentur nisi à Ministris. Hic ordinauit Episcopos IV. Presbyteros XI. Diaconos IV. alia manu: *Sub Hadriano Imperatore*.

9. Telisphorus natione Græcus ex Anachorita, sedit annis XXI. m. III. Hic constituit, vt septem hebdomadas ante Pascha ieiunium celebraretur, & in Natale Domini in nocte, vt missæ celebrarentur, & Gloria in excelsis Deo caneretur. Hic ordinauit Presbyteros XII. Diaconos VIII. alia manu: *Sub Antonino Pio Imperatore*.

10. Yginus natione Græcus ex Philosopho de Athenis, cuius genealogiam non inueni, sedit annis IV. m. III. d. IV. Hic Clerum composuit, & distribuit gradus Ecclesiasticos. Hic ordinauit Episcopos VI. Presbyteros XV. Diaconos V. alia manu: *Sub Antonino Pio Imperatore*.

11. Pius natione Italus ex patre Rufino frater Pastoris de Ciuitate Aquilæ, sedit annis XVIII. m. IV. d. III. Hic Angelo monente præcepit Pascha die Dominico celebrari. Hic ordinauit Episcopos XII. Presbyteros XIX. Diaconos XXI. alia manu: *Sub Antonino Pio Imper*.

12. Anicetus natione Syrus ex patre Ioanne de Vico Vmisa, sedit annis X. m. IV. d. III. Hic constituit, vt Clericus comam non nutriret. Hic ordinauit Episcopos IX. Presbyteros XVII. Diaconos IV.

13. Sother natione Campanus ex patre Concordio de Ciuitate Fundis, sedit annis IX. m. VI. d. XII. Hic constituit, vt nulla Monaca pallam sacratam tangeret, nec incensum poneret in S. Ecclesiam. Hic ordinauit Episcopos XI. Presbyteros VIII. Diaconos IX.

14. Eleuther natione Græcus ex patre Abundio, de oppido Nicopoli, sedit annos XV. m. III. d. II. Hic constituit, vt nulla esca à Christianis repudiaretur, quæ rationabilis, humanaque esset. Hic ordinauit Episcopos XV. Presbyteros XII. Diaconos VIII.

15. Victor natione Afer à patre Felice, sedit annos X. menses II. dies X. Hic constituit, vt Pascha die Dominico celebraretur, sicut & Pius. Hic ordinauit Episcopos XII. Presbyteros IV. Diaconos VII.

16. Zephirinus natione Romanus ex patre Abundio sedit annos VIII. menses VII. dies X. Hic ordinauit Episcopos XIII. Presbyteros IV. Diaconos VII.

17. Calistus natione Romanus ex patre Domitio ex Regione Rauenantium, sedit annos VI. menses II. d. X. Hic ordinauit Episcopos VIII. Presbyteros XVI. Diaconos III. & alia manu: *Sub Marco Aurelio Imperatore*.

18. Vrbanus natione Romamanus ex patre Pontiano, sedit annos IV. menses X. dies XI. Hic ordi-

ordinauit Episcopos VIII. Presbyteros VI. Diaconos V. Et alia manu: *Sub Aurelio Alexandro Imper.*

19. Antherus natione Græcus ex patre Romulo, sedit annos XII. m. I. dies XII. Hic gesta Martyrum diligenter exquisiuit; hic ordinauit Episcopum I. Et alia manu: *Sub Maximo Imper.*

20. Pontianus natione Romanus ex patre Calpurnio, sedit annos IX. menses V. dies II. Hic ordinauit Episcopos VI. Diaconos V. Et alia manu: *Sub Maximo Imper.*

21. Fabianus natione Romanus ex patre Fabio, sedit annos XIV. menses XI. d. XI. Hic ordinauit Episcopos XI. Presbyteros XXI. Diaconos VII. Et alia manu: *Sub Gordiano, & Philippo, & Decio Imper.*

22. Cornelius natione Romanus ex Patre Castino sedit annos II. men. II. dies II. Hic leuauit corpora Apostolorum Petri, & Pauli de catacumbis. Hic ordinauit Episcopos VII. Presbyteros IV. Diaç. IV. Et alia manu: *Sub Decio Imper. & Gallo, & Volusiano Imper.*

23. Lucius natione Romanus ex patre Porfirio, sedit annos III. menses III. dies III. Hic præcepit, vt duo Presbyteri, & tres Diaconi Episcopum in omni loco non desererent. Hic ordinauit Episcopos VII. Presbyteros IV. Diaconos IV. Et alia manu: *Sub Valeriano, & Gallieno Imper.*

24. Stephanus natione Romanus ex patre Iobio, sedit annos VII. menses V. dies II. Hic constituit Sacerdotes, & Leuitas, vt vestes sacratas in vsu quotidiano non vti, nisi in Ecclesia tantùm. Hic ordinauit Episcopos III. Presbyteros VI. Diac. V. Et alia manu: *Sub Valeriano, & Gallieno Imper.*

25. Xistus natione Græcus ex Philosopho, sedit annum I. menses X. dies XXIII. Hic ordinauit Episcopos III. Presbyteros IV. Diaconos VII. Et alia manu: *Sub Valeriano, & Gallieno Imperatore.*

26. Dionysius ex Monacho, cuius generationem non potuimus reperire, sedit ann. VI. menses II. dies IV. Hic Presbyteris Ecclesias dedit, & Parochias, & Diæceses constituit. Hic ordinauit Episcopos VIII. Presbyteros XII. Diaconos VI. Et alia manu: *Sub Valeriano & Gallieno Imperatore.*

27. Felix natione Romanus ex patre Constantio, sedit ann. 4. m. III. dies XXV. Hic constituit supra memorias Martyrum missas celebrari. Hic ordinauit Episcopos V. Presbyteros VIII. Diaconos V. Et alia manu: *Sub Claudio, & Aureliano Imper.*

28. Eutitanus natione Tuscus ex patre Marino de Ciuitate Lunis, sedit ann. I. m. I. d. I. Hic constituit, vt fruges super altare, fauæ, & vuæ benedici. Hic ordinauit Episcopos IX. Presbyteros XIV.

XIV. Diaconos V. Et alia manu : *Sub Aureliano Imperatore.*

29. Caius natione Dalmata ex genere Diocletiani ex patre Gagio, ſedit annos XI. m. IV. dies XII. Hic ordines Eccleſiaſticos diſpoſuit. Hic ordinauit Epiſcopos V. Presbyteros XXVI. Diaconos VIII.

30. Marcellinus natione Romanus ex patre Proiecto, ſedit annos IX. menſes IV. dies VI. Hic ordinauit Epiſcopos V. Presbyteros IV. Diaconos II.

31. Marcellus natione Romanus ex patre Benedicto de Regione Vialata, ſedit annos V. menſes VII. dies XXI. Hic conſtituit titulos in Vrbe Roma propter baptiſmum, & pœnitentiam. Hic ordinauit Presbyteros XII. Diaconos II.

32. Euſebius natione Græcus ex Medico, ſedit annos II. m. I. d. III. Huius temporibus inuenta eſt crux Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Iudas baptizatus eſt. Hic ordinauit Epiſcopos XIV. Presbyteros XIV. Diaconos III.

33. Mathiadis natione Afer, ſedit annos IV. Hic conſtituit, vt nulla ratione die Dominico, aut V. feria ieiunijs quis de fidelibus ageret. Hic ordinauit Epiſcopos XII. Presbyteros VII. Diaconos V.

34. Syluester natione Romanus ex patre Rufino, ſedit annos XXIII. m. X. d. XI. Hic congregauit Epiſcopos CCCXVIII. & expoſuerunt fidem Catholicam, & criſma ab Epiſcopo confici, & baptizatum confirmari. Hic Dalmaticas præcepit indui. Hic ſacrificium totum in lineum pannum inuolui. Hic ordinauit Epiſcopos LXV. Presbyteros XLII. Diaconos XXVI.

35. Marcus natione Romanus ex patre Priſco, ſedit annos II. m. VIII. d. XXI. Hic conſtituit, vt Epiſcopus Ciuitatis, qui hoſtiam conſecrat, pallium vteretur. Hic ordinauit Epiſcopos XXVII. Presbyteros XXV. Diaconos VI.

36. Iulius natione Romanus ex patre Ruſtico, ſedit annos XV. m. II. dies VI. Hic conſtituit, vt nullus Clericus cauſam in publico ageret, niſi in Eccleſia. Hic ordinauit Epiſcopos IX. Presbyteros XXVII. Diaconos IV.

37. Liberius natione Romanus ex patre Auguſtino, ſedit annos VI. m. III. dies IV. Hic ordinauit Epiſcopos XIX. Presbyteros XVIII. Diaconos V.

38. Felix natione Romanus ex patre Anaſtaſio, ſedit ann. I. m. III. d. II. Hic ordinauit Epiſcopos XIX. Presbyteros XXI. Diaconos V.

39. Damaſus natione Spanus ex patre Antonio ſedit annos XVIII. m. III. dies XI. Hic accuſatus inuidioſè de adulterio purgatus eſt à 44. Epiſcopis. Hic conſtituit, vt pſalmi die, noctuque in Eccleſia canerentur. Hic ordinauit Epiſcopos LXII. Presbyteros XXXI. Diaconos XI.

40. Sy-

40. Syritius natione Romanus ex patre Tibustio, sedit annos XV. Hic ordinauit Episcopos XXXII. Presbyteros XXXI. Diaconos XVI. Hic præcepit pœnitentibus in vltimum Viaticum non negare.

41. Anastasius natione Romanus ex patre Maximo, sedit annos III. dies X. Hic constituit, vt quando Euangelium recitatur, Sacerdotes non se erigerent, sed curui starent. Hic ordinauit Episcopos XI. Presbyteros VIII. Diaconos V.

42. Innocentius natione Albanense ex patre Innocentio, sedit annos XV. m. II. dies XXI. Hic constituit, vt qui natus fuerit de Christiana, denuò nasci per baptismum. Hic constituit Sabbatho ieiunare, quia Dominus Sabbatho in sepulchro iacuit, & discipuli Sabbatho iacuerunt. Hic ordinauit Episcopos LIV. Presbyteros XXX. Diaconos XI.

43. Zosimus natione Græcus ex patre Ebramio, sedit ann. I. menses III. d. XI. Hic multa constituit in Ecclesia. Hic ordinauit Episcopos VIII. Presbyteros X. Diaconos III.

44. Bonifacius natione Romanus ex patre Iocundio Presbytero, sedit an. III. menses VIII. d. VII. Hic constituit, vt nulla mulier, aut Monacha pallam sacratam lauaret, aut incensum in Ecclesia poneret, nisi Minister. Hic ordinauit Episcopos XXXVI. Presbyteros XIII. Diac. III.

45. Cælestinus natione Romanus ex patre Prisco, sedit annos VIII. m. X. d. XVII. Hic constituit, vt antiphona ante sacrificium caneretur, quod ante non fiebat, nisi tantùm epistola B. Pauli recitabatur, & sanctum Euangelium. Hic ordinauit Episcopos XLVI. Presbyteros XXXII. Diaconos XII.

46. Xistus natione Romanus ex patre Xisto, sedit annos VIII. menses XIX. Hic incriminauit post annum, & mensibus octo à quodam Basso, & cum 57. Episcopis purgauit se, & Bassus est damnatus. Hic ordinauit Episcopos LII. Presbyteros XXVIII. Diaconos XII.

47. Leo natus Tuscus, ex patre Quintiano, sedit annos XXI. m. I. dies XIII. Hic congregauit Episcopos mille ducentos, qui exposuerunt fidem Catholicam, duas naturas vno in Christo Deũ, & hominem. Hic ordinauit Episcopos CLXXXV. Presbyteros LXXXI. Diaconos XXXI.

48. Hilarius natione Sardus, ex patre Crispino, sedit annos VI. m. III. dies X. Hic spargit Epistolas de fide Catholica per Orbem Orientalem, & confirmauit tres Synodos, Nicheni, Ephesini, & Chalcedonensem. Hic ordinauit Episcopos XXV. Diaconos V.

49. Simplicianus natione Tiburtinus ex patre Castino, sedit annos XV. m. I. dies VIII. Hic constituit, vt ad Sanctum Petrum

&

& Sanctum Paulum, Sanctumque Laurentium Presbyteri manerent propter pœnitentes, & baptismum. Hic ordinauit Episcopos XXXVII. Presbyteros LVIII. Diac. XI.

50. Felix natione Romanus ex patre Felice Presbytero de titulo Fasciola, sedit annos VIII. m. XI. dies XIX. Hic ordinauit Episcopos XXXI. Presbyteros XVIII. Diaconos V.

51. Gelasius natione Afer ex patre Valerio, sedit annos IV. m. VIII. dies XIX. Hic liberauit à periculo famis Ciuitatem Romæ. Hic fecit Tractatos, & hymnos sicut B. Ambrosius. Hic ordinauit Episcopos LXVII. Presbyteros XXXII. Diaconos II.

52. Anastasius natione Romanus ex patre Petro de Regione quinta Caput Tauri, sedit ann. I. m. XI. dies XXIV. Hic ordinauit Episcopos XVI. Presbyteros XIII.

53. Symmachus natione Sardus ex patre Fortunato, sedit annos XI. m. VII. dies XXVII. Hic & Laurentius sub intentione vno die ordinati sunt, Symmachus in Lateranis, Laurentius in Ecclesia B. Mariæ; & Symmachus confirmatus est in Sede secundùm iudicium Theodorici Regis, & Symmachus posteà incriminatus cum CXV. Episcopis se purgauit. Hic constituit, vt omni die L. Natalitijs Sanctorum *Gloria in excelsis Deo* caneretur. Hic ordinauit Episcopos CXVII. Presbyteros XCII. Diaconos XVI.

54. Hirmisda natione Campanus ex patre Iusto de Ciuitate Frisinone, sedit ann. IX. dies XIV. Hic constituit Clerum, & psalmis erudiuit. Hic ordinauit Episcopos LV. Presbyteros XXI.

55. Ioannes natione Tuscus ex patre Constantio, sedit annos II. m. VIII. dies XVI. Hic in custodia afflictus moriens. Hic ordinauit Episcopos XV.

56. Felix natione Sommum ex patre Castorio, sedit annos IV. mens. II. dies XIII. Ipse ordinatus est in quietem. Hic ordinauit Episcopos XIX. Presbyteros LV. Diaconos IV.

57. Bonifatius natione Romanus ex patre Sigiboldo, sedit annos II. dies XXVI. Hic, & Dioscorus sub intentione ordinati sunt, sedi Dioscorus eodem tempore defunctus, Bonifacius sedem tenuit.

58. Mercurius, qui & Ioannes, natione Romanus, ex patre Proiecto, de Cælio *Monte*, sedit annos II. menses IV. dies VI. Hic ordinauit Episcopos XXI. Presbyteros XV.

59. Agapitus natione Romanus ex patre Gordiano presbytero, sedit menses XI. dies XIX. Hic ordinauit Episcopos XI. Diac. IV.

60. Siluerius natione Campanus ex patre Hormisda Episcopus Romæ, sedit ann. I. menses V. dies XI. Hic ordinauit Episcopos LXXXI. Presbyteros XLVI. Diaconos XVI.

61. Pe-

61. Pelagius natione Romanus ex patre Ioanne Vicariano sedit annos XI. menses X. dies XVIII. Hic est ordinatus à duobus Episcopis, & vno Presbytero. Hic ordinauit Episcopos XLIX. Presbyteros XXVI. Diaconos IX.

62. Ioannes natione Romanus ex patre Anastisio, sedit annos XII. m. XI. dies XXVI. Hic amauit, & restaurauit Cymiteria Sanctorum Martyrum, & constituit per singulas Dominicas oblationes, & luminaria ibidem agere. Hic ordinauit Episcopos LXI. Presbyteros XXVI. Diaconos XIII.

63. Benedictus natione Romanus, de patre Bonifacio, sedit annos IV. mensem I. dies XXVIII. Hic ordinauit Episcopos XXI. Presbyteros XV. Diaconos III.

64. Pelagius natione Romanus de patre Vngildo, sedit annos X. menses II. dies X. Eodem tempore tantæ pluuiæ fuerunt, vt omnes dicerent, quia aquæ diluuij superinundarent, & talis cladis, qualis à sæculo nullus meminit fuisse. Hic ordinauit Episcopos XLVIII. Presbyteros XXVIII. Diaconos VIII.

65. Gregorius natione Romanus de patre Gordiano sedit annos XIII. menses VI. dies X. Hic exposuit Omelias XL. & Moralia Iob, & super Ezechielem, Pastoralemque, & Dialogos, & multa alia fecit. Hic augmentauit in Canone, *diesque nostros*, vsque in finem Missæ, Anglosque conuertit ad Dominum nostrum. Hic fecit, vt missa super corpus beati Petri caneretur. Hic ordinauit Episcopos LXII. Presbyteros XXXIX. Diaconos V.

66. Sabianus natione Tuscus de Ciuitate Blera, de patre Bono, sedit annum I. menses V. dies VIII. Hic addidit luminaria in Ecclesia beati Petri. Hic ordinauit Episcopos XXVI.

67. Bonifacius natione Romanus de patre Iohanne, sedit menses VIII. dies XXVIII. Hic ordinauit Episcopos XXI.

68. Bonifacius natione Marsorum de Ciuitate Valeria ex patre Iohanne medico, sedit annos VI. menses VIII. dies XIII. Hic ordinauit Episcopos XXXV. Diaconos VIII.

69. Deusdedit natione Romanus ex patre Stephano subdiacono, sedit annos III. dies XXXIII. Hic dilexit Clerum multùm. Hic ordinauit Episcopos XXIX. Presbyteros XIX. Diaconos V.

70. Bonifacius natione Campanus de Ciuitate Neapolim ex patre Ioanne, sedit annos V. Hic constituit, vt nullus traheretur de Ecclesia. Hic ordinauit Episcopos XXVIII. Presbyteros XXV. Diaconos IV.

71. Honorosius natione Campanus ex patre Petronio Consule, sedit annos XII. menses XI. dies XVIII. Huius temporibus

leuata est trabes in Ecclesia Beati Petri. Hic ordinauit Episcopos LXXXVIII. Presbyteros XIII. Diaconos XI.

72. Seuerinus natione Romanus ex patre Abieno, sedit menses II. dies IV. Hic ordinauit Episcopos IV.

73. Iohannes natione Dalmatica, ex patre Venantio, sedit annum I. menses IX. dies XVIII. Hic per omnem Dalmaticam, & Histriam multas pecunias misit ad redemptionem captiuorum, qui prædicati erant. Hic ordinauit Episcopos IV.

74. Martinus de Ciuitate Tudertina Prouinciæ Tusciæ, sedit annos VI. mensem I. dies XXVI. Hic congregauit Synodum Episcopos CV. & condemnauit Cyrum Alexandrinum, & Sergium, Pyrrum, & Paulum Patriarcham Constantinopolitanum, qui contra immaculatam fidem nouitates in nocte resumpserunt, & Sextum Synodum conscribens confirmauit Episcopum I. Hic ordinauit Episcopos XXVIII. Presbyteros XI.

75. Theodorus natione Græcus ex patre Theodoro Episcopo de Ciuitate Hierusalem, sedit annos VI. menses V. dies XVIII. Hic ordinauit Episcopos XLVI. Presbyteros XXI. Diaconos IV.

76. Eugenius natione Romanus ex patre Rufiano, sedit annos II. m. IX. dies XXIV. Hic ordinauit Episcopos XXI.

77. Vitalianus natione Signensis Prouinciæ Campaniæ ex patre Anastasio, sedit annos XIV. menses VI. Hic regulam Ecclesiasticam, atque vigorem, vt mos erat, omninò conseruauit. Hic ordinauit Episcopos XXVII. Presbyteros XXII. Diacon. I.

78. Adeodatus natione Romanus ex Monachis de patre Cobiano, sedit annos IV. menses II. dies V. Hic ordinauit Episcopos XLVII. Presbyteros XIV. Diaconos II.

79. Donus natione Romanus ex patre Mauricino, sedit annum I. m. V. dies X. Hic ordinauit Episcopos VI. Presbyteros X. Diaconos V.

80. Agatho natione Sicula sedit annos II. menses VI. dies IV. Hic ordinauit Episcopos XVIII. Presbyteros IX. Diaconos III.

81. Leo iunior natione Sicula de patre Paulo, sedit menses X. dies XVII. Hic Constitutum fecit, vt qui ordinatus fuerit Archiepiscopus ab Archiuo Ecclesiæ nulla consuetudine pro vsu pallij, aut diuersi officij Ecclesiæ persoluere debeat. Hic ordinauit Episcopos XXI. Presbyteros IX. Diaconos III.

82. Benedictus iunior natione Romanus, sedit menses X. dies XII. Hic ordinauit Episcopos XII.

83. Iohannes natione Syrus de Prouincia Antiochia ex patre Cyriano, sedit annum I. dies IX. Hic

Hic ordinauit Episcopos XIII.

84. Sergius natione Syrus Antiochiæ Regionis ortus ex patre Tyberio in Parmomo Siciliæ. Hic statuit, vt tempore Domini Corporis *Agnus Dei* à Clero, & Populo decantaretur. Hic constituit, vt diebus annuntiationis Domini, & Sanctæ Mariæ, & Sancti Symeonis, quod Ypapanti græcè dicitur, Letaniæ exeant. Hic ordinauit Episcopos XCVII. Presbyteros XVIII. Diaconos IV. Sedit annos XIII. menses VII. dies XXIII.

85. Ioannes natione Græcus sedit annos III. menses II. dies XII. Hic ordinauit Episcopos XV. Presbyteros IX. Diaconos II.

86. Iohannes natione Græcus de patre Platone, sedit annos II. menses VI. dies XVII. Hic ordinauit Episcopos XIX.

87. Sisinnus natione Syrus de patre Iohanne, sedit annos VII. dies XV. Hic ordinauit Episcopos LXIV. Presbyteros X. Diaconos II.

88. Constantinus natione Syrus de patre Iohanne, sedit annos VII. dies XV. Hic ordinauit Episcopos LXIV. presbyteros X. Diaconos II.

89. Gregorius natione Romanus ex patre Marcello, sedit annos VI. menses IX. dies XI. Hic constituit, vt in quadragesimalis V. feria ieiunium, atque missarum celebrationes fierent, quod antè non agebatur. Hic ordinauit Episcopos CL. Presbyteros XXV. Diaconos IV.

90. Gregorius natione Syrus ex patre Iohanne sedit annos X. menses VIII. dies XXV. Hic constituit græca, latinaque lingua eruditos psalmos omnes per ordinem memoriter retinens, & in eorum sensibus subtilissima exitatione limatus. Hic ordinauit Episcopos LXXX. Presbyteros XXIV. Diaconos IV.

91. Zacharias natione Græcus ex patre Policrono, sedit annos X. m. III. dies XIV. Hic ordinauit Episcopos LXXXV. Presbyteros XXX. Diaconos V.

92. Stephanus natione Romanus ex patre Constantino, sedit annos V. dies XXIV. Hic ordinauit Episcopos XV. Presbyteros II. Diaconos II.

93. Paulus.

94. Adrianus.

95. Leo.

96. Stephanus.

97. Paschalis.

23.

Ex eodem Codice Palatino-Vaticano Catalogus Imperatorum.

Octauianus annis XLII. Christus nascitur. Completis ab Adam an.IIIDCCCCLII. iuxta alios VCXCYIV.

Sexta Aetas continet annos. . . . .

A Natiuitate Domini nostri IESV Christi vsque ad Tiberium sunt anni XIV.

Tiberius annis XXIII. Huius anno XVIII. Dominus crucifigitur.

Caius annis IV. Matthæus Euangelium scripsit.

Claudius annis XIV. Petrus Romam, Marcus Alexandriam petit.

Nero annis XIV. Petrus, & Paulus cruci gladioque traduntur.

Vespasianus annis IX. Huius II. Titus Hierosolymam subuertit.

Titus annis II. Hic facundus, & pius fuit.

Domitianus annis XIII. Ioannes in Pathmos relegatur.

Nerua annum I. Ioannes Apostolus Ephesum rediens Euangelium scripsit.

Traianus annis XIV. Simon Cleopæ filius crucifigitur, & Ioannes requiescit.

Adrianus annis XXI. Aquila interpres habetur.

Antonius Pius annis XXIII. Valentinus, & Marcion agnoscitur.

Antoninus minor annis XIX. Cataphrigarum hæresis exoritur.

Commodus annis XIII. Theodotion interpres habetur.

Helius Pertinax an. I.

Seuerus Pertinax annis XVIII. Simachus interpres habetur.

Antoninus Caracalla annis VII. Quinta editio Hierosolymæ reperitur.

Macrinus anno I.

Aurelius Antoninus annis IV. Sexta editio Nicopolis reperitur.

Alexander annis XIII. Origenes Alexandriæ claruit.

Maximinus annis III. Hic persequebatur Christianos. Persecutio 6.

Gordianus annis VI. Fabianus Episcopus Romæ claruit.

Philippus annis VII. Hic Christianus primus Imperator fuit.

Decius anno I. Antonius Monachus claruit. Persecutio 7.

Gallus, & Volusianus annis II. Nouatiana hæresis exoritur.

Va-

Valerianus cum Galliano annis XV. Cyprianus martyrio coronatur. Persecutio 8.

Claudius annis II. Paulus Samozatenas hæresim condidit.

Aurelius annis V. Hic persequitur Christianos. Persecutio 9.

Tacitus annis II.

Probus annis VI. Manichæorum hæresis exorta est.

Carus annis II. Iste de Persis triumphauit. Persecutio 10.

Diocletianus, & Maximianus annis XX. His persecutoribus intra XXX. dies XVII.* passi sunt.

Valerianus annis 2.

Constantinus annis XXX. Nicæna Synodus congregatur.

Constantinus, & Constans annis XXIV. Ossa Andreæ Apostoli, & Lucæ Euangelistæ Constantinopoli transferuntur.

Iulianus annis II. Hic ex Christiano paganus persequitur Christianos. Persecutio 11.

Iouinianus annum I. Hic cum omni exercitu efficitur Christianus.

Valentinianus annis XIV. qui à Iuliano ob fidem Christi militia fuerat priuatus.

Gratianus annis VI. Ambrosius, & Martinus Episcopi clarescunt.

Valentinianus cum Theodosio annis IX. Hieronymus in Bethleem prædicatur. Synodus in Constantinopoli * *CCCL.* Episcopi, in quo omnes hæreses condemnantur. Lege * CL.

Theodosius annis III. cum Arcadio, & Honorio. Ioannes Anachoreta claruit.

Archadius annis XIII. cum fratre Honorio. Ioannes Chrysostomus, & Augustinus Episcopi prædicantur.

Honorius annis XV. cum Theodosio minore. Cyrillus Alexandriæ claruit. Concilium Charthaginense CCXIV. Episcoporum Pelagium * condemnant. * condemnat.

Theodosius minor an. XXVI. * Essasana Synodus Nestorium condemnat. * Ephesina.

Martianus anni VI. † *Cacidonense* Concilium venerunt Anglorum * *gens* in Britanniam, & Alemanni in Altamanñ venerunt. * Subintellige *Millia*. † Calchidonense. * *gentes*.

Leo maior annis XVII. AEgyptus errore Dioscori latrat.

Leo minor anno I. Theodoricus Rex Romam obtinuit.

Zenon annis XVI. Corpus Barnabæ Apostoli reperitur.

Anastasius annis XXVI. Fulgentius Episcopus prædicatur.

Iustinus annis VIII. Acephalorum hæresis abdicatur. Benedictus Abbas claruit.

Iustinianus annis XXXIX. Huius X. anno primus Dionysij circulus incipit.

Iustinus minor annis XI. Armenij fidem Christi suscipiunt.

Tiberius annis IX. Herminigildus Rex Gothorum martyrio coronatur.

Mauritius annis XXI. Gregorius Romæ Episcopus floruit.

Focas annis VIII. Saxones in Bri-

Britannia fidem Christi suscipiunt.

Heraclius annis XXX. Iudæi in Hispania Christiani efficiuntur.

Iraclonas cum matre sua Martina annis III.

Constantinus filius Heracli annum I.

Constantinus filius Constantini annis XXVIII. Eclipsin solis facta est indictione VII. V. Non. Maij.

Constantinus filius Constantini superioris annis XVIII. Hic Sextam Synodum composuit.

Iustinianus filius Constantini an. II.

Pippinus Senior ann. XXVII. Huius XXII. anno Cotafredus Dux mortuus est.

Carolus annis XXVII. Huius anno XVIII. * Beta Presbyter Anglorum obijt.

* Beda

Pippinus, & Carlomannus annis X. simul.

Pippinus qui suprà, Rex annis XVII. Huius anno II. Bonefacius Martyr effectus est, & XIII. hibnus grandis, & durus ....

Karlus, & Carlomannus simul anni IV.

Karlus, qui supra annum XLV. qui XXX. anno ad Imperatorem à Papa Leone consecratur.

24.

Ex antiquo Codice Bibliothecæ Alexandrino-Vaticanæ 600. annorum.

AB exordio mundi vsq; ad diluuium sunt anni 2242. A diluuio vsque ad natiuitatem Abrahæ sunt anni 942.

Passum autem Dominum nostrum IESVM Christum peractis ab ortu mundi 5228. annis.

A Passione Domini nostri IESV Christi vsque ad sedem beatissimi Marcellini Papæ sunt anni 276. menses IX.

De Apostolato iam facto Christi Martyris Marcellini, vsque tempus gloriosissimi Domini Caroli Regis XXV. anni Regnicius, hoc est vsque VIII. Kal. Aprilis, sunt anni CCCCXC. & menses III.

Ex

25.

Ex antiquo octingentorum septuaginta sex annorum Manuscripto Codice langobardicis characteribus anno 812. exarato, qui olim spectauit ad Ecclesiam Beneuentanam, nunc verò in Bibliothecam Eminentissimi Cardinalis Casanate migrauit: Opusculum de sex mundi ætatibus, quarum quinque prioribus omissis, sic incipit sexta ætas.

Variæ lectiones Codicis 499. Bib. Reg. Sueciæ ante 900. ann. conscripti; item Cod. 511. 900. facilè annorum, in quo supponitur hoc Chronicon esse Bedæ Presbyteri; item Cod. 1927.

A Natiuitate Domini nostri IESV Christi vsque ad Tiberium numerantur anni 14. *

A Tiberio verò vsque ad passionem Christi sunt anni 18.

Et à Christi passione vsque ad Gaium fiunt anni 5.

A Gaio vsque ad Claudium anni 4.

Et à Claudio vsque ad Neronem fiunt anni 14.

A Nerone verò vsque ad Vespasianum fiunt anni 14.

Et de Vespasiano vsque ad Titum anni 9.

A Tito verò vsque ad Domitianum anni 2.

Et à Domitiano vsque ad Neruam anni 16.

A Nerua vsque ad Traianum fit annus 1.

A Traiano quidem vsque ad Adrianum anni 14.

Ab Adriano vsque ad Antonium * fiunt anni 21.

Et ab Antonio * vsque ad item Antonium anni 23.

Ab Antonio † autem vsque ad Commodum fiunt anni 19.

A Commodo vsque ad * Helium Pertinacem 13.

Et de Heluio vsque ad Seuerum fit annus 1.

A Seuero vsque ad * Antonium Caracallam sunt anni 18.

Ab *Antonio* Caracalla vsque ad Macrinum *anni* 7.

A Macrino verò vsque ad *Aurelium* fit annus 1.

Et de Aurelio vsque ad Alexandrum *anni* 4.

Ab Alexandro vsque ad Maximinum fiunt anni 13.

A Maximino quoquè vsque ad Gordianum anni 3.

A Gordiano vsque ad Philippum anni 6.

A Philippo vsque ad Decium anni 7.

A Decio ad Valerianum anni 3.

A Valeriano vsque ad Claudium anni 15.

A Claudio enim vsque ad Aurelia-

† Iidem: Antonino.

* Codex 1927. anni XIII.

* Codex 1927. Heluium.

* Cod. 1927. Antoninum.

Antonino. anni 16. Cod. 511. VII.

Cod. 1927. anni 3.

* Cod. 499. & 1927: Antoninum,

* Iidem: Antonino. Antoninum.

relianum anni 2.

Ab Aureliano vſque ad Probum fiunt anni 6.

A Probo vſque ad Carum anni 5.

A Caro vſque ad Diocletianum anni 2.

A Diocletiano verò vſque ad Conſtantinum anni fiunt 20.

De Conſtantino vſq; ad Conſtantium * anni 11.

A Conſtantio vſque ad Iulianum anni 24.

Et à Iuliano vſque ad Iouinianum anni 2.

A Iouiniano ergò vſque ad Valentinianum fit annus 1.

De Valentiniano vſque ad Valentem anni 11.

Et de Valente vſque ad Theodoſium anni 4.

A Theodoſio verò vſque ad Archadium anni 17. †

Ab Archadio vſque ad Honorium *anni* 13.

Ab Honorio vſque ad Theodoſium anni 15.

A Theodoſio vſque ad Martianum anni 26.

Et à Martiano vſque ad Leonem anni 6.

A Leone verò vſque ad item Leonem anni 17.

Item à Leone vſque ad Zenonem fit annus 1.

Et de Zenone vſque ad Anaſtaſium fiunt anni 16.

Ab Anaſtaſio verò vſque ad Iuſtinum ſunt anni 27.

Et à Iuſtino vſque ad Iuſtinianum anni 9.

Item à Iuſtiniano vſque ad Iuſtinum ſunt anni 39.

Item à Iuſtino vſque ad Tiberium anni 13.

A Tiberio vſque ad Mauritium fiunt anni 4.

A Mauritio vſque ad Focam ſunt anni 20.

A Foca vſque ad Heraclium anni 8.

Ab Heraclio vſque ad Conſtantinum ſunt anni 30.

A Conſtantino patre vſque ad Conſtantinum filium fit ann. 1.

Item à Conſtantino vſque ad Conſtantinum fiunt anni 27.

A Conſtantino ad Iuſtinianum anni 17.

A Iuſtiniano vſque ad Pippinum ſeniorem fiunt anni 2.

A Pippino ſeniore vſque ad Carolum anni 27.

† *A Carolo vſque ad Pippinum, & Carlomannum anni* 27.

Et à Pippino, & Carlomanno vſque dum Pippinus Rex conſtitutus eſt, fiunt anni 10.

A Pippino verò vſque ad Carlum, & Carlomannum anni 17.

Et à Carlo, & Carlomanno vſque ad Carlum fiunt anni 4.

Et inde Domnus Carolus ſolus Regnum ſuſcepit, & Deo protegente gubernat vſque in præſentem annum feliciter, qui eſt Regni eius * 39. *Imperij autem* 7. Sunt autem totius ſummæ ab origine mundi anni vſque in præſentem annum 4759. †

* Codices 499. & 1927. anni XXI.

† Cod. 1927. deeſt.

Codex 1927 an. 14.

* Codex 1927. 42. imperij autem IX. Idem omninò Cod. 499. 42. *Imperij autem IX.*

† 4761. addit Cod. 511. *Incarnationis Domini* 4756. Cod. verò 1927. rectiùs habet: vſq; in præſentem annum 810. Incarnationis Domini 47....

Ex

Ex M. S. Codice Vaticano, 630. qui octingentorum annorum ætatem superat, fuitque quondam Ioannis Atrebatensis Episcopi. Is autem fuit fortassis Ioannes Ioffredus anno 1453. Atrebatensis, deinde Albiensis Episcopus & tandem Cardinalis eruditissimus.

NOMINA PONTIFICVM ROMANORVM.

Petrus Apostolus.
Linus MARTYR.
Cletus MR.
Clemens MR.
Anacletus.
Euaristus MR.
Alexander MR.
Sixtus MR.
Telesphorus MR.
Yginus.
Pius.
Anicietus MR.
Soter MR.
Eleuther.
Victor MR.
Zepherinus.
Calistus MR.
Vrbanus MR.
Pontianus MR.
Antherus MR.
Fabianus MR.
Cornelius MR.
Lucius MR.
Stephanus 1. MR.
It. Sixtus 2. MR.
Dionisius.
Felix 1. MR.

Euticianus MR.
Gaius MR.
* Crisogonus MR.
Marcellinus MR.
Marcellus MR.
Eusebius.
* Melciadis.
Siluester CF.
Marcus CF.
Iulius CF.
Liberius.
It. Felix 2. CF.
Damasus. CF.
Siricius..........
Anastasius CF.
Innocentius 1.
Zosimus.
Bonifatius 1.
Cælestinus.
It. Xistus 3.
Leo 1. Conf.
Hilarius.
Simplicius.
It. Felix 3.
Gelasius.
It. Anastasius 2.

* Deest in aliis Catalogis.

* Potest quoque legi Meltiadis.

Symachus.
Hormifda.
Iohannes 1.
It. Felix 4.
It. Bonifacius 2.
Mercurius.
Agapitus.
Siluerius.
Vigilius.
Pelagius 1.
Benedictus 1.
It. Iohannes 2.
It. Pelagius 2.
Gregorius 1. Conf.
Sabinianus.
It. Bonifacius 3.
It. Bonifacius 4.
Deus dedit.
It. Bonifacius 5.
Honorius.
Seuerinus.
It. Iohannes 3.
Theodorius.
* Martinus. * Maftianus.
Eugenius.
Vitalianus.
Adeodatus.
Donus.
Agatho.
It. Leo 2.
It. Benedictus 2.
It. Iohannes 4.
Conon.
Sergius.
It. Iohannes 5.
It. Iohannes 6.
Sefinius.
Conftantinus.
It. Gregorius 2.
It. Gregorius 3.
Zacharias.
It. Stefanus 2.
Paulus.
Adrianus.
It. Stefanus 4.
It. Leo 3.
Pafchalis.
Eugenius.
It. Gregorius 4.
Sergius.
It. Leo 4.
It. Benedictus 3.
Nicolaus.

27.

Ex M.S. Codice Vaticano 1353. *qui defcriptus eft fub Paulo II. ex vetufto Codice* 800. *annorum Ecclefiæ Pergamenfis.*

Incipiunt Nomina Pontificum Sanctæ Romanæ Ecclefiæ per ordinem.

DOmnus Petrus fedit annos 25. menfes 2. dies 8.
Linus fedit annos 15. menfes 3. dies 11.
Cletus annos 12. menfem 1. dies 11.

Cle-

Clemens annos 9. menses 2. dies 10.

Aneclitus annos 12. mens. 10. dies 6.

Euarestus annos 13. mens. 7. dies 2.

Alexander annos 10. mens. 7. dies 2.

Xystus annos 10. mens. 7. dies 21.

Telesphorus annos 11. mens. 3. dies 22.

Yginus annos 4. menses 3. dies 8.

Anicitus annos 9. menses 3. dies 3.

Pius annos 11. mens. 3. dies 21.

Soter annos 9. mens. 3. dies . . . .

Eleuter annos 15. mens. 6. dies 5.

Victor annos 10. menses 2. dies 10.

Zepherinus annos 17. mens. 2. dies 10.

Calistus annos 5. menses 2. dies 10.

Vrbanus annos 8. menses 11. dies 12.

Antheros mensem 1. dies 15.

* Contianus annos 5. menses 11.

Fauianus annos 13. mens. 1. dies 10.

Cornelius annos 3. dies 10.

Lucius annos 3. menses 3. dies 3.

Stephanus annos 4. mens. 2. dies 11.

Xystus annos 2. menses 11. dies 6.

Dionisius annos 2. menses 3. dies 7.

Fœlix annos 2. mens. 10.

Eutichianus annos 8. mens. 10. dies 4.

Caius annos 10. menses 4. dies 9.

Marcellinus annos 8. mens. 2. dies 25.

Marcellus annos 5. mens. 7. dies 21.

Eusebius annos 2. mensem 1. dies 25.

Melchiades annos 2. mens. 7. dies 8.

Siluester annos 23.

Marcus annos 2. menses 7. dies 20.

Iulius annos 11. menses 2. dies 6.

Liberius annos 10. menses 7. dies 3.

Fœlix ann. 1. menses 3. dies 2.

Damasus annos 18. mens. 2. dies 10.

Syritius annos 15. mens. 11. dies 25.

Anastasius annos 2. dies 28. * Pontianus.

Innocentius annos 15. mens. 2. dies 20.

Zosimus anno 1. menses 7. dies 25.

Bonifatius annos 3. mens. 7. dies 13.

Cælestinus annos 8. mens. 2. dies 24.

Xystus annos 8. dies 24.

Leo annos 21. menses 1. dies 28.

Hilarius annos 6. menses 3. dies 18.

Simplicius annos 15. dies 7.

Fœlix annos 8. menses 11. dies 28.

Gelasius annos 3. menses 8. dies 9.

Anastasius ann. 1. menses 11. dies 24.

Symmachus annos 15. mens. 7. dies 27.

Hormisda annos 9. dies 17.

Iohannes annos 2. menses 9. dies 16.

Fœlix annos 4. menses 2. dies 13.

Bonifatius annos 2. mensem 1. dies 27.

Iohannes annos 2. menses 4. dies 6.

Agapitus menses 3. dies 18.

Siluerius menses 8.

Vigilius annos 17. mens. 6. dies 26.

Pelagius annos 4. menses 10. dies 28.

Iohannes annos 12. mens. 11. dies 26.

Benedictus annos 4. mens. 1. dies 28.

Pelagius annos 10. mens. 2. dies 10.

Gregorius annos 13. mens. 6. dies 10.

Fabianus annos 4. mens. 5. dies 9.

Bonifatius menses 6. dies 23.

Deusdedit annos 3. dies 20.

Bonifatius annos 5. mens. 10. dies 11.

Honorius annos 12. mens. 11. dies 17.

Seuerus menses . . . . . dies 4.

Iohannes anno 1. mens. 8. dies 18.

Martinus annos 6. mens. 1. dies 26.

Eugenius annos 2. menses 9. dies 24.

Vitalianus annos 13. mens. . . dies 6.

Adeodatus annos 4. mens. 2. dies 5.

Donus anno 1. mens. 5. dies 10.

Agatho annos 2. menses 6. dies 4.

Leo menses 10. dies 17.

Benedictus menses 10. dies 12.

Iohannes anno 1. dies 9.

Conon menses 11.

Sergius annos 12. menses 8. dies 14.

Iohannes ann. 3. mens. 2. dies 13.

Iohannes annos 2. menses 7. dies 17.

Sisinnius dies 20.

Constantinus annos 7. dies 15.

Gregorius annos 15. mens. 7. dies 24.

Zacharias annos 10. menses 3.

3. dies 14.

Stefanus annos 5. menſ. 5. dies 27.

Paulus annos 10. menſ. 1.

Stefanus an. 3. menſ. 5. d. 27.

Adrianus annos 23. menſ. 10. dies 17.

Leo annos 20. menſ. 10. dies 16.

Stefanus menſ. 7.

Paſchalis annos 7. dies 16.

Eugenius annos 3. menſ. 7. dies 23.

Valentinus menſes 1. dies 10.

Gregorius annos 15.

Sergius annos 3.

Leo annos 8. menſ. 3. dies 5.

Benedictus annos 2. menſ. 6. dies 11.

Nicolaus an. 9. menſ. 6. d. 20.

Adrianus.

Iohannes.

28.

Ex antiquo Manuſcripto Codice græco Vaticano, qui ſub numero 1167. aſſeruatur.

Catalogus Imperatorum ſæculo nono conſcriptus nunc primum in lucem editus, in verſione tantùm Latina.

Caius Iulius Cæſar annis 4.* Octauius Auguſtus Cæſar an. 56.

Tiberius Cæſar an. 23.

Caius Cæſar an. 4.

Claudius Cæſar an. 14.

Nero Claudij filius an. 13.

Galba, Otho, & Vitellius annis 2.

Veſpaſianus cum Tito filio annis 9. Primo anno Veſpaſiani euenit poſtrema Iudæorum captura, cum permanſiſſent à primo Herode annis 105.

Titus filius Veſpaſiani annis 3.

Domitianus annos 15. Sub Domitiano Apollonius Tyaneus claruit.

Nerua an. 1.

Traianus annis 19. Secundo anno Traiani fertur Apoſtolus Ioannes tranſlatus fuiſſe.

Hadrianus annis 21. Plutarchus Cheronenſis agnoſcebatur. Phlegon Chronographus agnoſcebatur.

Titus Antoninus Pius cum filijs an. 26. Galenus medicus mirabilis habebatur.

Marcus Aurelius annis 19. Opianus, qui de piſcibus ſcripſit, & Sextus claruerunt.

Commodus Marci filius annis 13.

Pertinax & Iulianus menſibus 9.

* Adduntur anni mundi ſingulis Imperatoribus, vt Auguſto 5526. Tiberio 5544. quos tamen hic plerunque referre omiſimus.

9. anno 1. Africanus Chronographus nascitur.

Seuerus annis 17.

Antoninus filius Seueri Caracalla annis 7.

Macrinus anno 1.

Antoninus Heliogabalus annos 3.

Alexander Mammæas annos 13.

Gordianus an. 6.

Philippus cum filio eiusdem nominis an. 6. Quarto autem anno Philippi cum impletus esset millesimus à Romulo & constructione Romæ, Romani maximum spectaculorum festum celebrarunt.

Decius an. 1.

Gallus an. 3.

Valerianus & Gallienus annos 15.

Claudius an. 1. Porphyrius, & Plotinus ambo Philosophi claruerunt.

Aurelianus an. 6.

Tacitus & Florianus mensibus 9. anno 1.

Probus annis 6.

Carus cum filijs suis Carino, & Numeriano an. 2.

Diocletianus & Maximianus Herculius annis 20. (mundi) 5812.

Post Diocletiani mortem regnat Constantius nequidem annum integrum, & post moritur successorem relinquens Constantinũ filium cum Maximiano Galerio regentes simul cum Seuero & Maxentio annis 2.

Et defunctis Seuero, ac Maximiano, superatus quoquè à Constantino Maxentius perijt. Licinius verò ducta Constantini sorore, & dignus ab ipso ad Imperium administrandum habitus mittitur ad regendum Orientem.

Constantius, & Maximianus; Galerius, & Constantinus, & Licinius annis 4.

Sequitur in eodem Cod.

Imperatores nouæ Romæ siue Constantinopolis Byzantiorum.

Constantinus Magnus annis 25. Synodus Prima Nicæna 318. SS. Patrum anno Imperij Constantini 9. ab ipsius verò aduentu Byzantium an. 5. Tempus autem notatum inuenimus anno ab Alexandri Macedonis interitu 636. prout Socrati historico videtur. Præfederunt verò sub Syluestro Romæ, Metrophanes Byzantij, Alexander Alexandriæ, Eustathius Antiochiæ, Macarius Hierosolymorum, contra Arium blasphemantem, Deum Verbum esse creaturam, & alterius substantiæ à Patre; & quòd erat tem-

pus

pus quando non erat. Condidit verò Vrbem post aduentum suum Byzantium anno 21. ab initio autem Imperij sui anno 25. Ab Adam verò sunt anni 5837.

Constantius Constantini filius annis 24.

Iulianus Apostata an. 2.

Iouianus menses 8. an. 1.

Valentinianus ann. 11.

Valens eius frater ann. 3.

Theodosius Magnus ann. 17. Synodus Secunda facta est Constantinopoli, anno Imperij Theodosij 2. à Patribus 150. Præsederunt autem illi Timotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus, Cyrillus Hierosolymitanus contra Macedonium.

Arcadius Theodosij filius annis 13.

Theodosius Arcadij filius an. 42. Synodus Tertia Eppesina 200. Patrum anno Theodosij Iunioris 13. Præsederunt illi Cyrillus Alexandrinus, Iuuenalis Hierosolymitanus, contra Nestorium.

Marcianus socer Theodosij an. 7. Synodus Quarta Chalcedonensis 630. Patrum anno ... Marciani Imperatoris, cui præsederunt Leo Romæ, Anatolius Constantinopolis, Iuuenalis Hierosolymorum contra Eutychem, & Dioscorum dicentes, neque carnem Domini esse consubstantialem nostræ, sed ex duabus naturis vnam confectam, & quasi phantasticam carnem gestasse Dominum fabulantes, & diuinitati passionem tribuentes.

Leo Magnus cognomento Macellus an. 17.

Zeno Leonis filius an. 18.

Anastasius an. 27.

Iustinus Thrax an. 10.

Iustinianus Magnus an. 39. Synodus Quinta habita à 165. Patribus Constantinopoli anno Iustiniani Magni Imperatoris 14. sub Vigilio Papa Romæ, præsidentibus verò Eutychio Constantinopolitano, Apollinari Alexandrino, Domno Antiocheno, contra Origenem*, & dogmata eorum, quibus animas ante corpora extitisse malè affirmabant, & metempsychosin esse (seu animarum in alia corpora transmigrationem) & finem imponendum esse ipsarum supplicio; & corpora nostra non resurrectura eadem in *communi* resurrectione; & Dæmones in priorem statum restituendos: Paradisum allegoricè sumebant; neque factum fuisse, neque esse à Deo sensibilem Paradisum; neque Adam in carne plasmatum fuisse asserebant.

* Origenistas.

Iustinus Iunior annis 13.

Tiberius an. 5.

Mauricius an. 20.

Phocas an. 8.

Heraclius an. 31.

Constantinus Heraclij filius an. 1.

Constans filius Heraclij Pogonatus a. 27. Synodus Sexta Constantinopolitana 170. Patrum anno Constantini patris Iustiniani 13. aduersùs Macariũ & Stephanum

num eius discipulum, & Polychronium dicentes, esse vnam voluntatem, & vnam operationem Domini & Dei.

Constantinus filius eius, & pater Iustiniani an. 17.

Iustinianus filius Constantini an. 10.

Leontius an. 3.

Opsimarus qui, & Tiberius an. 7.

Iustinianus iterum an. 6.

Philippicus Bardanius ann. 2.

Anastasius, qui & Artemius, an. 2.

Theodosius an. 1.

Leo Syrus, qui & Conon an. 24.

Constantinus eius filius ann. 34.

Leo Constantini filius an. 5.

Irene cum filio Constantino ann. 10. Synodus Septima in Bithynia 350. Patrum contra Iconomachos an. Constantini & Irenes matris eius 8... 12. an. 6296.

Constantinus solus annis 7.

Irene iterum an. 5.

Nicephorus & Stauraces eius filius an. 9.

Michaël socer eius an. 2.

Leo Armenus an. 7.

Michaël cum Theophilo filio ann. 9.

Theophilus Michaëlis filius an. 12.

Theodora cum Michaele eius filio an. 14.

Michael solus an. 12.

Basilius cum Constantino & Leone an. 20.

Leo, & Alexander an. 26.

Sunt igitur ab Adam vsque ad diluuium an. 2242.

Et à diluuio vsque ad centesimum annum Abrahę anni 1169.

Et ab anno centesimo Abrahæ vsque ad exitum Israël ex AEgypto anno octuagesimo Moysis anni 405.

Et ab anno octuagesimo Moysis vsque ad captiuitatem Babylonis primo anno Sedeciæ anni 1076. Et à primo anno Sedeciæ vsque ad quadragesimũ secundum annum Augusti Cæsaris, quo natus est Christus Deus noster, anni 608.

Simul sumpti ab Adam vsque ad natiuitatem Christi an. 5500.

Et à natiuitate Christi vsque ad primum Constantini annum, sunt anni 296.

Et à primo Constantini anno vsque ad primum annum Magni Iustiniani sunt anni 223.

Et à primo anno Iustiniani vsque ad primum annum Leonis an. 286.

Nota.

Damus hunc Catalogũ Imperatorum, prout reperimus in Codice papyraceo præ vetustate lacero. In computandis annis post Christi natiuitatem à vera Chronologia deflectit: à Christo enim

vſque ad primum Conſtantini annum, qui cum 306. æræ vulgaris anno concurrit, pluſquàm 296. anni intercedunt, totóque decennio ab æra vulgari aberrat; propiùs tamen ad veram Chronologiam accedit in computandis annis à Conſtantino ad Iuſtinianum: refert enim annos 223. intercedere, quod cum Chronologia noſtra conuenit.

29.

Ex antiquo M. S. Codice 232. Bibliotheca Reginæ Sueciæ.

Catalogus Romanorum Pontificum à D. Petro ad Formoſum.

1. BEatus Petrus ſedit in Antiochia an. V. Et in Roma XXV. menſ. II. diebus II.

2. Linus ſedit ann. XII. m. III. d. XII.

3. Cletus ſedit an. XII. m. I. d. XI.

4. Clemens ſed. an. IX. m. II. d. X.

5. Anacletus ſed. an. IX. m. II. d. X.

6. Euariſtus an. IX. m. X. d. II.

7. Alexander an. XI. m. VII. d. II.

8. Xyſtus (ex patre Paſtore) ſed. an. X. m. II. d. I.

9. Theleſphorus ſed. an. XI. m. III. d. XXI. (Hic conſtituit ieiunium, & miſſas in Natali.)

10. Yginus ſed. ann. IV. m. IV. d. IV.

11. Anicius ſed. an. XI. m. IV. d. III.

12. Pius ſedit an. XIX.

13. Soter ſedit annos IX. m. VI. d. XXI.

14. Eleuter ſedit an. XV. m. III. d. II.

15. Victor ſedit an. XI. m. II. d. X.

16. Zepherinus ſed. an. IX. m. VII. d. X.

17. Caliptus ſed. an. VI. m. II. d. X. *ſic*

18. Vrbanus ſed. an. IV. m. X. d. XII.

19. Poncianus ſed. an. IX. m. V. d. II.

20. Antherus ſed. an. XII. m. I. d. XII.

21. Fabianus ſed. an. XIV. m. XI. d. XI.

Quæ clauduntur parentheſi, addita ſunt in Codice ſupra lineam.

22. Cornelius ſed. an. II. m. II. d. III.

23. Lucius ſed. an. III. m. III. d. III.

24. Stephanus ſed. an. VII. m. V. d. II.

25. Xyſtus ſed. an. I. menſ. X. dies XXIII.

26. Dionifius ſed. an. VII. m. II. d. IV.

27. Felix sed. an. IV. m. III. d. XXV.

28. Eutictianus sed. an. I. m. I. d. I.

